


MONASTICON AVGVSTINIANVM

in quo

Omnium Ordinum sub

REGVLA S. AVGVSTINI

militantium, praecipue tamen Eremitarum, Canonicorum Regular. Praemonstratensium, Dominicanorum, Servorum B. Mariae, Hierosym. Ambrosian. Cruciger. Guillelmit. Trinitarior. Brigitt. aliorumq. fere L. Origines, atq. incrementa

Tribus Partibus

explicantur

Autore F. NICOLAO CRVSENIO AVGVSTINIANO, *S.T. Doct. per Bohemiá Austriá Styr. etc. Visit. Generali, et Sac. Cas. Maiest. a Consiliis*

MONACHII [illegible] DCXXIII IOAN HERTSROY

POTENTISSIMO NEC NON [illegible] INVICTISSIMO DIVO FERDINANDO II ROMANORV IMPE[illegible] ORI, DOM *ac Maecenati Clementiss*

cum gratia ac privil.

Reuerendo atque Eximio

P. NICOLAO CRVSENIO

SS. THEOL. D. PER AVSTRIAM, BOHEMIAM, STIRIAM, &c. Commissario Generali, & S. Cæs. Maiestatis Consiliario conscribenti

MONASTICON AVGVSTINIANVM.

EXprimis affabrè tenui viridaria penna,
Quæ fundus nostræ Religionis habet.
Eruis & Plantas terræ putredine sorptas;
Attollis fusas turbine flante Rosas.
Et quos abstrusit longum caligine tempus
Flores, indè nouâ luce reducis eos
Hoc syluestre tuum proponit sancta viretum
Pignora, quos noster fouerat ordo viros.
Hocce rosas æquus Lector decerpet in horto,
Pungendus spinas Æmulus inde leget.

Fr. Iordanus Degler, Ordinis S. Augustini Eremita Salisburgensis.

EIDEM.

GRatulor audenti calamo conscribere MAGNI
AVRELI monumenta PATRIS sobolisq́ sequacis
Acta per annorum vestigia prima notare.
O vtinam nostro generosus in Ordine zelus
Tantæ virtutis quondam paradigma dedisset!
Indubiè plures Heroas ab AVGVSTINO
Stare videremus, quos intima claudit Eremus
Neglectis latebris, & credit nomina cœlo.
CRVSENI melius scribendo restituis rem:
Annosum tempus, vel quos iniuria Momi
Abstulit innumeros Magni patris AVGVSTINI
Inuictâ virtute Viros; numero, ordine, formâ
In medium profers. Hæ vindiciæ sine laude manebunt?
Aio, nec id temere: virtus CRVSENIA crescit
Et Monachis pretio MONACHISMVS habebitur olim.

F. Paulus Conopæus Ghelanus
S. Augustini Eremita.

HORTVS AVGVSTINIANVS A S VALERIO DONATVS



AVGVSTINE tuus totis cum videat HORTVS
Donatione dedico fundum tibi
Intra Coenobii surgat fundamen Eremi
Sodalitatis esto seminarium.

Laetabundus init Pater AVGVSTINVS in hortum.
Redditque grates debitas Valerio
O felix horti Cultor quia fructifer HORTVS
Ecclesiae semper boni ferax erit

SERENISSIMO INVICTISSIMOQVE PRINCIPI ac DOMINO

FERDINANDO II.

Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Sclauoniæ Regi, Auſtriæ Archiduci, Duci Burgundiæ, &c.

COnſtans apud Gentiles opinio eſt, Cæſar inuictiſſime, Deos olim pro Imperio ſeruando atque ampliando pertinaces quaſi vigiles excubuiſſe: allectos, vt illi credebant, Principum virorum regijs virtutibus, quæ diuinum patrocinium ſuo quaſi iure exigere videbantur. Hinc tantis encomijs animi moderatio extollitur, vt regnorum muri hac ſtabiliti, reuocatus concuſſarum prouinciarum ſtatus exiſtimetur. Loquetur pro Thraſybulo poſt exactos Tyrannos Athenienſium ἀμνηστία: pro Theopompo Spartanorum Rege creati Ephori; pro Camillo, Poplicola, Q. Cincinnato, Fabio Maximo, Africano Maiore, Catone clamabunt tribunalia, teſtis veniet Circus Magnus Romanorum. Alij tamen ardentem fortemque animum antetulerunt, quem ſæpe in Quiritibus admirati Dij immortales, id effecerunt, vt ne tam fortium pectorum mater Roma dilaberetur. Alij maiori in laude continentiam abſtinentiamque poſuerunt. Neque immeritò: Cum nihil ſtabile diuturnumq; eſſe queat, quo duæ iſtæ humani generis certiſſimæ peſtes libido atque auaritia penetrauerint; & è diuerſo certum ſit atque explora-

Æmil Prob. in vita Inſt. 5.
Plut. in Lycurgo.
Val. Maximus 4. c. 1.

†

ploratum, tum demum Imperium illud firmo in gradu inuiolabiliter perennaturum, vbi minimum virium improba mentis cupido sibi vendicauerit. Melius tamen alij regni stabilimentum pietatem religiosumque cultum esse voluerunt: melius, inquam, si vero æternoque Numini, non infamibus illis Deorum portentis tam scrupulosa ceremoniarum obseruatione sese consecrassent. Adstipulatur huic veritati Spiritus sanctus, qui tametsi non parui fecisse videtur, vel magnam in Dauide animi modestiam, iuxta regium votum, *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius*, quâ & bene filio perfido voluit, & bene fecit Sauli perduelli; vel in Gedeone inuictam manum, ausam cum trecentis viris immanem exercitum inuadere; vel Samuelem abstinentem maximè, vel Iesum filium Naue maximè continentem: Vnus tamen inter omnes celebratissimus est Mathatias, qui stabili in Deum religione, & in legem eius ardentissimo zelo, Regis Antiochi iussa aspernatus, pessum jam datam Hebræorum gentem parua manu tuitus est, & de Tyranno felicissimè triumphauit. Quis non commoueatur ad hæc Scripturæ verba? *Accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in ciuitate Modin, secundum iussum Regis: & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram, sed & virum, quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & Zelatus est legem.* Vnde ad Iudam Machabæum & fratres eius: *Nunc ergò ô filij æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum.*

1. Mach. 2.

Neque falsus fuit pater: discedentes enim filij à seruitute, & obedientes legi Patrum suorum gesserunt bellum Domini cum lætitia, pugnauerunt pro testamento Dei & sanctis, dissipauerunt gentium fortitudinem, restituerunt fœdatam vbique Religionem, seseque & populum in plenam libertatem vindicauerunt. Ne tam vetustis exemplis diutius immoremur, Christiana monumenta, nobis Constantinum, Carolum, Ottonem offerunt, quos solida pietas, magnoque animo asserta Christi Ecclesia

clesia & nomine & Imperio Magnos dixit ac fecit. Neque minores sunt Theodosius, Pipinus, Lotharius, Wenceslaus, Stephanus, Ludouicus, Henricus, aliiq; pro quibus præliari cælum visum est, & defensare sui defensores. Et ne domestica exempla desiderasse videamur: Quis nescit felicem illum Augustorum Cæsarum continuatâ serie numerum, tam non vulgaria, non audita à sæculo clarè gestorum monumenta, in Pietatem stirpi Austriacæ adgenitam, referendam esse? Hæc Rudolpho Primo, Sacramenti Eucharistici cultori pientissimo atque humillimo, Imperij fasces veluti in manum tradidit, totque & tam præclara de potentibus inimicis tropæa concessit. Nec minus feliciter eadem propugnante, bella gessit filius eius Albertus, cui Martialis gloria Triumphatoris nomen dedit. Protegente eadem venena, coniurationes, insidias, sæpe sæpius euasit; vnis solum, quas cauere non potuit, indignè *oppressus. Nihil addam de Leopoldis, Sapiente aut Probo; nihil de Ernesto, cui ob animi robur excelsum, Ferrei nomen adhæsit: totum me Fridericus Pacificus in stuporem rapit. Quis enim non admiretur in Principe adhuc iuuene plusquam virilem animum? qui ne domi delitesceret insepultus otio, quasi non viueret, ad sepulchrum Domini in Palæstinam iter instituit, loca sancta visit, & vidit, calcauitque Christi vestigia, quæ per omnem deinceps vitam premeret feruenti compassione. Hæc eius Pietas Imperij gubernacula rursus Austriacæ Domui adscripsit, quæ deinde non interrupto ordine per nepotum manus ad Tuas Clementissime Imperator, deriuata sunt. Quid de Maxæmyliano eius filio loquar? cuius virtute res belli domique gestætam multæ sunt, vt non dico hic describi omnes, sed ne quidem certo numero comprehendi possint. A quo si ad Carolum cogitatione deflexero, prô Deum immortalem! tacendo, dicam omnia potiùs, quàm, vt dicendo, omnia tacuisse videar. Nihil addam de posteris eius, Tuis Maioribus; ad Te Magne Cæsar conuerto orationem. Ascendisti ad Imperij clauum, non tam Electorum, quàm Virtutum maximarum suffragijs, quas cum sceptro Domus Tuæ hæreditare videris.

*Nepotis sui Ioannis manu sublatus est, qui postea facti pœnitens Eremitarum Augustinianorum habitũ induit, & sanctè vitam finiuit.

ris. Clementiæ ac Lenitatis Tuæ exempla Rebelles sæpius ad veniam prouocati, victi etiam hostes etiamnum hodie inuiti deprædicant: quos cum non tantum bonis, sed vita etiam exuere poteras, indemnes plerosque dimisisti. Animi Tui inuictum robur eloquuntur periculosa hæc bella: Belli alea, quia à Cælo iacta, feliciter quoque cecidit, Diuinum fauorem. Prudentia, Probitas omnibus in actionibus sese produnt. Et si Maioribus Tuis raræ virtutes rara quoque cognomina dederunt, Tibi ita communes omnes sunt, vt & cognomina cum illis Tibi communia facere possimus. Tu Sapiens & Probus cum Leopoldis, cum Ernesto Ferreus, Pacificus cum Maxæmyliano, cum Alberto Triumphator, denique cum Carolo Magnus, immò cum veteribus Maximus, Optimusque vocari dignissimus es. Sed parua ista sunt, nisi & Pij nomen haberes: quod si vllum, hoc iure merito Tuis orationibus, frequenti per auricularium sacrum animæ expiationi, atque Eucharisticæ refectioni debetur. His acceptum referimus, quod Styria, Carnia, Tyrolis seruata est; restaurata Alsatia; Hungaria, Bohemia, Morauia, Silesia, Austria recuperata; ditiones aliæ redactæ in Tuam potestatem. Præter ista, Ecclesiæ vinea jam ducentis amplius annis Hussitarum vepribus, labruscaque inutili obsita, per Te repurgata fideliter, & ad primam expectatamque frugem diligenti cultu reuocata est. Hęc quondã sitientibus auribus bibebam absens, sed magis obstupui, cum præsens viderem adhuc minus esse, quam quod fama sparsisset. Pro Religionis nostræ restitutione Superioris mei iussu Viennam æstate elapsâ proximè descenderam, desiderabam Maiestatis Tuæ patrocinium, vt mihi liberè liceret, quod liberet formare, aut reformare: ad colloquium Clementiæ Tuæ non difficilè admissus sum, auditus sum benignissimè, maioraq; beneficia expertus, quàm sperare auderem. Quid dicam de Pietatis exemplis, quæ nostra in Ecclesia non rarò demonstrasti? quid de sollicitudine, quâ curiosè me de omnibus & familiariter nõ semel interrogasti? Quàm anxiè rerum Ecclesiasticarum satagas, argumentum euidens dedisti, cum me voluisti adscribere in numerum

rum eorum, qui Consilio negotia Ecclesiæ dirigunt, & difficultates, quo modo solui possint, ostendunt. Alia beneficia lubens prætereo, vt ne populares rumusculos aucupari videar; pioque silentio Maiestatem Tuam, Pietatemque ac Clementiam cernuus veneror, cuius testimonium, gratique animi mei specimen vt saltem aliquod videant alij, ea quæ per aliquot hiemis otia congesseram, & absente me per aliquos in lucem edenda erant, immò iam ipsam lucem aspicere cœperant, Cæsareo Nomini Tuo, inscribenda esse volui: vt quem à se non habent, splendorem ab eo, momentumque accipiant; quo maiori cum fructu à meæ togæ viris legantur ac terantur; quo ardentius narratorum vestigijs etiam tantæ Maiestati notis insistant; quo etiam peregrini atque alieni à nostris claustris Deum magis ac magis honorent, prædicent, collaudent, dicentes: *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Interim Maiestati Tuæ Deum Diuosque omnes æternùm propitios voueo. Ratisponæ Idibus Februarijs M. DCXXIII.

Sacratiss.mæ Cæs.æ Majest.tis Tuæ

cliens deuotissimus,

F. NICOLAVS CRVSENIVS
Augustinianus.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

HIstoriam Monachismi magni PATRIS AVGVSTINI, ab exordio breuiter constringere, & cum distinctione temporum vsque ad nostram memoriam carptim dicere dum aggredior; duo tibi bone LECTOR velim insinuata, ne mireris hoc subiectum opusculi iam sæpius ab alijs attentatum, (nunquam tamen satis, quod sciam, deductum,) rursus à me, forsitan aliquibus ad nauseam, innouari. Moribus etenim hominum meæ sortis efformandis adhibitus inter hiemis otia huic negotio manũ apposui conscius quam facile, proficue, atque honeste erudiatur quisque exemplis suorum, qui eandem aliquando sortem duxerunt, nam ex rerum successibus nullus non sibi consilia format, normamque suarum actionum ita componit, vt inter omnes vitæ errores, pericula, sortes, virtutes & vitia tutus emergat, duce prudentia, quæ in futurarum, præsentiumq; ex præteritis, vel maxime consistit obseruatione atque collatione. Tunc enim iuuenilis animus, sapiens & canus efficitur, si maiorum suorum instituta reuoluit, tunc vilis ad gloriam generose inflammatur, abiectus, timidusque spiritus excitatur, superbus aut ferox hoc quasi freno cohibetur, improbus denique à sceleribus pœna & infamiæ exemplis deterretur. Impossibile est quin homo facile seipsum videat, aliosque perspiciat, quo quisque loco, statu, decentia, fama, & gloria degat, quantum à recto distet, quomodo rationes suas inde disponat ac deducat, si ignorantiæ caligo, naturæ vitia congenita mentis oculos non obsideat. Norarunt hoc in suis Græcis Plato, Socrates, & Homerus, cum stolidos, agrestes, pueros ac tantum diurna scientes vocitarent suos populares, apud quos antiquitatis erat negligentia, nulla vel exigua commemoratio priscæ

 opinio-

opinionis, nulla deniq; cana ſcientia. Eodem fere conſilio Romani nouitatem eiurantes, tyronibus ſuis res publicas, diuturnitatem atque amplitudinem imperij, rerum domi foriſque geſtarum magnitudinem, bellorum pericula, varietatemque fortunæ, etiam ante ætatem ſuggerebant. An non domeſtica exempla habemus in Euangelica perfectione, quæ toties magis ac magis in Chriſtianorum animis radices agit, quoties attentiori ſtudio vita Chriſti euoluitur? Immo propinquiora ſi requiris, ad S. P. Auguſtini conuerſionem attende, illa certe poſt Deum, Victorini, & conſodalium Potitiani, nec non D. Antonij exemplo debetur; in hæc enim cum incidiſſet, vt ipſe narrat, *Turgidus parturitione noua vitæ, mutabatur intus, & exuebatur mundo mens eius.* Alipiumque interpellando rurſus exclamat: *Quid patimur? quid eſt hoc? Quid audiſti? Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine? An quia præceſſerunt, pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi?* Voueo omnino vt ſequamur & ſapiamus, & ideo pauca hæc congeſſi. Alterum quod me ad hæc ſcribenda impulit, eſt, quod notauerim duros adhuc alicubi homines, quibus nihil ſatis eſt, obſtinatos, morbo ac vitio ſcripturientes, modeſtiſſimam quamuis hiſtoriam non ita pridem hac de re editam à doctiſſimo Religioſo (cuius nunc Deus miſereatur) mille fabulas vocitare, compendium quoddam, ipſis diſpendium, putidiſſimis nugis refertum crocitare, & vndique S. Auguſtinum Eraſmizando ac clerizando inculcare non Monachum, non Monachorum inſtitutorem, non Legiſlatorem eiſdem, etiam piorum cum ſcandalo. Hi viri critico ſatis iudicio, fere dixeram temerario, authores plurimos antiquiſſimos, pijſſimos, ac doctiſſimos ſuſpectos habent, ad ſolos ſanctos Patres & authenticos hiſtoricos, ne bonorum plauſu totaliter priuentur, appellando. Sed hos ſanctos Patres, hos authenticos hiſtoricos ſua amuſſi volunt caſtigatos, ex his quod placet admittunt, quod palato quamuis infirmo diſplicet, reijciunt, magno certe Eccleſiaſticarum ſcripturarum, immo Religionis Catholicæ non exiguo damno. Notum enim eſt, quantum hactenus Eccleſia ſanctis Patribus tribuerit, quantumque illorum ſcripta venerata ſit, ea præcipue, quæ iam à mille & amplius annis, à varijs eruditis viris pro talibus fuere habita, quæ ab Vniuerſitatibus celeberrimis fue-

S. Confeſſ. cap. 8.

re approbata, quæ à doctissimis Theologis vnanimi ac Catholico consensu fuere recognita. An non his scriptis sancta Mater Ecclesia continuo hæreses oppugnauit? An non pios confirmauit, debiles muniuit, inscios instruxit, & obstinatos euicit? ita certe: nunc proh dolor! ita Sanctorum Patrum opera particularium Grammaticorum crisi eneruantur, vt in posterum vix adduci liber queat, vix homilia, vix sermo aut capitulū, quod non condemnetur vt diminutum, suspectum, mancum, relegarum, κακόλογον, idque sæpe sine vllo fundamento, tantum ob syllabarum commensurationem deficientem, ob ordinem non ita syncere à posterioribus traductum, ob verbulum aliquod, vt dicitur, ab aliena quamuis bona manu, nonnunquam etiam ob meram opinionem. Hoc quam periculosum sit, videant qui sine sanctis Patribus, nec sacræ Scripturæ interpretationem, nec Sacramenta omnia, neque alios articulos fidei valent stabilire. At dicet aliquis, hos Censores, rigore suo Sanctorum Patrum scripta non exscendere, sed excernere tantum supposititia: sed quis dicet illos, hoc rite præstare, dum suo iudicio, non Spiritu sancto innixi hoc faciunt? morbum vt credo dissimulantes, tineam vero quam gerunt non extinguentes. Eodem fere periculo hi viri (nescio an boni Ecclesiæ) ludunt in antiquis & probis alioqui authoribus, sui temporis historias, vel antecacta monumenta referentibus, dum omnium scripta irrident, & in historijs tantam certitudinem volunt, quantam in Mathematicis demōstrationibus, vel quantam olim S. Augustinus in obscurissimis fidei mysterijs desiderabat, dum (vt inquit) in Confessionibus volebat de rebus fidei ita certus fieri, quam certus erat tria & septem esse decem. Quod omnino in historijs euitandum esse monet D. Ambros. *Magni periculi res est, inquit, si veterem fidem quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permaneas, & post morientium sudores, otiosa disputatione contendas, veneremur ergo in Sanctorum Martyrum gloria fidem nostram.* Idem monet Tertullianus his verbis: *In Ecclesia Catholica magnopere curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, & ab omnibus creditum est, hoc enim vere proprieq; Catholicum, & hoc fit si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, & consensionem.* Et breuius ac melius his omnibus Spiritus sanctus per Isaiam. *State super vias vestras, & interrogate* de se-

Serm. de SS. Nazar. & Celso.

de semitis antiquis, &c. quasi diceret. Sanctorum Patrum, & seniorum vti Spiritu sancto dictante scripta venerare, & quæ iam antiquitus videntur recepta, ac pene temporum diuturnitate præscripta, habentque graues authores, non leuiter muta, nec facile eis manum appone, nisi similem spiritum, & antiquitatem sentias. Monendus tunc adhuc esset pius Doctor, ne superbe sapiat, immo ne omnino desipiat instruendus esset, vt examinet prius quid doceat, quamdiu contrarium sit in ore hominum, quando inceperit fama increbescere, per quem exordium sumpserit, quibus rationibus qualitati doctrinæ velit obstrepere, an tantum sciat aliam partem euidenter non posse probari, ac ideo suo velit iudicio omnes debere stare, quo vitio sæpe contingit aliquos turpiter errare in patuo, ac in magnis magnum excitare incendium, quod etiam inuitum postea posset exagitare. Satis innotuit quam periculose litterio ille Erasmus ittiserit stylum Sanctorum Patrum, quam perniciose correxerit Magnificat, chelym pulsando ad cuius tinnitum postmodum Lutherus saltauit magno Ecclesię damno, etiam vltra Erasmi lineam nouitiam, ac Theologo indignam. Similes lineas, seu lituras, vt cætera prætercam in aliquot censoribus criticis, ac SS. PP. castigatoribus notare libuit, maxime dum Magni Patris AVGVSTINI opera castiganda assumpsere & pleraque ex his ab antiquitate concessa, & nunc probata in dubium sensum detorserunt, nonnulla etiam huius scripta condemnantes; quibus in hoc opere quamuis non ex professo me oppono, attingo tamen aliqua, maxime vbi meæ togæ viros, puram veritatem de Eremitica institutione S. P. Augustini scribentes notauerunt Iordano, Pamphilo, Lancilotto, Gonzales, Staibano, ac præcipue Marquesio me vti clypeum appingo, vel potius sinistros iudices, qui illos flagrantes cupidine nobilitatis auitæ deliros scripsisse putant, abigo, & ad veritatis aras adduco coram tua bona mente, quam iudicem statuo, rogaturus vt benignum eloquaris iudicium, & in te obscura pium, ad solum Dei honorem, sanctumque illius gloriam, quæ inter contendentes oritur, cum veritas superat, vincam enim si errorē meum intellexero, vel si è contrario proximum instruxero. Ad certamen enim cum filijs Israel *mente pacifica ingredior*, (Omnia subijciens sanctæ Romanæ Eccle-

fiæ) atq, inter ipſos gladios & effuſionem ſanguinis, & cadauera proſtratorum non meam, ſed pacis victoriam cogitans, ſine ira & ſtudio, quorum cauſas procul habeo. Studui tamen fateor ordini ac commodo Lectoris, vnde opuſculum quamuis exiguum in tres partes diuiſi.

Prima continet MONACHISMVM S. AVGVSTINI ab ipſo Sancto Patre ſub Regula ſundatum.

Secunda continet eundem poſt illius obitum diſperſum.

Tertia Collectionem, & Ordinis S. AVGVSTINI reſtaurationem explanat, regulamque ad varios ordines extenſam vſque ad hæc tempora, attingit.

Appro-

Approbatio Facultatis Theologicæ Ingolstadij.

CVM *Monasticon Augustinianum Eximij P. Nicolai Cruseníj, S. Th. Doctoris, & per Superiorem Germaniam Ordin. Eremit. S. Augustini Vicarij Generalis, nec non Sac. Cæs. Maiest. Consiliarij tripartitum, cuius prima pars fundationem, altera dispersionem, postrema collectionem & restaurationem Ordinis explanat*, Fidei Orthodoxæ, pietatique Christianæ aduersum nihil complectatur, operæ pretium æstimo, vt publicam sortiatur lucem.

Ioannes Fornerus S. Theol. & Canonum D. Professor Controuersiarum Fidei, nec non pro tempore Collegij Theologici Decanus.

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

FERDINANDVS II. Diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirteobergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus ac notum facimus, quod precibus Religiosi deuoti oobisque dilecti. *P Mag. F Nicolai Crusenij Ordin Erem. S. Augustini per Bohemiam, Austriam, Styriam, &c Visit. Generalis, ac nostri Consiliarij Ecclesiastici*, benigne inclinati, pro singulari oostra propensione ad præclaros conatus promouendos serio præceperimus, ne quis inscio aut inuito præfato, *P. M F. Nicolao Crusenio Consiliario nostro, MONASTICON Augustinianum in quo omnium Ordinum sub Regula S. Augustini militantium origines atq; incrementa tribus partibus explicantur*, in toto vel in parte, cum vel absque iconibus, idiomate Latino aut alio iotra Imperij ac Regnorum seu ditionum oostrarum fines recudere, aut recusum veodere ac distrahere possit, sub pœna confiscationis librorum de facto, oec noo solutionis sex marcarum auri fisco Cæsareo, prout latius vna cum termioo io litteris nostris contioetur expeditis Ratisponæ Die 3. Febr. Aono M. DC. XXIII. Regnorum nostrorum Roman. IV. Huogariæ V. & Bohemiæ VI.

FERDINANDVS

VV. Vlm. Signatum.

Ad mandatum proprium Sac. Cæs. Majest.
Cæs. Hermannus Questenberg. Secret.

SYLLA.

SYLLABVS CAPITVM
Quæ tribus his partibus continentur.

Partis Primæ

CAP. I.	De admirabili vita S. AVGVSTINI, vbi comparatur D. Ioanni Baptistæ.	1
II.	De Monachismo in communi.	3
III.	De Monachismo S. AVGVSTINI ante Baptismum.	5
IV.	De Monachismo S. AVGVSTINI post Baptismum.	8
V.	Probatur Monachismus S. AVGVSTINI ex sermone S. Ambrosij.	12
VI.	Confirmatur Monachismus S. AVGVSTINI adhuc in Italia degentis ex socijs, quos habuit in Italiæ montibus.	16
VII.	De Monachismo S. P. AVGVSTINI iuxta Tagastam.	19
VIII.	De Monachismo S. P. AVGVSTINI Hippone.	23
IX.	Duo hæc Monasteria Tagastæ, & Hippone fuisse Eremitarum.	26
X.	De Sermonibus S. AVGVSTINI ad Fratres in Eremo, quantum illis sit deferendum.	32
XI.	De Socijs S. AVGVSTINI in Religione Eremitica.	36
XII.	De S. HILARIO.	38
XIII.	De S. PROSPERO Monacho Augostiniano.	39
XIV.	De PAVLO OROSIO Eremita S. AVGVSTINI.	40
XV.	De duobus LEPORIIS S. AVGVSTINI Coëremitis.	41
XVI.	De PAVLINO D. P. AVGVSTINI Syneremita & alijs.	42
XVII.	Eremiticum institutum S. AVGVSTINI probatur ex veste exteriori.	43
XVIII.	Probatur Eremiticum institutum S. AVGVSTINI ex alijs Monasterijs, ipso viuente, erectis.	47
XIX.	Probatur Eremiticum institutum ex Regula S. AVGVSTINI viris scripta.	49
XX.	Regulam S. AVGVSTINI fuisse Eremitis scriptam.	51
XXI.	Quod Ordo S. AVGVSTINI antonomasticè sit Ordo Fratrum Eremitarum.	52
XXII.	De approbatione Regulæ S. P. AVGVSTINI.	54
XXIII.	De Monachismo S. AVGVSTINI tempore Episcopatus; vbi agitur de fundatione Clericorum Regularium.	55
XXIV.	De S. AVGVSTINO, num fuerit Canonicus Regularis.	57
XXV.	De habitu S. AVGVSTINI tempore Episcopatus: an fuerit habitus Canonici Regularis.	59

Partis Secundæ

CAP. I. De propagatione Monachiſmi poſt obitum S. AVGVSTINI. 61
II. De quatuor Martyribus Ordinis Eremitarum S. AVGVSTINI. 64
III. De Monachis Græcis Ordinis Eremitarum S. AVGVSTINI. 65
IV. De ſeptem Martyribus Auguſtinianis ex Monaſterio Capſenſi Eremitarum. 66
V. De propagatione Ordinis per S. FVLGENTIVM in Africâ, Italia, & Sardinia. 67
VI. De S. GELASIO Ordinis S. AVGVSTINI Propagatore, præcipuè Canonicorum Regularium. 68
VII. De FERRANDO Archiepiſcopo Toletano ex Ordine Eremitarum S. AVGVSTINI aſſumpto. 70
VIII. De magno Ordinis S. AVGVSTINI incremento per S. Donatum; & varijs fundationibus Monaſteriorum in Hiſpania, & alibi. 72
IX. De erectione Monaſterij Eremitani, à B. Nunto Eremita Auguſtiniano. 75
X. De S. ARTHVAGO Reſtauratore Monaſterij Siſlæ Toletanæ. ibid.
XI. De ſtatu Religioſorũ & Regulæ D. Auguſtini circa annum DC. 76
XII. De Reliquijs S. AVGVSTINI ſeculo ſeptimo poſt Chriſtum natũ. 80
XIII. De fundatione vniuerſitatis Pariſienſis, & Papienſis per Fratres Eremitanos S. Auguſtini circa annum DCC. 81
XIV. De ſtatu Ordinis Auguſtiniani circa annum DCCC. 48
XV. De Eremitis S. AVGVSTINI anno DCCCC. & ſeqq. 86
XVI. De Regulæ S. AVGVSTINI propagatione anno M. ibid.
XVII. De reſuſcitatione Canonicorum Regularium hoc ſæculo ſub Regula S. Auguſtini. 88
XVIII. De alijs Ordinibus accedentibus ad Regulam S. Auguſtini poſt Virginis partum decimo ſæculo. 90
XIX. De propagatione Ordinum S. AVGVSTINI ſæculo M.C. ibid.
XX. De Origine & Ordine Præmonſtratenſium accedente ad Regulam S. Auguſtini. 93
XXI. De admirabili pœnitentia S. GVILLELMI Eremitæ ſub Regula S. Auguſtini. 94
XXII. De S. GVILLELMO, quod fuerit Ordinis S. Auguſtini. 97
XXIII. De varijs fundationibus ſub Regula S. Auguſtini eodẽ ſæculo. 101
XXIV. De incremento Ordinis Eremit. S. Auguſtini per B. IOANNEM BONVM & alios. 103
XXV. De ingenti triumpho Regulæ S. AVGVSTINI anno M.CC. quo ſub illa Ordinem ſuum fundauit S. DOMINICVS, & ſub eadẽ vixit S. FRANCISCVS. 105
XXVI. De Ordine S. Dominici, alijſque approbatis ſub Regula S. Auguſtini. 108
XXVII. De varijs Ordinibus Regulæ S. Auguſtini annexis poſt Lateranenſe Concil. 110
XXVIII. De Ordine Eremitarum S. AVGVSTINI eodem tempore reſtaurato. 111

Partis Tertiæ

CAPVT. I. De Voione Generali Ordin. EREMITARVM. 121
II. De LANFRANCO MEDIOLANENSI I. GENERALI post vnionem. post 126
III. De GVIDONE II. Generali. 131
IV. De CLEMENTE AVXIMANO III. Generali. 135
V. De FRANCISCO REGIENSI IV. Generali. 137
VI. De CLEMENTE iterum Gener. 138
VII. De P. ÆGIDIO ROMANO V. Generali. 140
VIII. De P. SIMONE PISTORIENSI VI. Generali. 141
IX. De P. AVGVSTINO NOVELLO VII. Generali. 142
X. De P. FRANCISCO RVBIENSI VIII. Generali. 143
XI. De P. IACOBO ORTANO IX. Generali. 145
XII. De P. ALEXANDRO A S. ELPIDIO X. Generali. 147
XIII. De P. GVILLELMO CREMONENSI XI. Generali. 149
XIV. De Dionysio Mutinensi XII. Generali. 153
XV. De P. Thoma Argentinate XIII. Generali. 154
XVI. De Gregorio Ariminensi XIV. Generali. 157
XVII. De Matthæo Asculeno XV. Generali. 158
XVIII. De P. Vgelino Vrbeuetano XVI. Generali. 159
XIX. De Guidone Belreguardo XVII. Generali. ibid.
XX. De Bonaueotura Patauino XVIII. Generali. 161
XXI. De P. Tholomæo Veneto XIX. Generali. 162
XXII. De P. Nicolao Cessiano XX. Generali. 165
XXIII. De P. Petro de Vena XXI. Generali. 166
XXIV. De P. Mag. Augustino Romeno XXII. Generali. 168
XXV. De P. Gerardo Ariminensi XXIII. Generali. 170
XXVI. De Iuliano Salensi XXIV. Generali. 171
XXVII. De Alexandro Oliue XXV. Generali. 174
XXVIII. De P. Guillelmo Becchio XXVI. Generali. ibid.
XXIX. De P. Iacobo Aquilano XXVII. Generali. 176
XXX. De Ambrosio Corano XXVIII. Generali. 177
XXXI. De Anselmo Montis-Falconio XXIX. Generali. 180
XXXII. De P. Mariano Genezzanensi XXX. Generali. 183
XXXIII. De Gratiano Fulginate XXXI. Generali. 186

XXXIV. De P. Augustino Interamnensi XXXII. Generali. 188
XXXV. De Ægidio Viterbiensi XXXIII Generali. 189
XXXVI. De Gabriele Veneto XXXIV. Generali. 193
XXXVII. De Ioanne Antonio Veronensi XXXV. Generali. 197
XXXVIII. De Hieronymo Seripando XXXVI. Generali. 198
XXXIX. De P. Christophoro Patauino XXXVII. Generali. 201
XL. De P. Thadæo Perusino XXXVIII. Generali. 208
XLI. De Francisco Recanatensi XXXIX. Generali. 214
XLII. De P. Mag. Spiritu Vicentino XL. Generali. 215
XLIII. De P. Mag. Gregorio Montelparensi XLI. Generali. 216
XLIV. De P. Mag. Andræa Fiuizano XLII. Generali. 219
XLV. De P. Mag. Alexandro Senensi XLIII. Generali. 222
XLVI. De Hippolito Fabriano XLIV. Generali. 227
XLVII. De P. Mag. Ioanne Baptista D'Asti Genuensi XLV. Generali. 239
XLVIII. De P. Mag. Nicolao à S. Angelo XLVI. Generali. 241
XLIX. De P. Mag. Fulgentio à monte in Georgio XLVII. Generali. 255

VIRO

VIRO AMPLISSIMO, ET TVM SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ, TVM ANTIQVÆ HISTORIÆ CONSVLTISSIMO, ac plurimum reuerendo Patri,

NICOLAO CRVSENIO

Monasticon Augustinianum edenti.

Hactenus abstruso latuit bene clusus in antro
Noster Eremites, quasi vitâ cassus, & expers
Luminis ætherei, melior scribenda patrare,
Et dare materiem calamis, prælumque mereri,
Quàm priscos legere annales, aut condere fastos,
Venturoque suas virtutes prodere sæclo.
Tu præclare Pater, parmâ munitus vtraque
Et memoranda patras, & quæ celauit Eremus,
Peruigili curâ, veri que incensus amore
Eruis è tenebris, & aperto lumine donas.
Nec fas esse putas, Patrum bene gesta suorum,
Maioresque suos nescire tot agmina Fratrum.
Vindice Te nobis Magnus Pater AVGVSTINVS
Redditur, & pullo candentem mutat amictum.
Tu seriem natorum, & qui nascuntur ab ipsis
Legitimo Genitori addis. Te gloria tanto
Pro sudore manet, si magnos Numen in ausus
Respicit, & pulchris respondent præmia factis.
Te præsens Cælo, Te ventura inferet ætas,
Sublimemque virûm faciet volitare per ora.

F. CORNELIVS CVRTIVS
Belga, Bruxellensis.

MONACHISMI
MAGNI PATRIS
AVGVSTINI
PARS PRIMA
Fundationem concernens.

F. NICOLAO CRVSENIO Authore.

CAPVT I.
De admirabili vitâ S. Augustini. vbi comparatur D. Ioanni Baptistæ.

QVod singularem, admirabilem, atque conspicuum reddidit S. Ioannem Baptistam eiusque natiuitatem, ex sterili matre ante ortum sanctificatum, & de secreto materni vteri prophetantem, testem veritatis, lucis adhuc expertē; & reliquū eius vitæ decursum adinstar Prophetæ magni, Doctoris primi, Apostoli sanctissimæ Trinitatis, Martyris vtriusque testamenti, Archieremitæ: hoc idem certè singularem, mirabilem, prodigiosam, & mundo vniuerso conspicuam fecit S. P. AVGVSTINI regenerationem; cùm quia ex sterili Manichæorum fuit Ecclesiâ ante lucem iam illuminatus, & adhuc in infidelitatis vtero ad Dei secreta admissus, necdum sacro baptismatis fonte ablutus iam ferè perfectus Christianus: tum vel maximè quia in cætero vitæ decursu & Propheta magnus fuit agnitus, Doctor Doctorum appellatus, sanctissimæ Trinitatis Apostolus deprædicatus, pluries martyrio condecoratus, & Eremitarum Princeps in Africâ iure meritoque nuncupatus.

Comparatio S. Aug cum D. Ioan. Bapt.

Tituli S. Aug.

Constat enim satis euidenter post carnalem S. Patris Augustini natiuitatem, quæ anno humanæ salutis CCC. L V. communiter ponitur, non statim baptismum successisse, ob vanum forte Africanorum metum, *ne post lauacrum illud maior & periculosior in sordibus delictorum reatus foret.* Constat etiam quomodo ætatem illam vsque ad annum vndeuigesimum consumpserit *inter theatricos plausus, contentiosa certamina, agones coronarum fœnearum*, inter latentes superbias, libidinis ruinas, adolescentis vitia, & lubricam iuuentutem; de quibus ita scribit. *Ibam longius à te, & sinebas, & iactabar, & effundebar, & diffluebā, & ebulliebam per fornicationes meas* & alibi postquam furta sua, quæ vel gulâ imperante, vel pueris lusum facientibus, cum innumeris mendacijs, amore ludendi, studio spectandi nugatoria, & imitandi ludicra, milleque iniquitates ex adipe prodeuntes enarrasset, accusans ferè omnia corporis sui membra, inquit, *Portabam conscissam, animam meam impatientem à me portari, & vbi ponerem non inueniebam, non in amœnis nemoribus, non in ludis, atq. cantibus, neq. in suaueolentibus locis, nec in cōuiuijs apparatis, neq.*

Ann natiuit. S. Aug anno Christi 355.

1. Conf. c 11.

Adolescentia transacta.

2. Confess. 2.

1. Conf. 19.

4 Conf. 7.

Delicta iuuentutis.

in voluptatibus cubilis & lecti, non deniq; in libris atque carminibus acquiescebat. & postea, *colloqui, & corridere vicissim, beneuole obsequi, simul legere libros dulciloquos, simul nugari, & simul honestari, dissentire interdum sine odio, rarissimâ dissensione condire dissensiones plurimas, docere aliquid inuicem aut discere aliquid ab inuicem; desiderare absentes cum molestiâ, suscipere venientes cum lætitia,* gestiebam.

4. Conf. 7. & c. 9.

Manichæismus S. Aug. Lib. de Vtil. cred. c. 1. S. Aug. fuerat illuminatus a teneris annis.

Tandem cõstat quomodo S. Avgvstinvs ab anno vndeuigesimo, quo in Ciceronis Hortensium incidit, & simul in sapientiam exarsit, annos fere nouem, spretâ religione, quæ illi puerulo à parentibus insita erat, homines illos sequutus fuerit, ac diligenter audierit, *qui dicebant Christianos superstitione teneri; & fidem illis ante rationem imperare.* & quomodo noxiâ victoriâ, quæ pene semper illi in disputationibus proueniebat differenti cum Christianis imperitis; glıscente animositate, & impetu suo in peruicaciæ magnum malum imprudenter vrgebatur: & tamen in medijs hisce ignorantiæ tenebris, in medijs illis errorum & vitiorum sordibus scimus quomodo, ipso Augustino teste, à Deo, etiam *ab ipsis incunabilis* (quod mirum aliquibus videtur) *illuminatus fuerit per illustrationem Dei gratiæ, cuius sale,* dicit, *sese conditum fuisse, iam inde ab vtero matris suæ, seq; audiuisse cùm adhuc puer esset de vitâ æternâ nobis promissâ per humilitatē Domini Dei nostri descendentis ad superbiam nostram:* quas species postmodum repetit magis obfirmato animo, dicens: *Figam pedes meos in eo gradu, in quo puer à parentibus positus eram.*

3. Conf. 11.

6 Conf. 11.

Relinquit Manichæos S. August.

Illuminatio S. Aug. in infidelitate Conf. 7. c. 10.

Raptus S. Aug.

Mirum quomodo Deus S. Augustinum deduxerit anno illo duodetrigesimo Romam, & sequenti Mediolanum, vbi volebat perdere sapientiam sapientis, & excutere sinuosa Manichæorum vincula, & illius gubernacula repugnantia omnibus ventis ab Academicis detenta ad felicissimum portum Ecclesiæ deducere; Quare eundem ante ortum illuminauit, cumque vix sentientem præsentiâ suâ commouit, vt ipse S. Augustinus narrat his verbis *Intraui* (adhuc infidelis) *& vidi qualicumq; oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem, & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere grandior erat, tamquam si ista multo multoq; clarius claresceret, totumq; occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus.*

S. Aug. fuit Apost. Trinit.

Sublimia Trinit. mysteria.

Apud Iord. serm. 30 de SS.

Quis non dicat S. Avgvstinvm verè sanctiss. Trinitatis Apostolum, cùm profunda Trinitatis mysteria hactenus non intellecta acuto suo calamo videt descripta, euangeliumque S. Ioannis tam sublimi expositione contra Arium, aliosque Trinitatis inimicos declaratum? Primus certè S. Avgvstinvs Verbum mentis, Verbum Verbi, Verbum non factum, imo Verbum, per quod facta sunt omnia, iuxta mentem Euangelistæ illustrauit; Quod testatur S. Paulinus scribens Amando. *Vidimus,* (inquit,) *nuper venerabilem Patrem Augustinum Diuino amore inflammatum quasi Seraphin coniunctum sanctissimæ Trinitati per contemplationem, de quo nullatenus dubitamus.*

S. August. fuit martyr. Ep. 25. ap. August.

Odium hæreticorum in S. August. Cap. 9.

De Grâ S. August. l. 3. c. 1.

Lib. de contemnentiâ. Serm. de S. August.

Martyrium S. P. Avgvstini satis attestatum reliquit D. Hieronymus, qui tantum Augustini zelum in hæreticorum conuersionem extollens, refert: *in signum maioris gloriæ ita Hæreticos omnes S. AVGVSTINVM detestatos & odio prosequutos fuisse, vt quem gladijs nequiuerint, votis frequenter interfecerint:* pertinacissimi etenim Donatistæ eum de medio tollere varijs artibus sunt conati docentes publicè, vt inquit Possidius, *eum velut lupum iure occidendum esse,* quin & Deo sacrificium sic offerri, & ei, qui hoc perfecisset, plenariam indulgentiam fore; Quare bene de S. Avgvstino scribit R. P. Corn. Lancil. *Non tam AVGVSTINVM martyrio, quàm martyrium Augustino defuisse:* quia non semel vitam pro fidei præsidio discrimini exposuit, desiderio desiderans animæ salutem & martyrij coronam. Et Michaël Medina refert S. Augustinum in Æthiopiam prædicandi Euangelium, martyrijque subeundi causâ profectum fuisse. Quod clarius & maiori autoritate colligitur ex B. Pet. Damiano qui postquam nobilitatem morum, paupertatem spiritûs, affluentem misericordiam, mundi contemptum,

vitæ

vitæ synceritatem, ac innocentiam S. Augustini explicasset, inquit, *ab omni rubigine vitiorum immaculatus, nunc sanctissimorum Præsulum stolâ indutus coronam Martyrum multipliciter est consecutus.*

SS. Gregorius, Cassidorus, Ven. Beda, & ante alios S. Prosper. de doctrinâ S. Patris AVGVSTINI sic loquitur: *S. Augustinus Episcopus, acer ingenio, suauis eloquio secularis literaturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in expositione fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absoluendis & hæreticis conuincendis acutissimus.* Eodem stylo de S. Augustino ita scribit Hilarius: *Doctor excellentissimus Augustinus in fidei nostræ defensione assiduus, metu mortis intrepidus, destruxit sacrilegos Hæreticos.* Hinc merito de illo S. Ecclesia cantat *firmamentum Ecclesiæ, summum vas scientiæ* diciturque *lingua Christi, vox cœlorum, scriba vitæ, lux Doctorum.* Quæ omnia fusius prosecuti sunt magni nominis Historici & Eulogistæ, in quibus etiam mihi immorandum non iudico, cùm hanc tantùm prouinciam nunc susceperim, vt Eremiticum ac Monasticum S. Patris Augustini institutum eruam, eumque huius instituti Principem in Africâ aliquando fuisse deducam: quod dum in sequentibus præstare laboro, sciat pius Lector, me ad pugnandum cum filijs Israel mente pacificâ procedere, meq; inter ipsos calami gladios ac effusionem sanguinei sudoris & prostratarum authoritatum, non meam, sed pacis victoriam cogitare.

Testim. SS. Patrum de S. August. doctrinâ. L. de vit. con. temp. c. 31.

Ep. ad Amantium.

Tituli S. August.

2. Paral. c. 12.

CAPVT II.

De Monachismo in Communi.

INTER alios hominũ status, quos S. Thomas & alij Scholastici ad tres reduxerunt, quosq; Caietanus loco citato in Euangelio designatos fuisse ostendit per *Laborantes in agro, molentes in molâ, quiescentes in lecto,* non infimus est status Religiosorum, qui verè rerum Cœlestium & Diuinarum contemplationi dediti, sacrarumque literarum studijs detenti in monasterijs suis quiescunt: quorum status non tantùm iure scripto, sed per se in firmâ trium votorum solennium, vel quasi solennium obligatione consistit. Fuit adumbratus hic status in Nazaræis, in filijs Prophetarum, in Eliæ, Elisæi, Ioannis Baptistæ, aliorumque exemplo. De quibus D. Hieronymus: *filij Prophetarum, quos Monachos dicimus in veteri testamento ædificabant casulas iuxta fluenta Iordanis, & turbis Vrbium derelictis, polentâ & herbis victitabant.* Fuit hic status deinde firmatus consilio Saluatoris nostri dicentis Adolescenti; *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Fuit denique hic status ab Apostolis eorumque successoribus in actum exercitum deductus: *Multitudinis enim credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia, neq; quisquam egens erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia: diuidebatur autẽ singulis prout cuiq; opus erat.* De primis his credentibus doctè ac disertè scribit S. P. Augustinus, eorum professionem explicans, cuique votum omnino adfuisse asserit: prout etiam D. Thomas docuit antiquos Monachos, seu primos Christianos perfectiores Deo sese voto deuouisse: quo sensu, inquit, S. Petrum nomine omnium Apostolorum dixisse: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Per *omnia* intelligens etiam propriam voluntatem, quâ simul cum externis rebus derelictâ, voluit D. Thomas voto fuisse obstrictum. Cuius sententiæ videtur fuisse D. Hieronymus inquiens: *Talis primò credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachos esse videmus.*

Tres sunt hominum status præcipui 2. 2. q. 183. art. 1.

Status Religionis nobiliss. Figuræ Monachismi.

Ep. 4 ad Arist.

Matth. 19. Luc. 18. Marc. 10.

Monachismus est consilij Euangelici. Act. 4.

Vsitatus ab Apostolis

Leg. 17. de Ciuit. c. 4. 2. 2. q. 88 a. 1.

Apostoli vouerunt. Matth. 19.

Descrip. Ecc. in fid.

Valde etiam verisimile est temporibus Apostolorum monasteria extitisse: nam legimus de S. Matthæo, quòd in Æthiopiâ Regis filiam, de S. Pau-

Monasteria tempore Apostolorum.

lo quod Theclam in Græciâ, de S. Clemente quod Domitillam cum pluribus alijs Deo consecrarint. S. Martham scimus in Galliâ monasteria erexisse: S. Marcum insignia Clericorum collegia Alexandriæ instituisse. Aliosque Apostolorum successores alibi: prout luculenter idem describunt vnà cum cæremonijs ac ritibus personarum, locorumque consecrationi adhiberi solitis D. Dionysius, Philo Iudæus, Eusebius, Ruffinus, & Ioannes Cassianus Recentiores etiam latè hanc materiam prosequuntur, vt videre est apud Medinam, Azorium, Hieronymum Platum, & alios qui Religionis essentiam, Religiosorumque initia satis deduxere.

Authores primorum monasteriorum.

L. de Eccl. hierarch. c. 10. l. 2 inst. c. 5. l. 1 de sacro homine. l. 2 c. 21.

Quid sit religio

10. de ciuit Dei c. 24.

Religio enim proprie dicitur: *Virtus, quâ Deo tamquam omnium creatori debitum cultum & honorem exhibemus*, iuxta doctrinam. S. P. August. à Religando seu Reeligendo dicta, quia eadem frequenter reeliguntur quæ ad cultum Dei spectant abiectis peccatis, talique reelectione Deo firmius religamur. Ex qua descriptione, *Religiosus* dici poterit, qui particulari officio Deo cultum & honorem exhibet, eundem abiectis remoris frequenter reeligens, seseque Deo coniungens ac ligans; quod quamuis tam pijs secularibus, quàm Monachis commune sit, tamen his proprium videtur: cùm ipsi, non tantùm frequenter reeligant, sed continuo votorum vinculo Deo constricti eundem reeligant, eique puro cultu ac famulatu, indiuiduaque ac singulari vitâ colligati Deo viuant; quare & per antonomasiam *Religiosi* vocantur, eorumque professio sola *Religio* dicitur. Sicque ad Religionem, seu talem Religiosam vitam constituendam multo pauciora olim requirebantur, quàm nunc: nam præter communem, piam, Deoque obsequentem famulatum; & vota, certa regula ab Ecclesia approbata omnino est necessaria. Sic enim statutum fuit in Concil. Lateranensi sub Innoc. III. ac postea in Lugdun. sub Greg. X. hæc etiam Regulæ seu instituti admissio olim erat penes Episcopos, qui authoritate ordinariâ vitæ statum admittebant, vel reprobabant: nunc autem solum Romanum Pontificem hoc concernit, sine cuius admissione, & instituti approbatione nec Religio, nec Religiosus, nec votum solenne statum aliquem obtinet, quo Ecclesia condecoretur, hac vero obtentâ, iam Religionis nomen sortitur, illiusque sectatores obligantur ad vota reddenda, nec facilè ab ijsdem liberantur. Et quamuis Religiosi, & Monachi hodie promiscuè confundantur à vulgo, non tamen omnes Religiosi Monachi dici consueuerunt. Monachus enim præter vota & institutum approbatum, habitum aliquem cum caputio inuoluit: alioqui & Canonici Regulares, & Patres Societatis, & militares Ordines, alijque Clerici in cōgregatione viuentes vti verè Religiosi, Monachi dicerentur, quod tū doctis insolitum, tum ipsis nomen indebitum facile quilibet iudicabit. Iura etenim cōmuniter, hos status distinguunt: sic habemus Rubricam de statu Monachorum, & Canonic. Regul. Sic colligitur ex cap. *Quod Dei timorem. §. Licet* ex cap. *Nullus*, ex cap. *Mandamus*. 19. q. 3. ex cap. *Ex parte. de postulando* ex cap. *Intelleximus de ætate & qualitate*. Idem insinuat Conc. Aquisgran. sub Ludouico. I. cap. 115. & 125. Item Conc. Clarimont. sub Inn. 2. Vbi inhibetur tum Canonicis Regularibus, tum Monachis, ne aduocatos vel medicos agant. Sic loquitur D. Bernard. *Monachi ac clerici Regulares sibi inuicem derogare dicuntur*. Clarè hanc distinctionem adhibet. D. Thomas. 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2. Armilla verbo. *Monachus*. num. 2. & 3. Nauarrus & ipsi Canonici Regulares hoc fatentur. Canon enim est expressus. *Mandamus & vniuersaliter interdicimus, ne quis Canonicus Regulariter professus, nisi (quod absit) publicè lapsus fuerit, Monachus efficiatur*. Pius. 4. in sententiâ latâ inter PP. Benedictinos & Canonicos Regul. idem expressit, vocans hos Clericos, illos Monachos. Inter Monachos etiam non vna est differentia, dum alij Eremitarum vitam remoti ab vrbium strepitu & familiari hominum vsu, alij etiam Monachi eandem inter homines & oppida traducunt

Religiosi vnde dicti.

Quid requiratur ad Religionem.

Differentia inter Religiosos & Monachos.

Ad Guil. Abbatem.

In c. statuimus 19. q. 3.

cunt animarum saluti; & proximorum instructioni insudantes. Rursus Eremitæ diuiduntur in Anachoretas, qui solitariè in distinctis locis seclusi degunt; & in Cœnobitas, qui in communi sub eodem tecto & intra eosdem parietes continentur. Quibus omnibus nomen *Monachi* est commune: nam quilibet horum indiuiduã, singularique vitã Deo sese vniuit, & in communitate viuens, vnum efficitur corde & animâ in Domino: vt bene explicat S. P. August loquensde congregatis suis fratribus in sanctâ communione viuentibus; *Quare ergo & nos non appellemus Monachos, cum dicat Psalmus: Ecce quã bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum?* Quilibet etiam certum genus habitus gerit, & regulæ à sede Apost. approbatæ sese addicit, & cum pluribus vnitatem facit.

Monachi Eremitæ & Cœnobitæ.

Super Psa. 132.

CAPVT III.

De Monachismo S. AVGVSTINI ante baptismum.

QVAMVIS apud Theologos baptismus sit ianua omnium piarum & Catholicarum actionum, maximè Euangelicarum perfectionum, quæ plerumque non nisi in Christo renatis solent accidere: tamen in mirabili D. Augustini cõuersione est hoc mirabile, quod Euangelica perfectio, affectus, scilicet, serius monachalis ipsum regenerationis lauacrum præcesserit. Etenim vix illuminatus, discussis aliquantulùm ignorantiæ tenebris, sublataq; dubitatione de incorruptibili substantiâ, quòd ab illâ esset omnis substantia, nec certior de Deo, sed stabilior in Deo esse cupiebat, quam stabilitatem eiusque modum explicans ipse S. August. subiungit: *De meâ temporali vitâ nutabant omnia.*

S. August fuit Monachus in voto ante baptis.

8. Conf. c. 1.

Hinc etiam ante baptismũ tanta illi fuit cura, non quidem de baptismo, sed de vitæ statu, qualem explicat verbis tam vacillantibus, & imperfectis: *Videbam enim plenam Ecclesiam, & alius sic ibat: alius autem sic* placebat via, & ire per eius angustias adhuc pigebat, *nec me prohibebat Apostolus coniugari, quamuis exhortaretur ad melius. Audiueram ex ore veritatis esse spadones, qui seipsos castrauerunt propter regnũ cœlorũ, sed qui potest, inquit, capere capiat.* Et tandẽ vt clarius de vitâ monasticâ appareat loqui voluisse, inquit, *Et inueneram iam bonam margaritam, & venditis quæ haberem emenda erat, & dubitabam.* Audiuerat lectionem & Dei vocẽ prouocantẽ illum, vt surgeret à mortuis, & à somno; sed respõdebat: *modò ecce modò, sed modò & modò nõ habebant modũ: & sine paululũ in longũ ibat.* Hoc itaque dubium, hanc mutationem, hanc pigritiam, hunc somnum, & hoc *modò*, vt expelleret & vinceret, perrexit ad Simplicianum qui bonus apparebat ei seruus Dei, vt is proferret conferenti æstus suos, quis esset aptus modus sic affecto, vt ipse erat ad ambulandum in viâ Dei. Obtinuit etiam S. August. à S. Simpliciano salubre consilium: cœlibem vitã, verè cœlestẽ & à sapientibus omnibus maximè amatã, maximeque commendatã: quæ quidẽ videbatur S. Augustino placere, sed placere non credebat à S. Simpliciano, donec eum videret seculo valedixisse, castitatem amplexum esse, & relictis vanis remoris totum se Deo cõsecrasse, sicut in Victorino celebri Rhetore prius viderat & senserat. Huic tamen consilio videtur S. August. omnino acquieuisse, vnde *cap* 5. superato obstaculo contemptûs sæculi, quo solebat detineri ob non veritatis perceptionem, ob sæculi sarcinam, saporisq; altitudinem, qui illum vincebat, & prout libebat vinciebat. Tandem videtur resoluisse se velle omnia relinquere; & sic incipit sub initium capit. 6. *Et de vinculo quidem desiderij conoubitûs, quo arctissimè tenebar, & secularium negotiorum seruitute, quomodo me exemeris narrabo.* Vbi certè non loquitur de conuersione ad Catholicam religionem, sed ad statum Monachalem, vt optimè notat *D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 10. ad 3.*

Deliberatio S August. de vitæ statu.

8. Conf. c. 1.

Dubitatio de eodem.

8. Confes. 5.

Placuit S. August vita Monast.

Conuersio S. August ad monast. statum.

8. lib. Conf.

Probatur Monachismus ante baptisma ex modo conuersionis.

Hanc Monasticam conuersionem satis clarè indicat modus, quo se in illâ gessit: nam in illâ interim deliberatione ad villam Verecundi secessit, ibiq́; videtur à Deo illectus ad Monasticum & Eremiticum statum mentem corpusq́; totaliter composuisse: nam ibidem & in vicinis locis solitudine delectatus, Eremitarum societate captus, illorumq́; doctrinâ instructus, mirabilem ac insolitam sensit mentis refectionem. *Omnes mirabamur* (inquit) *& nos quia tam magna erant, & ille quia inaudita nobis erant. Inde sermo eius deuolutus est ad Monasteriorum greges & mores suaueolentiæ tuæ, & vbera deserta Eremi, quorum nos nihil sciebamus.* In quæ verba R. P. Petrus Maturus Societatis IESV celebris Theologus asserit. *Quid? quod ipse fugit hominum consortia, & post illud tempus in Verecundi rure cum amicis quibusdam communem & solitariam vitã quodammodo egit, idq́, ante baptismum, vt c. 9 & 5 narrat. nonne maximè reddit id verisimile, quod hoc loco scribit S. Antoninus, Eremiticum vitæ genus in suæ conuersionis initio fuisse sequutum?*

8. Conf. 6.

In scholys ad D. Anton. 3. p. tit. 24. c. 14.

Prob ex ipsâ conuersione.

Probari poterit adhuc, hæc Monastica conuersio, ex integro decursu conuersionis S. Augustini, quæ vires sumpsit à vitâ S. Antonij, cuius Monasteriorum greges & mores suaueolentiæ vehementer illi placuerunt: sicut & conuersio contubernalium Potitiani ab ipso Potitiano enarrata; cui præbuit aures promptissimas. Placuit valedictio aulæ Valentiniani, concessus ad parturitionem nouæ vitæ: expendit S. Augustinus laborem istorum insignẽ, ambitionem solicitam, mentem inquietam, paruam spem retributionis, bonũ fragile, plenum periculis, moram diuturnam, & mille alia aulicorum mala, quæ nihil aliud suadere poterant contubernalibus Potitiani, quàm horum omnium tam fallacium fugam. Quæ etiam D. Augustinum mouerunt, vt nõ diutius differret vitæ Monasticæ propositum, vnde ad horum exactam ruminationem inquit: *Ego me abrupi ab illâ spe nostrâ, & Deo seruire statui, & hoc ex horâ hac.* Quibus verbis S. Eucherius scribit: *Plures concitatos fuisse ad stadium Monasticum, cùm, inquit, se à sæculo in hanc beatiorẽ vitam contulerunt, dicentes: surgunt indocti, &c. & idcirco postea vim regno intulerunt.*

Labores aulę.

Cap. 6.

Epist. paren.

Probatur ex occasione cõuersionis.

8. Conf. 12.

Confirmat hunc S. Augustini Monachismũ aliud, & satis vehemens motiuum, quo à Deo ad conuersioẽ vocabatur. Cùm enim altâ consideratione vlterius contraxisset, & congessisset suam miseriam, & miseram Babylonis seruitutem, sensit ingentem lachrymarum imbrem oculos obruentem, &, relicto aliquantulùm Alipio, in remotiorem horti partem secessit, ac inibi sub fici arbore prostratus audiuit vocem è vicinâ domo, vt *Tolleret & legeret*, sublatoq́; libro coniectis oculis statim legit illud Apostoli: *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, nõ in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum.* Quam sententiam nõ casu, sed ex Dei prouidentiâ & nutu sibi à Deo dictam, & per hanc vitæ stylum Deo placitum, ac sibi indictum August. intellexit, quasi per *commessationum & ebrietatum abnegationem* sancta Paupertas designaretur, *cuius cibus* (vt inquit S. Fulgent.) *non habet sanguinem, sed iusculum vile, mansuetam supplens esuriem.* Per *cubilia & impudicitias* denegatas, Angelicam castitatem. & per *fugam contentionum ac æmulationũ*, simplicem obedientiam intellexit sibi desponsandam fore. *Illa enim non amat maiestatem, non odit æqualitatem, non fugit subiectionem, non erigit ceruicem, non contendit, non æmulatur, sed cum D. Paulo dicit. Domine quid me vis facere?*

Rom. 13.

Tria vota intellexit S. August.

Serm. 7.

Natura obedientię.

S. Bernard. serm. de S. Paulo.

Ad eundem finem recepit subsequentia verba S. August. *Induimini Dominũ nostrum Iesum Christum:* Considerabat enim bene S. Augustinus Christum nõ indui perfectè, nisi à Religiosis, qui inter mortales quam proximè ad vitam illius accedunt, illius mores assumunt, illius meritis vtuntur, illius calore se contegunt, illiusq́; exemplo omnia relinquunt, vt illum lucrifaciant.

Probatur idẽ ex Societ. Alipij Monachi.

8. Conf. 12.

Nec difficilè erit conuincere S. Augustinum hæc ita intellexisse consideranti verba & gestus S. Augustini post harum vocum perceptionem: Alipio enim illa statim retulit, & vt ipse S. August. narrat: *statim* Alipius *tali admonitione*

tione firmatus est, placitoq́, ac proposito bono, & cõgruentissimo suis moribus, quibus à me in melius iam olim valde, longeq́, distabat sine vllâ turbulentâ cunctatione cõiunctus est. quasi diceret. Alipius se mihi adiunxit in cõuersione Monasticâ hanc vocat *placitũ & bonum propositum.* Nam prius eodem modo narrauerat iisdem terminis tale placitum ac propositum ortum esse contubernalibus Pontiani. Vbi certum est quod non de baptismate, sed de seculi renuntiatione egerit.

Secundum argumentum conuincens S. Augustinum de Monachali statu intellexisse præfatam Apostoli sententiam colligitur ex aliis subsequentibus verbis eiusdem cap. 12. *Ingredimur ad Matrem, indicamus; gaudet; narramus quomodo gestum sit: exultat & triumphat, benedicit tibi, qui potens es vltra quàm petimus & intelligimus facere: qui tanto amplius sibi à te concessum de me videbat, quàm petere solebat miserabilibus flebilibusq́, gemitibus.* Petierat enim S. Monica, teste eodẽ Augustino, vt illũ *baptismus salutaris ablueret:* sed Deus amplius concessit S. Monicę, & vberius quàm voluerat de filio suo Augustino, ita vt nõ tantùm videret Christianũ baptizatũ: sed & Religiosum Deo dicatũ. Hoc *amplius* describit S. Augustinus his verbis: *Conuertisti ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem seculi huius, stans in eâ regulâ fidei, in quâ ante tot annos ei reuelaueras.* Hoc etiam *amplius* explicat S. August. referens verba S. Monicæ, quibus iam cupiebat dissolui & esse cum Christo, *vnũ erat* (inquit) *propter quod in hac vitâ aliquantulùm immorari cupiebam, vt te Christianum Catholicum viderem, priusquã morerer. Cumulatius hoc mihi Deus præstitit: vt te etiam contemptâ felicitate terrenâ videam eius seruum. Quid hic facio?* &c. Clarè hîc videtur quid sit illud *amplius* vel *cumulatius*, nimirum *seruitus Dei* siue vita Monastica: solent enim semper Religiosi seu Monachi vocari *Dei serui* fuitq́; hæc appellatio olim à sanctis Patribus cõmuniter Religiosis attributa: quia Religiosi sunt propriè Dei obsequio dedicati, temporali subsidio destituti, & vt serui propriâ voluntate priuati: Sic D. Dionysius: sic S. Possidius in vitâ S. August. Saluianus lib. 8. de prouidentiâ: S. Gregorius ad Episcopum Ariminensem: S. Antoninus 2. parte histor. cap. 12. S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. Claudius Spen. Idem S. Augustinus sæpissimè vtitur hac Religiosi etymologiâ vt videre est *Serm. 49. & 50. de diuersis.* In Regulâ inquit *famulo Dei dicente*, &c. ep. 46. inquit, *Non esse istam viam dandam seruis Dei*, &c. Quæ verba adducens S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. dicit *seruus Dei id est Monachus.* Clarissimè epist. 133. dicit S. August. *Ex quo Deo seruire cœpi difficilè expertus sum meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt.* lib. de grat. & lib. arbit. vocat *seruientes Dei* Adrumentinos, quos lib. 2. Retract. c. 6. *Monachos* appellat lib. de opere Monach. c. 22. 25. 27. 28. & vltimo. item lib. 22. de Ciuit. constanter de Monachis loquens eosdem *seruos Dei* vocat. Ex quibus locis constat, non sine magnâ iniuriâ aliter explicari posse illud *cumulatius* S. Monicæ, quo videbat S. Augustinum *seruum Dei*, id est Monachum.

Probatur idem ex verbis S. Monicæ. 8. Conf.

6. Conf. c. 13.

Explicatur Amplius S. Monicæ. 8. Confess. 12.

Lib. 9. c. 10.

Serui Dei propriè sunt Monachi.

Cap. 6. Eccl. hier. c. 2. & 3.

Lib. 4. de cont. cap. 5.

Lib. de Gust. Eccl. c. 16.

Cap. 1.

Probatur idẽ ex verbis S. August. Cap. 1.

Tandem Monachismum S. Augustini saltem in voto ante baptismum euidenter describit ipse S. Augustinus lib. de vitâ beatâ: vbi Monasticum statum nuncupat *Philosophiæ gremium*, inquiens: *sed ne in Philosophiæ gremium celeriter aduolarem, fateor, vxoris honorisq́, illecebrâ detinebar.* Alludit enim ad tritum Mundi diuerbium, quo solet sui contemptores & soli Deo vacantes Philosophos stolidos dicere, vel describit his verbis S. Augustinus veram Religionis naturam, quæ suauissimum Philosophiæ gremium iure meritoque appellari potest, cum nullibi, præterquam in hoc statu, homo remotior â secularibus turbis, & loco, & societate, & Mundi ludibriis melius ac securius quiescat, teste D. Bernardo, qui inquit: *Homo hic viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, moritur fidentius, præmiatur copiosius.*

Status Religiosus est sancta Philosophia.

Laus Religionis. Hom. 13. in Matth.

Hoc Philosophiæ seu Sapientiæ gremium describit S. Augustinus se expertum esse, post obfirmatam mentem de statu Monastico aggrediendo, inquiens: *Quàm suaue mihi subitò factū est carere suauitatibus nugarū, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat! Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, acquirendi, & volutandi, atq; scalpendi scabiem libidinum.* Quibus verbis, vt testantur Spenc. lib. de cont. cap. 8. Molanus ad Martyrol. Vsuardi 28. Augusti, Naucletus, & Anton. Posseu. ad viuum expressit S. Augustinus professionem suam Monasticam coniunctam voto obedientiæ, per quod liberabatur à mordacibus curis ambiendi: sicut per votum paupertatis à curis acquirendi: & per indictam sibi castitatem à curis scalpendi scabie libidinis.

Lib. 9. Conf. cap. 1. Commod. Religions. Votum ingeratur, 14. Aug. 391. Tom. 1. appar. Verbo Aureli.

CAPVT IV.

De Monachismo S. AVGVSTINI post baptismum.

CVM duobus modis colligamus ex Sermone 50. de diuers. posse dici Monachum affectu scilicet, & effectu: demonstrato in præcedenti capite affectu S. P. Augustini ad Monachismum, ad quem nō secus ac ad baptismum se præparauit, superest, vt eundem etiam effectu Monachum post baptismum fuisse declaremus.

Error Holkot, Erasmi, & Luth.

Robertus Holkot, lect. 95. in lib. Sapientiæ expressè negat S. Augustinū Monachum fuisse: citans enim SS. Gregorium, Augustinum, Hieronymum, Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum subdit: *Qui omnes Monachi fuere, excepto Augustino.* Impudentius hoc negauit Erasmus Monachatum irridens & Regulam nunquam Monachis scriptam defendens: quod vt facilius obtineret, pleraque verba operum S. Augustini, ex quibus Monachismus illius euidentius poterat erui, expunxit. Sic cap. 39. lib. Medit. loco verborum: *post Religionis ingressum*; apposuit, *post baptismum acceptum*. Idem blaspbemo & impio ore negauit Lutherus, teste Francisco Feuardentio in sua Theomachiā Caluinisticā recitante hæc verba Lutheri: *Augustinus non habuit vitam portentosam & monasticam: sed Papistæ effingunt talia in defensionem suorum errorum.* Non desunt etiam aliquamuis pauci, & nasuti homines, in multis Erasmizantes, qui Monachismum S. Patris Augustini vellent eludere, ac dolosè subobscurare, verentes fortè, ne cum Wicleff damnato in Concilio Constantiensi, si S. Augustinum Monachum ac Monachorum institutorem dixerint, viderentur exinde sentire illum damnatum: vel ne cogantur & ipsi Monachi, à quo nomine satis abhorrent, vocari. Conuincit tamen Monachismum S. Augustini tota Historicorum schola, vt postea ostendemus: nunc libet tantum aliquot S. Patris Augustini & Possidij testimonia examinare.

L. 8. c. 14. de vitis patrum.

Blasphemia Wicleffi.

S. Aug. fuit Monachus.

Et primò nulli hoc dubium erit, qui diligenter rationes & authoritates antedicti capitis expenderit. Quis enim vel cogitare audeat S. Augustinum à tam sancto proposito defecisse, consilium Simpliciani Monachi spreuisse, vel de emptione margaritæ Euangelicæ semper dubitasse, Philosophiæ gremio semper caruisse, vel Deo non perfectè seruiuisse, & non ita conuersum fuisse, vt vxorem non quæreret, nec aliquam spem seculi, cùm hæc omnia, satis clarè recenseat, fuisse ablata, non verò ablata, immò cùm plæraq; horū facta indicet, & de factis congratulationem matris enarret? Nè tamen aliquis plus nimium sapiens aliquid desideret, clarius formam Monachismi dispositioni præcedenti correspondentem astruemus.

Probatur ex Possidio. Cap. 1.

Possidius in vitā S. August. tempus post baptisma exactū enarrans inquit: *Mox ex intimis cordis medullis ad Deum conuersus spem omnem, quam habebat in seculo, dereliquit iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias seculi quærens*, &c. Vbi probus Lector consideret, quomodo teste Possidio S. AVGVSTINVS omnibus renunciauerit, castitatem amplexus fuerit, & diuitias seculi

feculi non quæſierit, ſed in paupertate vixerit, & ne quis ſibi perſuadeat hoc S. Auguſtinum potuiſſe domi ſuæ facere abſque aliquâ obedientiâ, vel ſocietate bonorum fratrum, legat ſubſequentia verba Poſſidij: *Sed ſoli Deo ſeruire ſtatuit in illo, & de puſillo illo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur dicens: Nolite timere puſillus grex, &c.* & illud, quod iterum dicit Dominus: *Vendite quæ poſſidetis & date eleemoſynam, facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt.* & paulò poſt inquit de S. Auguſt. *Hoc idem Vir ſanctus facere cupiens: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, da pauperibus, & ſequere me.*

Luc. 12.

Quibus verbis clariſſimè docet Poſſidius, S. Auguſt. obſeruaſſe conſilia Euangelica, quæ hiſce preciſè verbis à Christo Saluatore ſunt propoſita Perfectioribus, & in quibus ſtatus Monaſticæ vitæ vel maximè fundatur. At quia rurſus Criticus aliquis poſſet obijcere. S. Auguſtinum hoc tantùm facere voluiſſe, at nihil feciſſe. Subiungit idem Poſſid. *Matre Monicâ ſola ſuperſtite, & de ſuſcepto eius propoſito ſeruiendi Deo amplius, quàm de carnis nepotibus exultante.* Vbi *propoſitum* non ſignificat bonam intentionem tantùm, ſed potius ſtatum conceptum, ac in actu poſitum, quaſi ante poſitum & exercitum, in quo ſenſu *propoſitum* plerumque à SS. Patribus vſurpatur.

Propoſitum ſignificat ſtatum religioſum apud SS. PP.

D. Aug lib. 2. Retract. inquit. *Inter Laicos inferioris propoſiti exiſtere cœperant tumultuoſa certamina,* vbi per *Laicos inferioris propoſiti,* intelligit Monachos eremitas, nondum clericos. Sic Epiſt. 8. narrans, quod multos adduxerit ad ſtatum perfectionis Euangelicæ, Religionis. *de quo Dominus dixerat adoleſcenti. Vade & vende omnia, &c.* inquit, *& ad hoc propoſitum multos adhortor.* Idem S. P. Aug. ſerm. 49. de diuerſis. *Noueram omnes noſſe propoſitum noſtrum*, quod explicans, inquit, *noſſe legem vitæ noſtræ.*

Cap. 21.

Ad Nepot. de vita clerical.

D. Hieron. clariſſimè hoc verbo *Propoſiti* deſignat ſtatum Monachalem. *Quanto magis inquit in Monachis & Clericis, quorum Sacerdotium Propoſito,* id eſt ſtatu Monaſtico, *& Propoſitum ornatur Sacerdotio.* Idem S. Hieron. diſſuadens S. Paulino multas peregrinationes, quæ non ita decent Religioſos, inquit. *Conſiderans propoſitum tuum, & ardorem quo ſeculo renuntiaſti, melius eſſe arbitror vt in agello habites, & Christum quæras in ſolitudine, ne Propoſitum Monachi amittas,* &c. & paulo inferius inquit, *Habet enim vnumquodque propoſitum ſuos Duces,* &c. *nos autem Eremitæ ſeu Religioſi habeamus propoſiti noſtri Principes, Paulos, Antonios, Macharios, &c.* ex quo videre eſt, quàm apertè & conſtanter, hoc nomen *propoſitum* ſignificet Monaſticum ſtatum. Fuit etiam hoc nomen familiare in tali ſignificatione ipſi Poſſidio qui aſſignans rationem quare ſcripſerit vitam S. Auguſtini, inquit, *Memor propoſiti mei,* id eſt, *Monachatûs, ſeu Profeſſionis* ita vt meritò explicari debeat locus ſupra citatus *gaudij de ſuſcepto eius propoſito ſeruiendi Deo:* quaſi gaudium fuerit de Monaſtico inſtituto. Hoc etiam indicat & ipſa phraſis, ſi enim non ſignificaret *propoſitum ſeruiendi Deo* Monaſticum inſtitutum in actu, non propriè poſſet dici. S. Aug. *ſuſceptum propoſitum:* ſed potius diceretur conceptum: quia noſtra vota, cogitationes, & intentiones concipimus: aliena vero ſuſcipimus

Epiſt. 13.

In Prolog.

Confirmat ſuſceptum Monaſticum vitæ genus quod ibidem apud Poſſid. legimus: *Renuntiaſſe Auguſtinum ſcholaribus ſecularibus, quos Rhetoricam docebat, illiſq; indixiſſe, vt ſibi alium magiſtrum prouiderent, eò quòd ſeruire Deo decreuiſſet.* Potuiſſet enim S. Auguſtinus adhuc frui beneficio ſuæ cathedræ quamuis baptizatus, & Deo ſeruiens officio pietatis: ſicut ipſemet narrat Victorinum Romæ feciſſe; niſi voluiſſet Monaſterio alicui ſe includere, & ita Deo ſeruire: illa enim ſeruitus Clauſtralis ſola publicam literarum profeſſionem non admittebat, quo ſenſu etiam cecinit Paulinus:

2. Locus Poſſidij in confir. mat. monach. S. Aug.

8. Confeſſ. 2.

Negant Camœnis nec patent Apollini
Dicata Christi pectora:

Ita

Part. 3. tit. 24. c. 4. §. 2.

Ita explicant hunc locum S. Antoninus, & P. Matutus vir verè maturi iudicij in glossis ibidem.

Testimonium S. Augustini.

Probatur vlterius hic status Monasticus S. Augustini proprio testimonio in Psalm 22. vbi sibi applicat versiculum illum: *Super aquas refectionis educauit me, &c. Super aquas baptismi quo reficiuntur, qui integritatem amiserunt, educauit me Deus, & deduxit in angustis itineribus per quæ pauci ambulant.* Quod sanè de alio statu explicari non potest quàm de Monastico: qui est angustus & parum vsitatus, quibus titulis frequenter honoratur à SS. Patribus.

Aliud testimonium S. Augustini mentionem faciens sui status habemus lib. 22. de Ciuit. cap 8. Vbi narrans reditum suum suorumque ex Africa, inquit: *Venientes de locis transmarinis me & fratrem meum Alipium nondum quidem Clericos sed iam Deo seruientes, vt erat cum totâ domo suâ religiosissimus, ipse susceperat.* Loquitur de Innocentio Exaduocato, qui hospes fuit S Augustini illum suscipiendo nondum Clericum & in Ordinibus sacris constitutum: sed iam Monachum Deo seruientem, iuxta id quod supra explicauimus. Certiora adhuc extant testimonia Monachismi S. Augustini quale est illud super Psalm. 132. vbi explicans verba illa: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum*, se suósque formaliter Monachos appellat, miraturque, quod Monachi appellari non possint. Quæ testimonia libens omitto: quia incertum vitæ tempus attingunt, cùm iam ex proposito Monachismum adhuc in Italiâ existentis conemur declarare.

Mirabiliter subseruit huic intentioni cap. 39. lib. Meditationum: Vbi S Augustinus serium vitæ suæ statum ac animi motus, seriò declarans, altissima refert Dei beneficia distinguens tempora ac momenta vitæ suæ: *Ecce Domine, quia in peccatis fui conceptus & natus, & tu me abluisti & sanctificasti, & ego postea me maioribus sordidaui peccatis: sed tua Domine miserationis non immemor tulisti me de domo Patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum, & inspirasti mihi vt sequerer te cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis, & tecum discumbentium in cœnaculo altissimæ paupertatis.* Quæ omnia narrat sibi contigisse ante tempus baptismatis, ante quod in peccatis fuerat conceptus, & natus in necessarijs, magis tamen postea volutatus in spontaneis, quamuis dono Dei à sectâ Manichæâ, quæ paterna erant tabernacula fuerit liberatus, maximum tamen subsequitur beneficium inspiratæ religionis, quam designat, *per Dei sequelam cum generatione quærentium Dei faciem*, quod satis declarant verba subsequentia, obedientiam, castitatem, ac paupertatem designantia, quæ Religiosis sunt propria. Exprimunt hoc magis alia verba quæ subsequuntur. *Post religionis ingressum multa commisi illicita.* Notauerat hoc Erasmus in hunc locum; vnde ne deberet concedere S. Augustinum fuisse Religiosum totum sensum huius sententiæ inuertit, & loco horum verborum: *Post religionis ingressum.* posuit. *Post acceptum baptisma.* Præter Erasmum displicet hæc sententia, vti & alia pleraque operum S. Augustini cuidã Viro, alioquin Catholico; vnde ex his, & alijs colligit libros meditationum, qui illius nomine circumferuntur, non esse S. Augustini, sed alterius recentioris, pij tamen authoris. Quia forte. c. 31. Legit, *fidem S Aug. ab incunabulis illuminatam semper per illustrationem gratiæ Diuinæ*, quod non credit. An non hoc clarè dicit. S. Aug. *Figam pedes meos in eo gradu, in quo puer à parentibus positus eram*, & aliàs, de petitione baptismi loquutus, inquit, *melior eram puer, quando illum de maternâ pietate flagitaui.* Illuminatum etiam fuisse semper gratiâ Diuinâ, constat *ex lib. 6. confes. c 5.* vbi ostendit semper se aliquid credidisse libris sacris, venerabilem ac sacrosanctam eorundem authoritatem suspiciens: quod à Diuinâ illuminatione profectum fatetur. *Cogitabam hæc & aderas mihi, suspirabam & audiebas me, fluctuabam & gubernabas me, ibam per seculi viam latam nec deserebas me.* Et multo apertius libro. *9. Confess. cap. 1.* enar-

Status Monasticus expressus.

Defenduntur meditationes S. Augustini.

Lib. 6. Confess. c. 11

Respondetur coniecturis Critici.

enarrat Diuinam gratiam, suauitatem, dulcedinem, & claritatem quâ reficiebatur, quamuis non in carne & sanguine, Vnde inquit: *Garriebam tibi claritati meæ, diuitijs meis, & saluti meæ.*

Idem Criticus superiora verba de maioribus peccatis commissis post ablutionem non putat conuenire S. Augustino, & sic has meditationes ex illius operibus expungit, maximè vbi audit S. August. fatentem ingratitudinem suam, quâ *post baptismum* vel vt alij legunt *post Religionis ingressum* multa dicit se commisisse illicita. At certè non attendit hic bonus vir, S. August. ex summâ animi submissione loqui, conscientiâ omnino tenerâ, quæ læuissima, & nulla fere peccata, grauia æstimabat: vt loquitur idem Sanctus *lib. 10. Confes. c. 34 & 35.* vbi dicit *se resistere seductionibus oculorum, illos tamen amare pulchras formas, nitidos & amœnos colores, accidere etiam vt amplius cantus quàm res quæ canitur moueat,* in quibus *pænaliter* (inquit) *me peccare confiteor.* Idem S. August. loquens de linguæ vitio inquit Deo, *Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.* Annon accusat se aliàs, quod in gustu *edendi ac bibendi adiungit se tamquam pedissequa* insolens *periculosa iucunditas*? & iterum quod casu leporem plagis implicatum, & muscam araneæ telis inhærentem curiosius contemplatus fuerit? Quid mirum ergo si *post baptismum* aut *Religionis ingressum* dicat se commisisse illicita? Non video quid difficultatis habeat hæc sententia S. August. lib. med. c. 39. Si dicamus S. Aug vti verè fuit, fuisse in peccatis conceptum & natum, Deum quantum in se fuit illum abluisse & sanctificasse, offerendo baptismum, imo inspirando S. Augustino vt eundē peteret adhuc puer: attamen post hanc gratiam maioribus se inquinasse peccatis, voluntarijs &c. Deum etiam suæ miserationis non immemorem eundem tulisse de tabernaculis Manichæorum, & inspirasse statum Monasticum Quo accepto vnà cum baptismo, rursus S. Augustinum illicita commisisse An non hæc omnia conueniunt?

Cap. 33. *Cap. 37.* *Cap. 31.* *Cap. 35.*

Multò minus lib. medit. S. Augustino debet detrahi, quia recitat periodos ex lib. Confess. nam nihil familiarius authoribus, quàm eodem stylo, etiam iisdem verbis nonnunquam vti in alijs & alijs suorum operum libris, maximè vbi, vel eadem, vel similis materia occurrit discutienda. Lib. de oper. Monachorum, frequenter vtitur verbis regulæ: in homilijs repetit explicationem Psalmorum neque semper eodem sensu explicat verba Apostoli, aut Psalmographi, sensus elicit diuersos ex abundanti mari sacræ scripturæ. Quàm diuersæ explicationes illorum verborum *in medio duorum animalium cognosceris?* reperiuntur, lib. 18. de ciuit. Dei. c. 32. Quid mirū si S. August. in Confess. cœleste opificium considerans exclamet, *ô domus luminosa & speciosa!* & in c. 20. medit. velit domum hanc esse multitudinem beatorum? Nescio vnde Criticus tam materialis sit, vt solam materiam cæli voluerit considerasse S. August. in Confess. non causam tanti luminis, vel tanto lumine fruentes; quasi verò dum monasterium aliquod laudo, vel vitupero ipsis muris dicam me affici, non potius moribus & incolis.

Enarr Psa. 40. 1 q. de Verbis D. cap. 15. lib. 22.

Similiter vana est correctio medit. cap. 33. D. Augustini: *Laudantis Deum tamquam magna portio creaturæ Dei,* certè homo si non esset magna portio creaturę, non diceretur *paulominus ab Angelis creatus, constitutus super omnia opera,* non diceretur ibidem. *Omnia subiecisti sub pedibus eius,* non diceretur *omnis creatura.* Hoc certè magni homo debet facere, Deoque non semel, sed centies millies gratias agere, quod propter ipsum fecerit omnia.

Rideo quod dicat crisis, & Larua crisim castigans, Augustinum meditantem vti verbis S. Gregorij, cùm non sciat vtrum S. Gregorius legerit meditat. S. Augustini, quod verisimilius.

Voces incognitas S. Augnst. non video in meditat. multas proles, soboles, progenies Latinæ sunt, communes historicis cum poëtis, aliæ insperſæ

sunt

fint à sciolis, & has velim eliminari ab his, quibus melior calamus. Certum est nec S. Anselmum his vsum fuisse, prout tamen ijs non infrequenter vsus fuit S. August. vt Laruatus Castigator ostendit, in proleg § 6. Hymnus P. Damiani insertus, si Damiani est, restituatur per eosdem. Cætera S. Augustio iam ab antiquo remaneant donec certus erit horum author, non coniecturis, nec vanis persuasionibus inductus, quod non paruam confusionem inducit. Desinant homines iactare sua perspicilia, quibus ita Lyncei sunt in sanctis Patribus, vt quamlibet vmbram næuum appellent, vel quamlibet phrasium mutationem, stylum: nouit aliquando Criticus vnum stylum S. Augustini hoc anno, intra anuum idem displicet: displicet è contra, postea placet. Non bene olet, qui semper bene olet.

CAPVT V.

Probatur Monachismus S. AVGVSTINI ex sermone S. Ambrosij.

OMNEM dubitationem de Monachismo S. Augustini post baptismum eximit etiam vel maximè curioso Lectori sermo S. Ambrosij habitus de ipso baptismo, quem hic describendum decreui, eumq; vti verum S. Ambrosij partũ vendere hominibus etiam citta fastidientibus: Non enim arma nostra, ideo arma esse non debent, quia ab aliquibus fortè viciata, vel insimulata sinistræ fidei vitio; imo potiùs eadem sunt aptanda, vt metuentibus dent significationem. Solenne hoc etiam est hæreticis, vt dum apertum Scripturæ locum absque vllo effugio errori suo noxium ootant, illum dicant insertum, vanum, stramineum, vel quò magis ipsis credatur, totum librum apocryphi morbo laborantem incusant. Sic reijciunt libros Machabæorum, ne cogantur preces pro defunctis admittere: Sic epistolam Iacobi stramineam vocant, ne fidem sine operibus amittant, & Sacraméntum extremæ Vnctionis admittant. Sermo itaque S. Ambrosij sic habet:

In antiq. impress. Paris. 1549. & Basil. 1492. & alibi.

Quod his diebus contigit fratres humanissimi vidistis; quibus Domini nostri JESV Christi summam potestatem & clementiam intelligere potuimus: memoriæq; mandare debemus, quòd in nullâ re magis Christianis gratulari possumus, quàm quòd hoc tempore & ætate nostrâ mirandum oculis nostris vidimus. Diuinæ clementiæ innumeras gratias agere debemus, quòd Augustinus Afer Carthaginensis, Philosophus acutissimus, contempto gentilium cultu, ad veram Christianam religionem Diuino nutu tandem peruenit. Hoc Resurrectionis tempus duplici lætitiâ celebrandum est: Christi scilicet victoriâ potito ac deleto inferorum imperio: & Augustini conuersione, quæ Christianis plurimùm confert. Quis expugnauit animum, quis superauit? Non argumenta, non vis aliqua verborum: sed Dei dumtaxat virtus & clementia. Nonne Rhetor hic habebatur præstantissimus? Nonne eius doctrinâ accinctus Mediolanum venit: ibi à cunctis ciuibus honorificè susceptus est? Ad quid tanta liberalium disciplinarum eruditio? tantum Philosophiæ acumen? Ad quid illud acre ingenium: illa Dialectica: cæteraq; artes sine Præceptore adepta ad hoc vt Diuina potentia magis eluceat Mortalibus? Quò Aristotelica institutio in disputando, simulationes, difficultates tendebant: versutia: contentiones & astutiæ, quibus maximè erat instructus: argumentaq; contra sacrarum literarum Scripturas cùm vnà essemus adducta: in quibus Diuinum quandoq; imploramus auxilium? Quò tanta in dicendo hominis gratia? tanta in dicendo copia atq; facundia, vt non temerè eius dicta dissolui potuissent? Ad hoc vt fides Christi stabiliretur. Sæpius me eum tentasse intelligitis: quo inter dissensiones nostras virtus Diuina operaretur. Optabam mirum in modum hominem tanta doctrinæ illuminari: à quo summa gloria & splendor vt in merito Christi oriri posset. Verùm etiam Augustinus tantâ interdum pertinaciâ & disputationis suæ acrimoniâ ac vehementiâ

Eloquentia & doctrina S. Augustini.

nos

nos vrgebat: vt inter supplicationes nostras, quòd Deus ab eius captionibus nos auerteret, rogare coacti sumus. Matris eius Monicæ precibus & lachrymis penè continuis, nostrisq́; orationibus aliquantisper adhærere cœpit: & prædicationibus nostris aliquandò interesse cupiebat, in quibus fidei nostræ syncerıtatem omnibus disciplinis, & omnium artium argumentis antecedere ostendebamus. Diuino tandem auxilio Christi veram religionem amplexus est: vnde humanum genus & Christi fideles meritò iubilare possunt. Verumtamen Simpliciano nostro probatæ sanctitatis viro non minores gratiæ agendæ sunt: à quo Augustinus de religione beatâ feliciq́; vitâ instructus est: à quo idem multa de Christi fide, tum exempla, tum miracula accepit, quibus, si quæ hæresis rubigo esset, penitus animum absterſit, quibus à se omnis dubitationis timor propulsatus est. Quantis fratres charissimi lachrymis errorem confessus est suum? quanto luctu conuersionis diuturnitatem conquestus est? quibus verbis, & quo dolore seram pœnitentiam damnauit? dimidiam enim ferme vitæ suæ partem inter Gentilium mores, ac vanas disciplinas, mundanosq́; errores consumpsit. Iubilate de tantâ victoria, in quâ Augustinus tamquam dux cum Commilitonibus suis Adeodato & Alypio socio, captiui nostri sunt. Hæc quidem captiuitas Augustinum beatum faciet, regnum Dei parabit. Triumphare tamen visus est Augustinus illâ præsertim horâ, in quâ nouum hominem sacro baptismate induimus: in quo vnà nobiscum Diuino quodam instinctu hymnum cantauimus de Christi fide. Et vberiùs vt instrueretur, & à cæteris Gentilium opinionibus & erroribus remoueretur, totum cognitionis animum intendit. Nouum in Christi fide militem habemus acerrimum contra Gentiles hostes: contra hæreticos inuictissimum Imperatorem. Nouum Christianum nouis vestimentis: cucullâ nigrâ induimus: cingulo ex corio nosipsi præcinximus, quod Simplicianus noster ingenti lætitiâ donauit. Agamus gratias Domino Iesu Christo ingentes, quòd religioni nostræ talem ac tantum Principem instituit. Gaudeamus omnes Domino, qui omnia virtute suâ continet, & incomprehensibili maiestate vniuersa complectitur. Gaudeant Angeli Augustini tam celebri conuersione. Gaudeant cælum & vniuersa terra. Benedicant omnes Dominum: quia ad conferendum hominibus subsidium creauit & illuminauit Augustinum; à quo tamquam religionis exordio Christiani auxilium caperent & suffragium; à quo deniq́; religionis constitutiones oriri poterunt. Hanc Augustini conuersionem in futurum homines Diuinis prosequentur honoribus. Amen.

S. Simplicianus partem habet in conuerſ. S. August.

Socij S. August.

Hymnus Te Deum decantatus.

Habitus S August.

Sufficientissimam fidem huic sermoni facit ipsa antiquitas, quæ per se venerabilis, à trecentis enim annis & amplius, absque vlla contradictione inter opera D. Ambrosij locum pacificâ possessione obtinuit. Nec vnquam aliquis, nisi pauci abhinc annis, eum iussit exulare, ad indignationem certè & stuporem doctissimorum virorum, qui futilia argumenta trepidantium istorum vbi non est timor facilè euadunt, & pro illius veritate insolubilia subministrant.

Quid enim futilius, quàm inculpare authorem huius sermonis, eumque propterea reijcere quia S. August. hic *Afer Carthaginensis* nuncupatur, cùm *Tagastensis* fuerit? Duplicem sciunt Cosmographi Africam, seu potius eandem Africam in duas præcipuas partes subdiuidi, quarum vna Carthaginensis, à celeberrimâ ibidem vrbe: altera Cyrenensis à simili connotato appellationem sortitur. Nullâ certè iniuriâ vocarem Landshergensem Bauarum Monachiensem, à superiori Bauariâ, cuius metropolis est Monachium, vel Belgam Antuerpiensem, ex Brabantiâ oriundum. Accedit quod D. August diu Carthagine fuerit conuersatus, ibi educatus, ibi operam dedit litteris, ibi illas docuit, & publico stipendio ibidem claruit. Quare quæso non posset vocari Carthaginensis, sicut Christus Nazaræus: sicut Scipio Africanus: Antonius alter Patauinus, &c.? Tandem nihil euincet hoc argumentum apud viros graues, qui communitati assueuerunt; Illi Italos plærosque, ne dicam omnes, vocant Romanos: Belgas omnes Flandros: Gallos omnes dicant Parisienses, à maiori sumentes denominationem, solam metropolim nominantes, dum alias ciuitates vel non norunt, vel non æstimant.

Soluuntur argumenta contra hunc sermonem.

Ad 2. Respondetur.

7. Conf. 9.

Nec minus friuolè inculpatur author huius sermonis, quòd S. Augustinum dicat à Gentilium cultu ad Ecclesiam venisse, cùm & ipse Augustinus hoc dicat: *Ego ad te veneram ex Gentibus.* Nec aliter poterat dicere: Manichæi enim qui phantasma lucidum adorabant, & qui baptismũ ad multos annos differebant: Academici etiam, qui nihil credebant, nisi quod videbant, parũ à Gentilibus distabant. An non Gentilis & Paganus fuit Augustinus, qui vsq; ad trigenariá ætatem distulit baptismũ nullius nisi Gentilitij cultûs seruus?

Ad 3. Respondetur pro nigris vestibus.

Futilia sunt, quæ isti Censores fingunt de albis vestibus, quibus Catechumeni ad octiduum triumphabant territi nigredine, quam hîc inculcat Ambrosius, cuius coloris veste nouus Christianus hîc dicitur indutus. Si enim isti oculati tempora distinguerent, Augustinum Catechumenum viderent vestibus albis triumphasse vsq; ad Dominicam in albis, & post illam possibile fuisse nigris indui, immo ex ipso textu hoc cognoscerent factum. Narrat enim textus Sermonis: *Quod his diebus contigerat*, non, *ipsâ die initiationis.* Baptismo S. Augustini deputabatur vigesima quarta Aprilis Monasticæ initiationi secunda vel tertia Maij: Sermoni verò 5. Maij, quo ipsius Conuersio & initiatio stabilita, & annalibus Ecclesiasticis fuit inscripta.

Ad 4. Respondetur.
Cap. 3.

Nec quod obijcitur ex *6. lib. Confess.* S. Augustinum ob grauia negotia S. Ambrosij non potuisse toties cum eodem S. Ambrosio agere, & quærere quod volebat: contrarium sensum in hoc sermone habet: cùm dicitur *Augustinus sæpe cum Ambrosio disputasse.* Videbantur D. Ambrosio fuisse frequentes sermones, & S. Augustino pauci: quia Ambrosium secludebant mille negotiosorum hominum cateruæ; vnde nec aures, nec labia cuilibet quantum voluisset poterat concedere: Æstus verò & desideria S. Augustini otiosum illum valde requirebant, vt sedaretur flamma concepta, & si aliquot colloquia pauca nominat. Intercessisse aliqua colloquia cõstat ex ipso Breuiario Romano in lectione de S. Monicá, vbi & priuatorum colloquiorum & frequentis accessûs ad S. Ambrosium fit mentio. Constat etiam ex *epist 86.* cum Vrbico disputatore, cuius materia à S. Augustino adhuc Catechumeno tractata fuisse indicatur cum Ambrosio.

Ad 5. Respondetur pro stylo.

Commune est valde argumentum, quo stylum huius Sermonis ab alijs S. Ambrosij discernunt Litteriones. Fallit tamen aliquando illa Grammatica, & Authores alioqui satis constantes vario tempore, variâ ætate, valetudine, materiâ, coram alijs Auditoribus facit esse varios. Et, vt dicam quod res est, nihil video in hoc Sermone dissonum à mellifluo Ambrosio: locutio congrua, nisi quæ per incuriam typographorum irrepsit: phrasis ibidem non vulgaris: dictio nulla inconcinna; nihil hîc video, nisi quod pleno iudicio videtur conscriptum, lineamenta S. Ambrosij apparent.

Probatur sermo S. Ambros. ab Auth.
3. part. hist tit 24. c. 12. §. 2.
Maturus ibidem.
In Martyrol. 5. Maij.
De vir illust. ord. S. Ben. Colonia 1575.

Nec solus ego hîc Sapio: sed plurimos fidei probatissimæ testes conduco, qui hunc esse Sermonem D. Ambrosij censent. *Clemens Papa sextus homiliâ in festo S. August. ab ipso recitatâ*, cuius initium. sic habet: *Nephtalim ceruus emissus, &c.* B. Iordanus lib. 1. vit. fratrum. c. 15. S. Anton. Greg. Valent. *2. 2. disp. 10. q. 4. puncto. 1. & Controu. de statu Relig cap. 2. arg. 2.* Hier. Torren. *in Confess. Aug. cap 6.* Petrus Morsalius & Maurolicini. Dionys. Carth. *Serm. 1. de S. August.* Carolus Tapiam *Tractatu de Religiosis rebus super Authent. Ingressi. verb. Monasteria. cap. 18. num. 1.* Iudocus Clitoueus *Serm. de S. August.* F. Ioan. Riocbe Francisc *in libro Compendij temporis c. 28.* Author prologi ante Regulam per Tritemium declaratam. Basilius Santorus: & Petri de Natalibus successor *in vitâ S. Simpliciani.* Et, quos magni facio, Mambricius & Hilarion accuratissimi Scriptores rerum Mediolanensium, alijq; innumeri hunc Sermonem tamquam legitimum Ambrosij partum amplexantur, nec de vllo successu enarratorũ dubitant: immo mirantur, & ego non parum, si hic non sit D. Ambrosij Sermo, nullam omnino fieri tantæ victoriæ mentionẽ in alijs operibus S. Ambrosij,

Confir-

Confirmat etiam hunc Sermonem, quod apud Dionys. Carth. & apud Mediolanensium scriptores legimus à D. Ambrosio Sacrum fuisse compositum pro gratiarum actione, & præfationem, quâ S. Ambrosius inquit: *Magnificentiam tuam Domine in mortificatione Augustini adoramus*, &c. Quod Sacrum adhuc hodie superest in antiquis Ritualibus; ex quo sic deducitur argumentum: Materia baptismatis S. Augustini habuit Sacrum; ergo & Sermonem. Et concludit rectè à maiori ad minus affirmatiuè.

Probatur Sermo per Sacrū.

Fidem etiam non paruam addit huic Sermoni, quod *S. Ambrosius epist. 36.* defendit mutationem habitus S. Paulini contra calumniatores arguentes illos non mirari: *Et cùm ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra: si fortè Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant.*

Mutatio habitûs erat communis. Ad Sabin. Episc.

Tandem me conuincit, & omnem alium non obstinatum conuincet Sermonem hunc esse S. Ambrosij: Quod in eo audiamus memoriam celeberrimi illius Hymni: *Te Deum laudamus*, qui à S. Ambrosio hîc vocatur *Hymnus de Christi fide*, per antonomasiam, cùm illam plenè contineat. Quem vti fœtum horum Doctorum agnouit, eoque iam vsa est à mille annis & amplius Ecclesia Mediolanensis, in quâ ipsum autographum manu vtriusque Doctoris alternatim hoc canticum componentium & scribentium dicitur adhuc hodie religiosè coli & seruari inter alia Sacrarij ornamenta non minimum. Iulianus Archiepisc. Tolet. hunc in Ecclesiam suam inuexit anno DCC. & non ita pòst vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ propositus fuit, ab eaque iam recitatur à seculis sub titulo SS. Ambrosij & Augustini. Nec desunt huius veritatis cùm antiquiorum recentiores testes: Rudolphus Tongreus lib. de con. obser. proposit. 13. Iacobus de Voragine in libro *Flos sanctorum* Honorius in speculo Ecclesiæ. Iacobus Valent. Bernardus Episc. Spalatensis in orat. 2. coram Conc. Lateran. Sabell. part. 2. Ennead. c. 7. lib. 9. Donatus Bossus Chronographus Mediola. in S. Ambrosio. Vnanimi ferè consensu hoc Canticū *Te Deum laudamus*, &c. præsente populo in dignissimâ processione, asserunt compositū fuisse, & vt omnem scrupulum dubitanti de tam subitâ & altâ S. Augustini doctrinâ eximant, constanter affirmant eum simul cum Baptismo scientiæ infusæ donum percepisse, quod idem S. Ambrosius hîc dicit contigisse: *Diuino quodam instinctu.* Omnium verò maximam fidem huic Sermoni & Canticu facit. S. Dacius Mediolanensis Præsul, cuius meminit D. Gregorius lib. 3. Dial. c. 4. Hic Dacius in Chronicis suis, vbi recitasset aliquot S. Augustini cum Ambrosio disputationes, benignam illius instructionem, & susceptionem, necnon triumphum Baptismatis inquit: *Deo opitulante à B. Ambrosio cunctis fidelibus adstantibus & videntibus baptizatus & confirmatus est: in quibus fontibus prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: Te Deum laudamus decantantes, cunctis qui aderant audientibus, & videntibus, simulq; mirantibus, ediderunt, quod ab vniuersâ Ecclesiâ Catholicâ vsq; hodie tenetur, & religiosè decantatur.*

Probatur Sermo S. Ambrosij ex Hymno Te Deum &c.

Hymnus. Te Deum. est à S. Ambros. & August.

In expos. hius cant.

Lib. 10. c. 1.

Ex quibus sic formo argumentum: Vel Authores supradicti tam graues & antiqui hoc habent à S. Ambrosio, vel non; Si ex S. Ambrosij scriptis, ostēdatur nobis alius locus, in quo hoc dicat S. Ambrosius; Si ostendi non potest ergo hic Sermo controuersus est S. Ambrosij. Si ex S. Ambrosio hoc non habent, sed ex traditione, vel aliunde, nunquid mirum & incongruum videtur S. Ambrosium hæc subticuisse? Malo certè ego dicere Sermonem esse S. Ambrosij, cùm nihil non Ambrosio dignum redoleat, nisi apud illos, qui omnium SS. Patrum dicta in dubium reuocare contendunt: eodē enim iure mihi licebit dicere, alios Sermones non esse Ambrosij, & Chrysostomi non esse Chrysostomi, quod vt adstruam facile inueniam næuum & oculum caligantē, qui ita iudicet: facilius mentem aliquā minus sincerā, quæ ita credat. Hæc quàm periculosa sint in Dei Ecclesiâ, & quomodo nouitates hæ cuitandæ, iudicet mecum Lector: ego ad S. Augustini Monachismum redeo

Dilemma.

Capvt VI.

Confirmatur Monachismus S. Avgvstini adhuc in Italiâ degentis ex socijs, quos habuit in Italiæ montibus.

Quod alij fabulas & putidissimas nugas, hoc graues authores pro puris veritatibus agnouerunt. Et, ne Pythagoræ discipulos dicam fuisse sanctos Apostolos, dicam Anastasium, Fabianum, Seuerum, Dorotheum, Paulum, Vitalem & alios fuisse discipulos S. Augustini. Et probabo ex Serm. 21. ad fratres in Eremo. Vbi S. Augustinus, vel alius illius sermonis author, inquit: *Et piâ Matre me instigante apud Mediolanum vt ad patriam remearem, cupiens eos Religiosos habere in visceribus charitatis, & cum eis pariter viuere, ad Virum illum Simplicianum, &c. perrexi, deprecans eum cum fletu & gemitu, vt mihi quosdam Seruos Dei de suis donaret: & donauit eos mihi paternè, quia sciebat me velle in Africâ Monasterium ædificare. Et assumptis mecum Anastasio, Fabiano, Seuero, Nicolao, Dorotheo, Isaac, Nicostrato, Paulo, Cyrillo, Stephano, Iacobo, Vitali paupercula, qui pecuniæ sacculum apud Mediolanum inuenit, & non rapuit, de quo alias sermonem fecimus. Igitur istis mecum assumptis imitari cupiebam cum charissimis meis amicis Euodio, Alipio, & Potitiano, qui diu mecum fuerant, &c. Illos quorum famam etiam S. Hieronymus Presbyter mihi descripserat, &c.* Vbi clarè videt Lector S. Augustinum habuisse socios Religiosos in Italiâ, de quo nullus est dubicandi locus, si hic sermo sit S. Augustini. Quod aliqui maligno dente negant, fingentes quod non est: designari hoc pulcherrimo sermone Anastasium, Fabianum, Seuerum aliosque discipulos tamquam imitatores Remoboth siue Sarabaitarum, cùm tamen per hos designet hypocritas, & qui in cunctis suis operibus sperant reuerentiam honoris, &c. contra hos clamat S. Augustinus, & illorum exempla monet cauenda. Esse autem illum S. Augustini censet Iord. de Saxon. ante CCC. annos. Renatus Chioppinus lib. 1. mon. tit. 3. c. 7. & plures alij authores, notantes egregiam ibidem doctrinam contra Ecclesiasticos suâ parsimoniâ, & Ecclesiæ fructibus impinguantes & ditantes Consanguineos. Ostendam etiam cito. Si sermones Augustini non sint; esse sermones authoris ab octingentis annis, cui non parua fides debetur.

Veri discipuli S. August.

Refellitur calumnia Critici.

Lib. 1. cap. 7. Serm. 21. ad frat. in Eremo est S. August.

At quia Sermo hic adhuc est controuersus apud duros, nolim veritatem Monachismi S. Augustini tamquam in hoc fundatam, magis dubiam reddere; claris itaque vtar S. Augustini aliorumque verbis: lib. 9. Confess. de Adeodato loquens, inquit. *Sociauimus eum in gratia tuâ* (baptismali intellige) *educandum in disciplinâ tuâ*, nempe Monasticâ; & antea: *Consociasti nobis Euodium iuuenem ex nostro municipio qui cùm agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuersus & baptizatus, & relictâ militia seculari, accinctus est in tuâ.* Vbi per militiam Christi, in quâ post baptismum vixit Euodius, professionem Monasticam intelligit S. Augustinus. Lib. etiam 8. Conf. narrauerat S. Augustinus societatem Alipij in placito ac bono proposito, admonitione firmatam, quam etiam de Monachismo explicauimus.

Socij S. August. in Monachatu

Cap. 6. *Lib. 7 Conf.* *Cap. 8.*

Cap. 12.

Negabit fortè aliquis has societates fuisse Monachales: sed potius, amicas, seculares. Sed legat is attentè c. 8 lib. 7. Conf. ibi inueniet S. Augustinum gratias agentem Deo *habitare facienti vnanimes in domo.* Vbi sine dubio alludebat ad illud Dau. Psal. 67. *Qui habitare facit Monachos in domo* vt vertit Symmachus. Hic Avgvstinvs etiam narrat exercitia Monastica fletuum & lachrymarum, *& hymnorum quantum patitur aura in domo sacrâ.* Huc spectant etiam verba communitatem indicantia: *simul eramus, simul habitabamus placito sancto.* Hanc etiam societatem Monasticam indicant

Occurritur obiectioni.

9. Conf. 7.

verba

verba S. Augustini: *Quærebamus quisnam locus nos vtilius haberet seruientes tibi*, & constans phrasis lib. 22. de ciuitate Dei. *Venientes de locis transmarinis me & fratrem meum Alipium nondum quidem Clericos sed iam Deo seruientes*, id est Religiosos recepit. c. 3. explicata. Tandem confirmat hanc Monasticam fraternitatem c. 12. lib. 9. Confess. Vbi narrans S. Augustinus mortem suæ matris introducit Alipium cum illâ moribundâ loquentem, Adeodatum puerum lachrymantem, Euodium psallentem, se & omnes Confratres respondentes, multosque denique fratres, ac Religiosas feminas conuenientes. Quis enim, qui hæc legerit, dubitare poterit de sanctâ societate S. Augustini? Vel quis conferens hæc cum superioribus adhuc neget hos socios fuisse Religiosos? Si quis tamen adhuc esset Academicus, & nollet concedere S. Augustini socios Religiosos Alipium, Euodium, & alios: necessariò concedere debebit alios Augustino fuisse socios Eremitas Religiosos in montibus Etruriæ siue Pisanis iuxta Centumcellas, vbi S. Augustinus aliquandiu moras traxit, vbi etiam incepit libros de Trinitate, quos imperfectos reliquit in Italiâ, eosque tandem absoluit in grauiori ætate (vt constat *ex lib. 2. Retract. & ex ep. 102. ad Aurelium*, quæ præponitur istis libris) ob miraculum apparentis pueri mare totum in paruulo alueo excipere contendentis: quo eludebat Deus ingenium S. Augustini in Trinitatis mysterij compræhensione occupatum. Quæ omnia ex multis probatissimis authoribus & testibus fide dignis liceat inspicere.

Alij socij S. August. in Italiâ.

Cap. 15. Miraculum de apparit. pueri.

Ac inprimis miraculum hoc contigisse, communis est Ecclesiæ traditio à 500. annis nota, & diuersis imaginibus hanc historiam referentibus expressa. S. Vincentius Ferr. *Serm. 2. de Trinitate.* Volater. *lib. 21. Anthropol. verbo August. & lib. 8. Geograph.* Petrus de Natalibus *in vitâ S. Augustini.* Trusill. *in Thes. Conc.* Albertus Patauinus *Serm. 3. de Trin.* Martinus Delrio *lib. 2. disquisit. Mag. q. 26.* Et alij recentiores expressis verbis hanc apparitionem enarrant; & negari non potest: nam adhuc hodie extat circa illum locum Sacellum cum Eremiticâ domo antiquissimum. Vbi in lapide excisa, & ferè ob antiquitatem exesa, characteribus antiquitatem maximè redolentibus seruatur Epigrapha huius tenoris:

Probatur veritas huius miraculi.

Siue Viator es, siue inquilinus,
Eremiticam venerare domum, venerare Sacellum,
Vbi præfulgidum illud Ecclesiæ lumen Augustinus
Egregium de Trinitate opus inchoauit,
Quod mirifico cælestis pueri iuxta Bertoldi
Littus sibi apparentis oraculo intermissum
In Africâ tandem senex absoluit.

De morâ S. Augustini apud Eremitas Thusciæ magis est certum: oculatum habemus testem Licentium, qui vti comes itineris & moræ in memoriam reuocat S. Augustino talem societatem hoc versu:

Apud August. epist. 39. Tom. 2.

O mihi transactos reuocet si pristina soles
Lætificis aurora rotis, queis libera tecum
Otia tentantes, & candida iura bonorum
Duximus Italiæ medio, montesque per altos.

Hoc est quod explicat Petrarcha his verbis: *Inter cætera Pisani montis otio delectatus Augustinus illic Eremitico habitu traxisse moras creditur.* Vbi latissimè describit S. P. Augustini solitudinem cùm iuxta Mediolanum, tum iuxta hos montes, tum extra Italiam, Et Mantuanus lib. 8. de sacris diebus:

Lib. 2. de vitâ solit. cap. 5. tract. 3.

Viuendi normam instituit: memoratur eremum
Incoluisse maris Thusci, prope littora centum
Cellarum, quæ vicus erant, Tiberina petiuit
Ostia.

In fronte mill.

Defenditur lib. S. August. de cognit. veræ vitæ.

Hoc confirmat Bartholomæus Vrbinas, qui vult istis Eremitis scriptum fuisse *librum de cognitione veræ vitæ*: Cùm enim illi instarent pro refectione spiritalis vitæ, vellentque in dubijs rebus certiores reddi à Dei sapientiâ, cuius partem in S. Augustinum confluxisse viderant, hoc obtinuerunt, vt veram vitam illis elucidaret. Scio etiam hunc librum in nouaculã incidisse, quæ ad cotem indiculi Possidiani acuminata eum totum præscidit. At quo iure viderit Lector. Nihil in libro valde bono vidi vitio dignum, nisi quis S. August. humiliter de se sentientem reprehendat. Copia vel fortè authographum in pretio est Romæ inter secretioris Vaticanæ libros, cui addita S. Augustini inscriptio, & non à librario, sed à Collectore fidem faciente Eremitis fuisse conscriptum, quos constat tum Mediolani extra ciuitatẽ apud S. Simplicianum, tum in montibus Pisanis fuisse. Mouerer certè magis indiculo Possidij si illud iustum esset perpendiculum operum S. Augustini, sed nec illud euasit crisim censoris, vt videre est. pag. 164. 166. & alijs, vbi habes & Erasmum, Louanienses, Bellarminum, & ipsum Possidium correctum. At hæc latius Anticrisis feret; vnde bis modò supersedeo, & cum S. Augustino montes Pisanos, Eremitasque ibi degentes inuiso.

Vtinam non malè: S. August. dicitur magister Eremitarum. 3. part. tit. 24. §. 2. c. 4. Testim authorum.

S. Antoninus celebrat S. Augustinum, eò quod Eremitarum magister extiterit in bis montibus, eosque instruxerit in Religionis fundamentis; quare meritò illorum Pater dici possit. Idem confirmat Iordanus *lib 1. c. 14.* Philipp. Bergom. Volaterranus *lib. 21.* Petrus de Natalibus *supplem. anno DCCC. XXXIII.* & Author libri Chronicorum ante ducentos annos, inquit, de S. August. *Matris instinctu Romam venit, & per Etruriam transiens sanctos Eremitas apud Pisas inuisit, vti & Centumcellas non procul ab vrbe.* Quibus addi possunt F. Petrus Morselinus, &c. vid. supra. Et testimonium, quod maximi fit à viris doctis, est illud Martini V. summi Pontificis, qui disertâ oratione enarrat, fuisse olim Eremitas in Thusciã & S. Augustinum ibidem vixisse, & tunc temporis superfuisse vestigia: *Quo medio tempore*, inquit, *Augustinum ferunt, sanctorũ hominum consilia quæsiuisse, quorum præcipuè in Thusciâ multi fuisse conuentus dicuntur, hodieq; apparent apud Posteros illorum colloquiorum vestigia: in bis vos* (Patribus Augustinianis loquitur) *adhuc frequentibus consortijs habitatis: ac nos cùm ex Florentiâ Romam venimus, quædam vidimus in agro Senensi, non sine magnâ huius recordationis voluptate per fratres illos transiuimus, tamquam adhuc vetustissimarum cellularum & speluncarum vestigia spectaremus.*

6 Ætate mundi 1. 53. fol. No-

Testim Martini V.

Serm. de translat. S. Monica.

Augustiniani ex Africâ deuenerunt in Italiam. lib. 1. c. 14.

Nicol. ab Alex.

Centum & amplius annis ante Martinum V. scripserat B. Iordanus fratres S. Augustini ex Africâ Wandalorum rabie eiectos ad montes Thusciæ deuenisse, ac ibidem cum fratribus ab ipso S. Augustino iam olim instructis reliquum vitæ transegisse; quorum loca, vt ex Italiæ annalibus patet, à Barbaris & Mauris incursantibus cunctaque horribili infestatione destruentibus fuere diruta ac sub Ludouico Caroli Magni filio & Guidone Marchione Italiam liberantibus circa annum M. CC. XC aliquantulùm restituta, barbariem Maurorum testata sunt, & adhuc illam hodie, licet pleraque iam integrata, testantur. Extat Monasterium, quod Specus laci. nuncupatur, & aliud Lupus canus, ac tertium Putium, quæ loca iam à 600. annis, immo ab immemorabili tempore fuere à Patribus Augustinianis inhabitata: in ijs enim S. Guilelmus, & plures sancti pœnitentiam egerunt, hodieque adhuc non sine euidentibus & frequentibus miraculis agunt.

Nomina monast. antiquissimorum.

CAPVT VII.

CAPVT VII.

De Monachismo S.P. AVGVSTINI iuxta Tagastam.

Radicus S. August. in Africam.

QVi melius de ætate S. Augustini sentiunt, triennium illi concedunt, quo iuxta Tagastam rure degens sibi & Confratribus Eremitis ex Italiâ adductis vacauit scribendo libros & docendo indoctos, reditum illius anno CCC. LXXXVIII adscribentes. Etenim (vt ipse loquitur) *ex illâ peregrinatione rediens iam post Maximi mortem, Africam repetens* ibidem librum de Magistro incepit, moriente hoc tempore Adeodato *cum esset in annis sedecim. Hic annus fuit* (inquit Baronius) *cùm in Oriente cœpit vita monastica perire, & imitatores S. Pauli apud Alexandriam in eremo Ægypti ad Originis doctrinam multis implicatam erroribus sese contulerunt, persuadente eis Euagrio pessimo Professore Originistâ de quo S. Hier. Successit his* (inquit Lanspergius) *insignis Doctor Augustinus qui eandem formam vitæ Apostolorum, primorumq; credentium in Hierusalem, inchoare & introducere in Africam studuit.*

Li. 3. aduer. Pet. c. 11

Initium vitæ Monast. in Africa.

Anno 388.

Opusc. de verâ Relig. cap. 10.

Monachismus S. Augustini Tagastæ.

Poss. in Chr. anno 305. Cap. 5.

Quæ si vera sunt, vti verissima esse arbitror, S. Augustinus fuit Monachus in agro Tagastensi, nam non nisi triennio pòst Hipponem concessit anno scilicet CCC. XC. ætatis suæ XXXV. completo. Huius autem Monachismi expressiorem fidem facit ipse Possidius. *At placuit ei, perceptâ baptismi gratiâ, cum alijs ciuibus & amicis suis Deo pariter seruientibus ad Africam, & propriam domum, agrosq; remeare, ad quos veniens, & in quibus constitutus ferme triennio, à se iam curis alienatis secularibus, cum his qui eidem adhærebant, Deo viuebat, ieiunijs, orationibus, bonisq; operibus vacans in lege Domini meditans die ac nocte, & de his, quæ sibi Deus cogitanti atq; oranti intellecta reuelabat, & præsentes & absentes sermonibus ac libris docebat.*

In agris proprijs erat Monachus.

Ex quo Possidij testimonio habemus 1. S. Augustinum triennio ferè in proprijs ædibus seu agris, qui sine dubio iuxta Tagastã erant, hæsisse, & Monachum egisse: nam dicit *illum cum Amicis Deo pariter seruientibus remeasse ad agros proprios.* 2. Quod à se iam alienatis curis secularibus Deo vixerit quod proprium est Religiosorum exercitium, illum scilicet adhibuisse ieiunia, orationes, meditationes. 4. Quod præsentes sermonibus docuerit: Quæ omnia Monasticam vitam indicant. Quod expressius testatur Possidius c. 5. Cùm enim ibidem narrasset Hippone fuisse Monasterium à S. Augustino institutum, in quo cœpit viuere secundum Regulam sub S. Apostolis factam, subiungit: *Quod iam ipse prior fecerat, cùm de transmarinis ad sua remeasset.* Quo testimonio irrefragabili occurrere voluit his, qui putarent S. Augustinum prius Hippone incepisse Monasticam vitam & non in proprijs agris iuxta Tagastam. Possidium etiam explicat S. Thom. inquiens: *De Augustino legitur, postquam Monasterium instituit, in quo viuere cœpit sub Regulâ à sanctis Apostolis constitutâ, scribebat libros, & docebat indoctos. Ex quo habemus vitam S. Augustini cùm Amicis fuisse in Monasterio, vel in agris paternis, qui ita remoti erant, vt Eremi solitudinem, ita fraternâ societate & coniunctione repleti, vt Monasterium meritò referrent.* An non ipse S. Augustinus loquens de Alipio & Euodio inquit, *simul eramus, simul habitabamus placito sancto: Quærebamus quisnam locus nos haberet vtilius seruientes tibi.*

Insigne testimon. Possidij de primâ fundatione.

Fuit Monast. Tagastæ.

Monasterium aliquod fuisse Tagastæ affirmat S. Paulinus in epist. ad Alipium, quæ apud S. August. est XXXV, his verbis: *Benedictos sanctitatis tuæ comites & æmulatores in Domino fratres si dignantur nostros, tam in Ecclesijs, quàm in Monasterijs Carthagine, Tagastæ, Hipponeregio, & totis parochijs tuis salutare rogamus.* Vbi clara fit mentio Monasterij Tagastensis. Illud autem fuisse fundatum à S. Augustino statim à reditu docet Baronius. *Porrò ex eiusdem Paulini redditis ad Alipium literis, illud quoq; memoriâ dignum compertum habetur: Monachismum in Africâ,*

S. Augustinus Monachismũ ex Italiâ inuexit in Africam. *Tom 6. Anno 45[?].*

fricâ, quem ex Italiâ Augustinus patrium solam repetens, ante sex annos illuc primus inuexerat, iam longè lateq; fœcundâ fuisse propagatione diffusum.

Tom. 4. Anno CCC. LXXXIII. S. August. fuit Monachus in Italiâ anno Christi CCC. LXXXIX.

Hoc Monasterium idem Baronius vocauit Eremum commemorans enim plæraquè opera à S. Augustino edita inquit: *Hæc omnia edidit antequam Presbyter fieret ipso triennio commorationis in Eremo.* Idem Baronius clarissimè Monachismum S. Augustini explicat. Anno CCC. LXXXIX. *Quem dixerunt vitæ statum, cùm adhuc in Italiâ essent exercere cœperunt, secedentes in rus ibidem triennio permansere, &c.* S. Antoninus clarius affirmat S. Augustinum statim post reditum in Africam Monasterium fundasse. *Remeans* (inquit) *ad Africam post mortem matris Monasterium in nemore apud Hipponem ciuitatem primum construxit: Vbi tùm amicis ieiunijs & orationibus vacabat.* Corrigendus tamen hîc videtur D. Antoninus vel potius Typographus, qui, loco Tagastensis ciuitatis, posuit Hipponensem, nisi velimus vt Antoninus quatuor Monasteria Hippone ponat: vnum in nemore iuxta Hipponem: alterum Augustino presbytero in horto Valerij: tertium in ciuitate: & quartum in Episcopatu.

3 part. tit. 24. §. 2.

Error Typog. apud Antoninum.

Authores qui dicunt primum Monast. S. August. fuisse Tagastæ.

Breuiarium Bracarense, quod ibidem in vsu fuit à DCC. annis lectione octauâ habet hæc verba: *Augustinus cum fratribus suis Carthaginē adnauigauit patrimonium pauperibus erogauit, & in nemore Monasterio structo secundum Regulam ab Apostolis constitutam viuere cœpit.* Idem asserit S. Vincentius Ferrerius Serm. de S. August. & Author. Chronicorum General. valde antiquus habet VI. ætati mundi. fol. 153. hæc verba: *Augustinus cum fratribus suis Carthaginem adnauigauit, patrimonium pauperibus erogauit, & Monasterium in nemore extruxit.*

Instit. moral. c. 21. q. 1.

Azorius putat tria Monasteria fuisse fundata à S. Augustino: duo Hippone: & ante illud vnum Tagastæ. Marcus Antonius Sabellicus, & Polydorus Virgilius, quamuis dubitent de Eremiticâ institutione Ordinis, qui modò dicitur Eremitarum, tamen nullo modo dubitant, quin S. Augustinus in Eremum concesserit, nullo modo dubitant, quin plures socios ibidem sibi adsciuerit: hoc enim exprimit vterque Author his verbis: *Multi mortales Augustino adhuc in humanis agente, sanctitatem viri singularemq; doctrinam secuti, omnibus, quæ in terra miramur, contemptis, in Eremum concessere.*

Sab. 7. ænead. 7. lib. 9. Virgil. lib. 7. de rerum. c. 3.

Aubertus Myræus *lib. 3. Monast Orig. cap 13.* vult institutum ordinem à S. Augustino in Eremo non procul à Tagastâ, anno Christi CCC. LXXXVIII. R. P. Ribadeneira Societ. IESV Historicus in vitâ S. Augustini, Posseuin. & alij. Possum huc citare S. Prosperum, Ferdinandum ab Hispaniâ Episcopum Taraconensem, Ioannem Mabuernum Canonicum Regularem, &c. qui referunt Christum apparuisse S. Augustino formâ Peregrini in Eremo Tagastensi, illique commendasse Ecclesiam suam magnis illis vocibus: *Magne Pater Augustine, filium Dei hodie in carne videre meruisti; tibi commendo Ecclesiam meam.* Possem etiam adducere plures quàm triginta alios, qui Augustinum dicunt fundasse Religionem *Anno CCC. XC.* & per consequentiam in Eremo Tagastensi, quia necdum venerat Hipponem at libens hos prætereo, aliquid ex ipso S. Augustino tentaturus. Et primò expendatur *Epist. 225.* in quâ narrat S. Augustinus causam suæ promotionis ad Sacerdotium & Episcopatum illam fuisse, quia iam erat Religiosus: *In me dilexerunt* (inquit loquens de ciuibus Hipponensibus) *quod audierant paucis agellulis paternis contemptis, ad Dei liberam seruitutem me fuisse conuersum, neq; in hoc inuiderunt Ecclesiæ Tagastensi quæ carnalis patria mea est.* Vbi per *conuersionem ad liberam Dei seruitutem* vix aliud potest intelligi quàm Monasticum institutum: nam hoc solum exigit agrorum paternorum contemptum, cùm secularis Dei seruitus potius requirat retentionem agrorum ad commodum & honestum Deo famulantium subsidium. Accedit quod hoc vitæ genus Monasticum clarius exprimatur illis verbis *liberæ seruitutis.* De quâ aliàs dicit: *Iam liber erat animus meus à curis mordacibus,* *ambi-*

Serm. 10. de S. August. in Roset Alph. 20. tit. 41 mirac. de S. August. Apparuit Christus S. August. in hoc Monasterio. *Anno 390.*

Colligitur Monachismus Tagastæ ex S. August. Vendiderat agros S. August. ante accessum Hippon.

9. Conf. 1.

ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atq; scalpendi scabiem libidinum. Quæ verbi: multi pij explicant de tribus votis: obedientiam opponentes ambitioni, paupertatem acquisitioni, & castitatem curæ scalpendi scabiem libidinis. vt supra ostendi. Quam etiam libertatem bene exprimit S. Paulinus hoc versu:

Cap. 5.

Ep. 40. ad August.

Hæc bona libertas, Christo seruire, & in ipso
Omnibus esse super.

Tertiò etiam indicatur hoc vitæ genus fundatum fuisse Tagastæ, quando S. Augustinus dicit: *Neq; in hoc inuiderunt Ecclesiæ Tagastensi.* Meritò potuissent ciues Hipponenses dici inuidisse S. Augustinum Tagastensibus: & immeritò fuisset S. Augustinò dictũ quod nõ illum inuidissent patriæ suæ, si ibi nullam reliquisset fundationem: at quia ibi iam reliquerat Monasterium, & fratres, hinc dicit quod non inuiderint, vel quod non habuerint inuidiæ occasionem: His supperaddo stylum esse S. Augustini: per *Conuersum*, designare statum Religiosum. Sic lib 9. Conf. loquens de Euodio dicit illum prius ad Deum conuersum & baptizatum, & in Dei militiâ accinctum. Et extra controuersiam est hunc statum denotari Serm. 50. de diuersis per *illud Conuersus*: loquitur enim S. Augustinus de vitâ Religiosâ sui Nepotis. *Nepos autem meus* (inquit) *ex quo Conuersus est, & mecum esse cæpit, impediebatur & ipse aliquid de agellis suis agere.*

Religio Monast. propriè est conuersio.

Cap. 8.

Aliud testimonium pro fundatione Tagastensi habetur Serm. 49. de diuersis. Vbi enarrans rationem & occasionem quâ venit ad ciuitatem Hipponensem & Episcopatum, inquit, *Quærebam vbi constituerem Monasterium, & viuerem cum fratribus meis, spem quippe omnem seculi reliqueram.* & paulò post: *Veni ad istam ciuitatem* (Hipponensem) *propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, vt nobiscum esset in Monasterio.* Ex quo testimonio sic deduco argumentum: Si S. Augustinus Hippone quærebat constituere Monasterium, vbi viueret cum fratribus suis, ergo iam habebat fratres collectos, quibus Monasterium volebat cõstituere. nam esse præsupponitur ad bene esse: est enim hoc de secundo adiacente, quod semper præsupponit primum. Si aliquis iudicat S. Augustinum habuisse fratres in spe & non in re, nescio an satis sano iudicio ita iudicet quisquis ille est: non auderem dicere S. Augustinum votum Religionis seu Monasticæ institutionis, quale ad minus habuerat in Italiâ, tam diu distulisse, donec triennio post reditum suum in Africam Hipponem venerit. *Spem enim omnem seculi reliqueram* inquit ipsemet. Certè non fuerat relicta illa spes ab heri & nudiustertius, sed cùm adhuc in Italiâ esset, vt patet, ex 8. Conf. 12.

Aliud testim. S. Augustini.

S. Augustinus habebat fratres Tagastæ.

Occurritur obiectioni.

Neque minus intelligitur fundatio Tagastensis ex alterâ parte testimonij: vbi S. Augustinus indicat sese venisse ad ciuitatem, vt lucraretur amicum, qui cum illo esset in Monasterio. *Amicus enim ille* (vt inquit Possidius) *erat bene Christianus, & timens Deum, audiueratq; bonam famam S. Augustini, & statum vitæ suæ, promittens se posse, mundi huius omnes contemnere cupiditates, atq; illecebras, si aliquando ex eius ore Dei verbum audire meruisset.* Videtur etiam fuisse hoc promissum voto sacratum: nam, vt subiungit Possidius, *S. Augustinus est hominem alloquutus frequentius, atq; exhortatus est quantum Deus donabat, vt quod Deo vouerat, redderet.*

Famâ Monachismi S. August. excitatus fuerat amicus ad similem statum.

Ex quo sic argumentor: bonus ille Amicus promiserat, & vouerat quod vellet Deo seruire in Monasterio, si audiret S. Augustinum; ergo iam antè sciebat S. Augustinum Deo seruire in Monasterio. Antecedens patet: nam aliquid amplius promiserat, quàm erat. Si dicatur quod promiserat tantùm conuersionem ad bonam vitam, si Augustinum videret, non sufficit: nam, vt Possidius refert, iam ante hanc promissionem *erat bene Christianus, & Deum timens,*

Valerius cognoscit Monachi S. August. ante horti donationem.

timens. Consequentiam etiam elicimus ex textu: nam promissum hoc erat ex formâ sanctitatis D. Augustini. Ponderanda etiam sunt verba: *Cognito instituto & voluntate meâ, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est Monasterium.* Quæ indicant S. Augustinum habuisse aliquod institutum, quod erat notum Valerio ex Tagastensis eremi Monasterio odorem sentienti.

Monasterium Carthagin. fundatur ex Tagastensi.

Tertiò colligitur fuisse fundatio Monastica iuxta Tagastam, eo quod, ex illâ fuerit fundatum Monasterium Eremit. Carthaginense, ante aduentum S. Augustini Hipponem, per socios D. Augustini & maximè per Alipium: Nam vt colligitur ex libro de Opere Monachorũ, tempore S. Augustini apud Carthaginẽ Monasteria esse cœperũt. Quod Baronius sic clarius explicat: *S. Augustinus primus fuit, qui Monastica vita instituta inuexit in Africã, eademq; seruare cœpit, alijsq; seruanda tradidit; inde accidit, vt Donatistæ putarent huiusmodi genus ab ipso fuisse excogitatum*; ergo hoc Monasterium Carthaginense fuit à S. Augustino & socijs fundatum. Quod magis constat ex eo quod S. Aurelius scripserit ad S. Augustinum, tamquam talis instituti fundatorem paucis annis post fundationem, vt componeret litem inter Fratres exortam de opere manuum, quod etiam fecit.

Aurel. dedit Carthagin. Religiosis hortum.

Immo clarissimè hoc colligitur ex epistola 64. Vbi S. Augustinus gratias agit pro agro Confratribus suis dato, inquiens: *Agrum fratribus datum prouisione & liberalitate tuâ dicimus per sanctum fratrem & Conseruum nostrum Parthenium.* Et ex *lib. 1. Retract. cap. 23.* Vbi habemus visitationem Fratrum qui erant Carthagine, quæ contigit Augustino adhuc Presbytero. Monasterium autem Carthaginense fuisse ante Hipponense ex eo probatur: Quia Epistola hæc fuit scripta à S. Augustino Presbytero, sub initium fundationis Monasterij in horto, nam in eâ S. Augustinus subiungit: *Omnis itaq; fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coalescere, tantâ tibi prærogatiuâ obstrictus est, &c.* Sub initium itaque fundationis Hipponensis loquitur S. Augustinus de fundatione Carthaginensi iam adultâ; ergo illa præcesserat, ergo ex Monachismo Tagastensi.

Tunc inchoabat prius Hippon. Monast.

Quod autem Carthaginensis ab Alipio sumpserit exordium, colligitur ex eo, quod S. Aurelius D. Augustino adgratulatus fuerit de illius mansione, & significauerit sese benignè illum recepisse. Pro hac congratulatione & receptione S. Augustinus Aurelio gratias agit his verbis: *Quod fratrem Alipium in nostrâ coniunctione mansisse, vt exemplo sit fratribus curas mundi huius vitare cupientibus, beneuolentissimè accepisti, ago gratias, quas nullis verbis explicare possim.*

Epist. 64.

Obiectio.

Dicet aliquis non posse hinc adhuc colligi Monasterium Carthaginense è Tagastensi ortum habuisse: nam potuit S. Augustinus illud fundasse cùm primò ex Italiâ Carthaginem adnauigauit, vel interim quo rure fuit iuxta Tagastam, vel sub initium quo Hipponem venit.

Respondeo vnum verum esse, & satis mihi esse, vt conuincam Monachismum S. Augustini ante Presbyterium, quod solum hic intendo probare: An verò is ponatur Tagastæ, an Hippone, an Carthagine parum refert; quamuis verosimilius sit illum Tagastæ incepisse in agris proprijs, vbi S. Augustinus iuxta dicta Possidij, cui maior fides adhiberi debet, *egit cum Amicis & Socijs vacans ieiunijs & orationibus ferè triennio*; & hoc ex ipso Augustino colligitur: nam lib. 1. Retract. dicit. *Quoniam ab ipso primo tempore conuersionis meæ, posteaquam in Africam venimus interrogabar à fratribus, quando me vacantem videbant.*

Cap. 26.

CAP. VIII.

CAPVT VIII.

De Monachismo S. AVGVSTINI Hippone.

CLARIOR & certior hic Monachismus S. Augustini incipiet cõparere primâ enim iam ætate depositâ est adolescẽtior factus, & plures sui habet indigitatores. Augustinus fortè ipse & Possidius sufficient. Augustinus enim qui *multa præterijt* in suis Confessionibus *quia multùm festinabat* vt ipsemet loquitur, *offerens Deo innumerabiles confessiones suas etiam in silentio* de Hipponensi Monasterio clarè loquitur Serm. 49 cap. præcedenti citato: vbi refert se venisse Hipponem ob duas causas, primam: Vt constitueret Monasterium, secundam: Vt videret Amicum, quem putabat se posse lucrari: *& quia disponebam*, inquit, *hic esse in Monasterio cum Fratribus, cognito instituto, & voluntate meâ B. memoria senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est Monasterium. Cæpi boni propositi Fratres colligere compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me, vt quomodo ego tenuem paupertatulam meã vendidi, & pauperibus erogaui sic facerent & illi, qui mecum esse voluissent; & de communi viueremus: Commune autem nobis erat magnum & vberrimum prædium ipse Deus.* Vbi claram videre est fundationem Monasterij in horto à S. Valerio dato, collectos Fratres, Monasterium in actu existens, formam viuendi, & alia.

Qualis fit Monachismus S. August. Hipp. 9. Conf. 8.

Fundatio Monasterij horti.

Huius fundationis memor fuit S. Aurelius Episcopus Carthaginensis, vt constat ex epistolâ 64. citatâ, dum S. Aurelio curæ fuit progressus primæ illius fundationis Hipponensis, quod gratanter insinuat S. Augustinus dicens: *Omnis itq. Fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coalescere, &c. Tantâ tibi prærogatiuâ Fratrum cœtus obstrictus est, vt in locis terrarum tam longè dissitis ita nobis consuleris tamquam præsentissimus spiritu* Quæ epistola cùm sit ab Augustino Presbytero immo sub initium Sacerdotij edita, & ante illam fuerit S. Aurelij paterna solicitudo, cui illa respondet, sine dubio de Monasterio horti egisse dicetur.

Hoc Monasteriũ fuit commendatum S. Aurelio.

Ex hoc Monasterio horti crediderim etiam fuisse scriptam epistolam 148, quâ S. Augustinus honestè subterfugit onus concionis in Ecclesiâ Cathedrali coram S. Valerio: quia hoc nouum tunc erat Presbytero: nam sub initium Presbyteratûs illa videtur scripta, & extra ciuitatem quidem habitante S. Augustino, qui in fine epistolæ rogari desiderat, *ne inane sit desiderium illius, neq. infructuosa Ecclesiæ Christi, atq. vtilitati fratrum & conseruorum suorum illius absentia*, quæ ob conciones habendas in Cathedrali Ecclesiâ erat necessaria. Videatur etiam Sermo de Resurrectione, qui videtur extra Hipponem factus.

Monasterium horti fuit extra ciuitatem.

De Monasterio horti expressè loquebatur S. Augustinus Sermone 2. de Communi vitâ Clericorum: vbi Leporium ex illo Monasterio recepit ad suam domum Episcopalem, quem constabat primò fuisse Religiosum: nam omnia sua distribuerat; ideo S. Augustinus dicit *inopem suscepi, non quia nihil habuit, sed quia iam fecerat quod lectio illa persuadet, hic non fecit: sed nos scimus, vbi fecit. Hortus est vnus, vbi nostis; ibi Monasterium suis construxit, quia & ipse Deo seruiuit: ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum. Ad quem dixerit aliquis? Ad illud, quod ibi est, Monasterium.* Vbi vides mi Lector præter domum S. Augustini fuisse adhuc aliud Monasterium horti à Valerio dati. De duabus istis fundationibus videtur distinctè loqui S August. epist. 224. *Clericos*, inquit, *nostros, vel fratres in Monasterio constitutos fuisse participes*, &c. & epist. 225. *Nihil extra Clericatum vel extra Monasterium populo constituto largiti sumus.* Eâdem distinctione vtitur. *Serm. 205. de tempore*, & aliàs sæpius. Et ne vltrà detineam Lectorẽ dubiũ fortè, velim vt fidẽ præster ocularis testibus: Vidi & audiui plures etiã hoc

Monasterium horti fuit aliud a domo Episcopi.

hoc seculo viuentes, immo in hac Germania, viros armis & officiis insignes, qui Hipponem viderunt & Monasterij S. Augustini adhuc extantia rudera, illudque dicunt situm esse extra ciuitatem, immo flumine seu maris brachio ab ipsâ ciuitate diuidi, mirâque ibi adhuc hodie cerni, quæ Barbarorum captum superant, & euidentia Christianis sunt miracula. Hoc etiam est Monasterium de quo Possidius expressit: *Factus ergo Presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundum Regulam sub sanctis Apostolis constitutam, & maximè vt nemo quidquam proprium in illâ societate haberet, quod iam ipse prior fecerat, cùm de transmarinis ad sua remeasset.*

Monasterium horti fuit ædificat ab Augusti. presbyt.

Putidam vanitatem, hanc veritatem fortè aliquis Nomenclator appellabit, sed religiosam mentem aduoco & præsentem, vt audiat quod res est. Duas fundationes asserit S. Augustinus sermone 49. a se factas Hippone: vnam in horto, alteram in domo Episcopali postquam ad Episcopatum venisset; duas etiam debuit retulisse Possidius. Si hic locus non designat primam, dic sodes, vbi primam refert Possidius? Si oblitioni traditam dicas, non credam tantum scelus inesse viro tam accurato: si probare contendas, subsistam. Ast caue Priscianum.

De Monasterio horto loquitur Possid.

Vbi inquies secundæ fundationis facit mentionem, si hoc est primæ fundationis indicium? Duo assignabo loca, elige quem vis, vt apud te valeat: Lege cap. 15. Possidij *Vbi* (inquit) *secúm ego & alij fratres & conserui, qui nobiscum tunc intra Hipponensem Ecclesiam cum eodem sancto Viro viuebant nobis pariter ad mensam constitutis dixisse.* Alterum quære in cap. 25. *Cum ipso semper Clerici vnà etiam domo, ac mensâ sumptibusque communibus alebantur & vestiebantur.* Si neuter locus placeat, meliorem inuenias, mi Lector, & quiesce.

Locus vbi agit de domo Cleric.

Primum locum primæ fundationi ego assigno, vide vtrum iustè ad mentem S. Augustini & ad veritatis lumen: Mens S. Augustini est ab ipso fuisse erectum Monasterium in horto Valerij post Presbyterium. Primò enim dixerat: *Apprehensus Presbyter factus sum*, & subiungit, *Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est Monasterium.* An non idem narrat Possidius: *Factus ergò Presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit?* In vtroque loco *Presbyter* Sacerdotem significat. hoc illud *mox* indicat statim post apprehensionem ad presbyteratum illam factam. Ac tandem hoc colliget curiosus Lector ex *Monasterium*, quod vtrique loco commune. Si verò de secundâ fundatione dicatur agere Possidius, illud *Presbyter* significare debet *Episcopum*: illud *mox* moram aliquam, quæ S. Augustinum per experientiam docuit in domo Episcopali non bene posse Monasterium esse. Tertiò illud *Monasterium* deberet applicari domui Episcopali, quam nunquam reperimus à S. Augustino Monasterium dictam, sed *domum suam*: quamuis haberet Clericos in communi viuentes, quos etiam nec fratres dicit, sed cohabitatores.

Explicatur mens S. August.

Sed obijcies. Quare ergo Possidius dicat S. Augustinum Monasterium intra Ecclesiam mox instituisse, cùm constet illum statim à Sacerdotio non intra ciuitatem, sed extra in horto Valerij instituisse: intra cathedralem verò Ecclesiam constituisse Monasterium, vt peruenit ad Episcopatum?

Explicatur Possid. quid sit intra Eccl.

Respondeo illud *intra Ecclesiam* multos torsisse interpretes, & doctorum virorum conscientias. Card. Bellar. hinc collegit S. Augustinum non fuisse Eremitam: sed vixisse in ciuitate cum Clericis, quod idem latius probat ex sermonibus de Com. vit. Cler. Card. Baronius videtur monuisse Bellarm. vt ipsemet fatetur. §. de Ven. Beda, huius erroris; & errorem potius adscribit Possidio his verbis: *Verùm quod dicit Possidius Augustinum factum Presbyterum Monasterium intra Ecclesiam mox instituisse, aliter se rem habuisse, cùm præcedens S. Augustini sermo declaret, tum quæ subdit*, &c. Alij non minoris fortè eruditionis & Possidium excusant illumque cum D. Augustino conciliant, illud *intra Ecclesiam* de horto Valerij intelligentes, qui quamuis extra ciuitatem esset, tamen intra

Descript. Eccl. §. de S. August.

Tom. 4. Anno 391. Baronius arguit Possidi. Conciliatur Possid. cum S. August.

tra Ecclesiæ prædia erat. Sic olim dicebantur fuisse intra arcam testamenti virga Moysis & Manna, cùm tamen solæ tabulæ Moysis ibi continerentur: alia verò iuxta arcam in accessorio. Sic Christus dicebatur passurus Hierosolymis, cùm tamen extra portam passus sit. Et S. Augustinus narrat se vidisse: *Mediolani Monasterium plenum bonis fratribus*, cùm tamen subiungat: *hoc fuisse extra vrbis mœnia.*

Heb 9. 3 Reg. 8. 8. Conf 6. Alia explicatio.

Alij & hi altius speculando dicunt per illud Monasterium *intra Ecclesiam*, Possidium intellexisse Monasticam vitam à S. Augustino institutam fuisse de Ecclesiâ, siue Monachos *intra Ecclesiam*, id est, Monachos fecisse Clericos. Ante S. Augustinum enim Monachi non erant Clerici, sed Laici; & sic non erant de Ecclesiâ siue *intra Ecclesiam*: Ecclesia enim aliquando accipitur pro materiali loco, vel pro populo qui est in Ecclesiâ, vt S. Augustinus epist. 157. inquit: *Appellamus Ecclesiam Basilicam, quâ continetur populus qui verè appellatur Ecclesia.* Vel etiam Ecclesia accipitur pro solis Sacerdotibus & Clericis, qui in illâ continentur. Sic S. Ambrosius dicit S. Eusebium Monasterij continentiam & disciplinam Ecclesiasticam coniunxisse: quia in Ecclesiasticâ disciplinâ constituerat Monasticam simul, ita vt simul Monachi & Clerici ordinati essent. Et hunc putant aliqui esse proprium sensum Possidij dicentis S. Augustinum Presbyterum mox instituisse, vt Sacerdotes seculares, qui faciunt Ecclesiam, fierent Monachi, & ita fieret Monasterium in Ecclesiâ. Alioquin, inquiunt, Possidius impropriè locutus fuisset, nunquam enim Monasterium fit intra Ecclesiam materialem, sed iuxta Ecclesiam: bene tamen institutio Monastica fit intra Ecclesiasticam disciplinam. Sic explicant hanc Possidij sententiam *B. Iordanus, Petrus de Natalibus, Dionysius Carthusianus, Antoninus, Magister Marquez, Magister ab Angelis, Gonzales, &c.*

Marquez c. 7. § 1 de Origin. Eremitarum S. Augustini. Epist 83. Lib 2 c. 14 in Vita S. Augustin Serm. 7. de S August. 2 p tit 10 c. 8. Tertia interpretatio.

Aliam insuper addam quæ sit planior, & dicam verum esse S. Augustinum instituisse *intra Ecclesiam* Monasterium, id est, iuxta Ecclesiam. Sed quæram tunc iuxta quam Ecclesiam? iuxta Cathedralem dicent, qui sinistrè interpretantur Possidium: Ego negabo hic designari Cathedralem, sed rusticanam dicam quæ iuxta vel intra hortum erat à Valerio datum. Hoc enim non minus est verisimile, quàm iuxta Cathedralem: quid enim iuris haberet S. Augustinus in Ecclesiam Cathedralem statim post Sacerdotium? Monasterium autem horti fuit institutum à S. Augustino iam Presbytero, vt supra retulimus. Vnicum video effugium, scilicet per Presbyterum intelligi Episcopum; & sic per Augustinum Episcopum mox fuisse fundatum Monasterium intra Ecclesiam Cathedralem, quæ per antonomasiam & meritò dicitur Ecclesia. Fateor ingenuè hæc glossa speciem habet: sed repugnat Possidio, qui cap. 5. loquebatur de Sacerdotio S. Augustini, & statim continuato sermone subdit: *Factus ergo Presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit.* Quod commodissimè de Monasterio horti intelligitur, in quo & ipse Possidius fuit Religiosus, vt cap. 11. probabimus, & non de Monasterio in domo Episcopali: nam ad quinquennium integrum non distulit S. Augustinus suum statum vitæ Monasticæ: & hæc phrasis D. Augustino insolita reperitur; nunquam enim legimus nomine Presbyteri Episcopum designasse. Accedit quod tali modo tantùm vnicam fundationem vel vnum Ordinem possemus concedere S. Augustino vt aliqui non satis solidè asserunt, cùm tamen ipse S. Augustinus de duabus fundationibus & Ordinibus loquatur Serm. 49. Quod vt clarius videat Lector duo fuisse Monasteria diuersa & duos Ordines, ponam hic statum Monasterij horti, & inferius cap. 21. pro antithesi statum domus Episcopalis; vnde facillimè quis discernere poterit, qualiter duo fuerint Monasteria, & hoc

S. Augustinus non mutauit Ecclesiam ante Episcopatū. Non distulit Monachismū donec esset Episcopus. Presbyter apud S. Augustinum non significat Episcopum. Status Monasterij in horto.

1\. hoc aliud esse ab illo. Primò Monasterium horti non habebat reditus etiam in communi: Ego inquit S. Augustinus: *Cœpi boni propositi Fratres colligere, Compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me, vt quomodo ego tenuem paupertatem meam vendidi & pauperibus erogaui, &c.* Secundo Monasterium
2\. horti erat Laicorum. Nondum enim de Sacerdotio suorum S. Augustinus deliberauerat: sed tantùm in communi viuere disponebat cum Fratribus, quos tamen constructo Monasterio ad gradus Clericales pro-
3\. mouit vt infrà dicetur. Tertiò in Monasterio horti laborabant manibus suis, & his victum quærirabant: vt refert ipse S. Augustinus *Serm. 49. de diuers.* Vbi, cùm dixisset Valerius dedit mihi hortum, in quo nunc est Monasterium, statim subiunxit: *Magni veri sancti quotidie in Hymnis & orationibus, in laudibus Dei, inde viuunt: cum lectione illis res est, laborant manibus suis,*
4\. *inde se transigunt.* Quartò viuebant ex eleemosynis, hoc indicat ibidem: *Non auarè aliquid petunt, quidquid eis infertur à piis Fratribus, cum sufficientia &*
5\. *charitate vtuntur.* Quintò habitabant extra populum. Sic dicit paulò ante de illis S. Augustinus: *Elegerunt vitam quietam remotâ strepitu populari, à*
6\. *turbis inquietis, à magnis fluctibus seculi tamquam in portu sunt.* Sextò Monasterio horti erat gradus Clericalis ex priuilegio: Hoc indicant S. Augustini verba: *Cœpi boni propositi Fratres colligere compares meos, imitantes me, &c.* & Possidij cap. 11. *Proficiente vero doctrinâ Diuinâ sub sancto & cum sancto Augustino in Monasterio seruientes Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt.* Et sic legimus *epist. 261.* quendam Antonium fuisse cum S. Augustino à paruulâ ætate nutritum, sed nullis adhuc Clericatus gradibus & laboribus notum, præter Lectionis officium: quia vt inquit *epist. 99.* ex iis qui in Monasterio
7\. permanent, nisi probatiores atque meliores in Clerum assumimus: Septimò Monasterium horti fuit institutum à S. Augustino iam Presbytero: quia vt narrat Possidius: *Cùm de prouidendo & ordinando Presbytero ciuitatis plebem Dei alloqueretur, iam scientes Catholici S. Augustini propositum & doctrinam, manu iniectâ, quoniam ignarus quid futurum esset adstabat; cum ergo tenuerunt, & Episcopo ordinandum intulerunt:* tunc adhuc licet Monachus non habebat Monasterium Hippone: *sed factus Presbyter Monasterium instituit, &c.*

CAPVT IX.

Duo hæc Monasteria Tagastæ, & Hippone fuisse Eremitarum.

ACre hic certè nobis esset bellum nisi cum Religiosis esset decertandum, qui patiuntur sese instrui, qui vincunt cùm iudicantur, & gratum ratumque ducunt; si deterfis amisum fabularum nebulis lux historicæ veritatis à fundamentis discutiatur.

Anachoretæ & Cœnobitæ sunt Eremitæ.

Duplex Eremitarum genus esse diximus: Anachoretarum vnum, Cœnobitarum alterum, de quibus latius suprà. Constat etiam ex dictis S Augustinum non fuisse Anachoretam, id est, solitariè viuentem; hanc enim viuendi formam aliquando sibi delegerat: *Conterritus*, inquit, *peccatis meis & mole miseriæ meæ agitaueram in corde meo fugam in solitudinem.* Sed fuit Diuinâ in-

10. Conf. 51t. cap.

spiratione à tali mente retardatus; quare subiungit: *Sed prohibuisti me & confirmasti me dicens: ideo pro omnibus Christus mortuus est, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Hinc AVGVSTINVS vitâ Anachoreticâ relictâ Cœnobiticam aggressus fuit Eremitarum, ab ipso suæ conuersionis initio. Quod non sine magno fundamento asseri-

afferitur à probatissimis Ecclesiæ Scriptoribus. Quis enim hoc non videatex ipsa vocatione S. Augustini, quæ certè Eremitica fuit ab Antonio ducens originem, quem Eremitam & Patrem Eremitarum fuisse nonest qui dubitet: & ex vocationis confirmatione per secessum in Eremum, duorum Contubernalium Potitiani, & per idæam Monachorum nutritorum à S. Ambrosio, quos Eremitas fuisse testatur ipse locus extra vrbis mœnia, quæ omnia ipse latius prosequitur in libris Confessionum præcipuè 8. cap. 6. A quorum institutione & exemplo non putè S. Augustinum deflexisse, maximè cùm Deus interno quodam radio externum exemplorum impetum solidarit, & in ipso accessu ad Eremum S. Augustinum mirabiliter illuminauerit, & dulciter ablactauerit, vt ipse scribit. *Omnes mirabamur, & nos quia tam magna erant, & ille quia inaudita nobis erant. Inde sermo eius deuoluitis ad Monasteriorum greges, & mores suauèolentis tuæ, & vbera deserti Eremi, quorum nos nihil sciebamus.* Hoc genere otij delectatus S. Augustinus non ita post ad villam Verecundi cum aliquot socijs se recepit, vbi cùm ad vitam Monasticam, tum ad sacrum baptisma sese aptauit. Quæ fusius continentur *lib. 9 Confess. cap. 4. & 5.* Ex quo S. Antoninus colligit S. Augustinum *Eremiticum quoddam vitæ genus in suæ Conuersionis initio sequutum fuisse.* Quod luculenter P. Macurus in scholijs confirmat, dicens: *Quid, quod ipse fugit hominum consortia & post illud tempus in Verecundi rure, cum amicis quibusdam communem & solitariam vitam egit, nonne maximè reddit id verosimile Eremiticum quoddam vitæ genus in sua conuersione initio fuisse sequutum?*

> Probatur ab origine vitæ, quæ incepit ab Antonio.
>
> 8. Conf. c. 6.
>
> S. Augustinus præparat se in Eremo.
>
> 3. part. tit. 24. c. 19. §. 2.

Hoc Eremiticum vitæ genus S. Augustini indicat mora illius sanctæ sanctè concessa Eremitis Etruriæ, de qua *c. 6 fol. 17.* Hoc indicat triennium illud primum in Africanon in ciuitate sed in agris Paternis rure traductum, quem locum vocat celebris Doctor *rigidissimam solitudinem.* Hoc etiam indicat. cap. 7. vbi de nostra primus fundationem in nemore. Idē sentiunt præter Antoniū Volaterranus, Sigisbertus, Baronius, &c. Docet hoc Lælius de Relig, *dist. x. cap. 2. Augustinus antequā Episcopus esset prope Hipponensem ciuitatem Monasterium in nemore condidit, cui nunc Eremitarum est nomen, quod eo viuo & mortuo post maximè est propagatum.* Nauarrus eodem modo scribit: *tempore S. August. Fratres Eremitas fuisse, qui Institutores sui Regulis viuerent.* Hoc indicat Monasterium horti extra ciuitatem, non in Cathedrali Ecclesiâ fundatum & cap. præcedenti probatum. Et Saluianus Massiliensis Author antiquissimus scribens calamitates Africæ: quomodo Religiosos ibidem irriserint, maledixerint, trucidarint; hos Religiosos omnino vti Eremitas describit: *Intra Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros palliatum & pallidum & recisis coronarum fluentium tubis ad cutem tonsum videre non poterant. Et si quando aliquis Dei seruus aut de Ægyptiorum Monasterijs, aut de Ierosolymis, aut de sanctis Eremi venerat secretis ad vrbem illam,* &c. Vbi clarè denotat etiam in Africâ fuisse *secreta Eremi.* Hoc tandem significant plura S. Augustini scripta: ac inprimis *Epist. 37.* quæ est Seueri Eremitæ & Socij S. Augustiori, vt constat ex fine Epistolæ, vbi inquit: *Fratres omnes, qui nobis in Domino conserui sunt, & desidero multum, & saluto.* Eremiticam verò societatem magis exprimit idem Seuerus circa medium Epistolæ, vbi memor societatis S. Augustini in Eremo constituti, loquitur. *De liberali otio, quod tecum mihi agere licuit in hoc rure posito. Epist. 145.* quæ Sebastiano, quem S. Paulinus Eremitam vocat, quæque ab Augustino Sebastiano Monacho inscribitur, illum eodem fuit institutio facit his verbis: *Sanctitatem tuam, & familiam Dei, quæ tuo ministerio gubernatur, Fratres & Sorores quæ apud nos sunt nobiscum, in Domino, resalutant.*

> F. Petrus Bellus in Decorum.
>
> Can. 3. el. c. 4.
>
> Tract. 5. de Regul. com. 4. n. 9. Lib. 8. de prouid.
>
> In Africa erant Eremitæ.
>
> S. Seuerus Eremita.
>
> S. Sebastianus Eremita.

Non creder aliquis hinc bene colligi D. Augustinum Monachum fuisse: quia opponet S. Augustinum etiam Paganos & hæreticos Fratrum appellatione dignari, & remittet me ad Epist. 42. & 164. At quàm differenter,

> S. Augustinus vocat Eremitas Fratres.

In actu Pelag. 49. hoc fiat, colliga ipse indigitator; miror quod non velit legi Epistolam S. Augustini ad Pelag. Vbi S. Augustinus illum vocat: *Dominum dilectissimum, desideratissimum Fratrem*, fortè eodem oculo vidissem singulorum verborum explicationem. *Dixi Dominum, epistolari more, &c. dixi dilectissimum, &c. dixi desideratissimum, &c.* Quæ omnia aliquando certis causis, at non semper Hæreticis conceduntur.

Religiosi propriè sunt Fratres. Nomen *Frater* vel respectiuè vel absolutè ponitur apud S. Augustinum. Respectiuè positum significat bonum Amicum & moralem quandem Confraternitatem: absolutè verò positum significat nō nisi realem fraternitatē, quæ fit vel per eundē partum carnalē, vel spiritualē. Hoc iam vsus obtinuit, vt indicat D. Thomas Aquinas explicans illud Pauli: *Vt subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè*, inquit, *Omnes Christianos Fratres vocat, nondum enim tunc temporis erant Religiones instituta.* Immò hoc iam obtinuit loquendi modus; quod non omnes Religiosi dicantur *Fratres* absolutè: Non enim iustè aliquis vocaret Patres Societatis Iesu *Fratres* quamuis sint verè Religiosi. Et maximam iniuriam putarent sibi irrogari DD. Canonici Regulares si vocarentur Fratres vel Monachi, vt fatentur Tienensis, Trullus & Sirenius illius instituti pij & docti Religiosi, quod confirmat & refert Molanus. Videturque hunc loquendi modum S. Augustinus seruasse in Ecclesiā: semper enim cùm S. Augustinus loquitur de Fratribus absolutè, de Monachis seu Eremitis est intelligendus. Sic loquitur Sermone 49. *Disponebam esse in Monasterio cum Fratribus. Cœpi bono proposito Fratres colligere.* Sic lib. de bon. perseu. *Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus Fratribus.* Aliquando tamen vocantur DD. Canonici Regulares *Fratres* sed respectiuè. *Fratres mei*: Sic videre licet *Serm. 49. & 50. de diuersis.* Vbi quartò vel quintò reperies *Fratres mei* semper cum Canonicis loquitur; quos plerunque Presbyteros, Clericos, Cooperatores, & Socios vocat: Immo in fine Serm. 50. expresse: loquens enim de Presbyteris Barnabā & Eleusino, vt illos excuserā proprietate dicit illos fundum dedisse Monasterio, immo instituisse Monasterium *Fratrum* scilicet Eremitarum: at quia debita contraxerant, relictus erat fundus fidei illius, vt Eremitæ lucra non requirerent. Ast ad Eremum ex aulā reuertamar. Hanc itaque S. Augustinum incoluisse & condecorasse constat ex verbis Petiliani, qui, vt refert S. Augustinus: *Peruexit maledico ore in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc vitæ genus à me fuerit institutum; quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit: inde asserens me dixisse Christum esse Baptistam.* Ex quo testimonio benè versatus in doctrinā S. Augustini Eremiticam fundationem euidenter deducet. Duo enim hæreticus ille S. Augustino opponebat, vt illius doctrinam euerteret, vel saltem apud fæcem populi traduceret. Primò S. Augustinum calumniabatur otiosam vitam certorum mundi Contemptorum introduxisse, quos cùm vidisset populus non in oppidis, sed in hortis & siluis commorantes, nōn hinc inde discurrentes, sed in suis cellulis Deo vacantes in solitudine segregatos à populari strepitu; Petilianus maledicus inde asseruit S. Augus. voluisse docere Ioannem Baptistam prò mundi salute fuisse passum, omnesque debere sequi Ioannem Baptistam à primis annis deserta inhabitantem, ad cuius normam S. Augustinus discipulos suos colligebat.

Qui Religiosi dicantur Fratres.

Cusats à Marguer. 58.

Cap. 5.

Canonici non dicuntur Fratres absolutè.

S Augustinus est author Eremit. in Africa.

Calumnia Petiliani.

Notet etiam versatus in S. Augustino supra relatum responsum, quo hanc calumniam eluebat Augustinus: non enim asseruit se hoc vitæ genus non instituisse, sed vt notat Card. Bellarm. *Eum condemnat, quia fingit, & se ignorare simulat illud vitæ genus esse nouum, & adhuc in orbe terrarum incognitum.* Quo responso suam Eremiticam fundationem patefacit: illa enim sola non erat noua, & illa erat sola notissima; Clerici enim enim Episco-

2. De Monach. c. 3.

S Augustinus declarat se de Eremitis loqui.

Episcopis habitantes, sicut tempore Apostolorum, iam defecerant; vix vllus amplius supererat: illos enim sepultos quasi non fuisset dicitur restituisse S. Augustinus. At Eremitæ per totam Europam & Asiam erant frequentissimi & notissimi, vt ipse S. Augustinus libro de vnitat. Eccles. *Quæ sunt in Ægypto*, inquit, *in millibus Seruorum Dei, qui per Eremum in sanctâ societate viuunt perfectionem Euangel. studentes tenere*, &c. Hoc ergo erat vitæ genus quod S. Augustinus instituerat in Africa, de quo *lib. 21. Ant.* Volater. *Valerius Præsul Hippon. Augustinum audità famâ ad se accersitum in loco abstinentiæ commodo extra vrbem constituit, vbi annos tres cum socijs agitans contlus est cuiuam accedentium importunitate locum mutare, ac quendam montê aditu difficillimum petere, vbi tugurium inter saxa vilissimum separatumq; à cæteris fecerat, hic librum conscripsit de vitâ Monachorum; reliqui vero socij eum tactu fundæ remoti circumstabant.* Sed libet hic Achillem ponere, & rursus redire ad Serm. 49. iam secundò vel tertiò examinatum. libet nunc ex illo eruere Eremiticum institutum, sicut antè ex illo deduximus fundationem Tagastensem & Hipponensem. Illo etenim loco S. Augustinus non obscurè indicauit hortum illum Valerij fuisse extra ciuitatem, & per consequens ruri in nemore vel Eremo. Hoc si euicero palmam Eremitis obtinuero. Postquam igitur S. Augustinus dixisset hortum sibi datum in quo nunc est Monasterium, & viuendi modum in communi, qui ibi obseruabatur, refert statum suum Episcopalem, quomodo experientiâ edoctus *viderit necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam venientibus siue transeuntibus*, quæ omitti non poterat, ne diceretur inhumanus, & in Monasterio permitti non poterat *propter indecentiam, & ideo* (inquit) *volui habere in istâ domo Episcopi Monasterium Clericorum.* Vbi habes causam secundæ fundationis illam, *quia necesse erat hospites excipere*, quæ certè tanta vel assidua non fuisset si Monasterium in ciuitate fuisset: potuissent enim in hospitio excipi, vel apud alios Amicos degere, nec ideo dictus fuisset S. Augustinus inhumanus: quia hoc ipsi non poterat vitio tribui, præcipuè si in Monasterio erat, vbi hoc incommodum & minus decens; aliud ergo vult indicare S. Augustinus, scilicet Monasteriũ hoc, in quo erat, fuisse extra ciuitatem, in diœcesi tamen & non remotum à ciuitate; vbi vix erat alia commoditas hospitij, qualem in syluis non est reperire, & debebant cum illo tractantes passim excipi, cùm à domo suâ & à commodo loco abessent, nec possent tempori pro refectione sumendâ ad illam reuerti, alioqui merito inhumanitatis (quam cauebat) noram S. Augustinus incurrisset; hinc ergo venit ad ciuitatem & Monasterium transtulit, pro minore inconuenientiâ ducens Religiosos transferre, quàm obligationi illi de assiduâ receptione hospitum subiacere, quam non soluebat ædificando Monasterium Clericorum, sed bene ædificando illud in ciuitate, quò tot hospites non occurrebant. Huic consonat quod in Serm. 14. ad Fratres in Eremo legitur: *Et licet Fratres nostri, qui collocati sunt in horto S. Episcopi Valerij satis distent ab vrbe*, &c. Non enim subterfugeret inurbanitatis nomen & murmurationem Præpositus vel Abbas, qui Monasterio suo in ciuitate posito secundum adderet æquè religiosum ac primum: sed fugeret talem obligationem, si suum ex villâ in ciuitatem transferret, vel ibidem aliquot egregia hospitia ædificaret, vel si laxiorem aliquam viuendi normam aggrederetur, vbi hospites non ita ieiunio, nec silentio, nec meditationibus; aut alijs Monasticis institutis possent obesse, quod de S. Augustino nullus dicendum censebit. Legi poterit ad hoc propositum 36. Epist. S. Paulini, quæ est inter illas S. August. vbi S. Paulinus hortatur Licentium, vt cum S. Augustino viuat & sequatur vestigia vti alter Elisæus magistri sui Eliæ sine dubio indicans Eremiticam vitam, & cingulum Eliæ, quod S. Augustino erat cum illo commune.

Nulli adhuc erant Clerici Regulares. Eremitæ plurimi.

Causa secundæ fundationis.

Probatur Eremit. cū institutum ex Serm. ad Fratres Eremitas.

Bella censura horum Sermonum.

Clarius possemus hoc deducere ex operibus D. Augustini, nisi aliquis Eremitici nominis hostis in odium illius omnes Sermones aliquomodo traćtantes de vitâ Eremiticâ ex operibus S. Augustini excerpsisset, alios hinc inde aliquot nugis conspurcando, vt sic omnes redderet suspectos, & fidem, quam facere potuissent, eneruaret: Quos alij nimio affectui adscribunt, eosque ideo proscribunt, & Vulcano tradi volunt: At non sic patimur margaritas sepeliri, quas diuites reijciunt, nos Eremicolæ hoc misero rerum statu amplectimur, & polimus, paleam & stipulas cribro veritatis à frumento discernentes cum vtriusque vsu: ad vitam frumentum, ad fimum quisquilias iudicantes.

In solitudine S. Augustinus habuit 100. socios.

Sermon. 21. clarè inquit S. August. *Et sic perueni ad Africam piâ Matre defunctâ: & ædificaui, vt videtis Monasterium, in quo nunc sumus, in solitudine, & à gentibus segregatum, & placuit Deo centenarium numerum Fratrum mihi donare.*

Insignis doctrina S. Augustini de Eremo.

Serm. 3. quem propter suppositum verbum *Mercantia* nollemus adulterum fœtum, disertè & appositè adhortatur Fratres suos S. Augustinus: *vt silentium ament, ponentes custodiam ori suo: vt solitarij sint, sociati Angelis: vt rustici sint, quò fiant ciues Sanctorum: vt contemplentur in Eremo, quò possint contemplari à sanctis in cœlo, &c.*

Serm. 4. inquit: *In hac igitur Fratres mei solitudine constituti toto affectu orare debemus.*

Serm. 5. dicit: *Monasterium in Eremo à gentibus segregatum multo labore ædificaui, & cum longiore anxietate seruos Dei per nemora habitantes congregaui, & cum eis pariter viuere cœpi.*

3. Monasteria erexit S. Augustinus apud Hipponem.

Serm. 14. dicit: *Tria Monasteria apud Hipponem Dei gratiâ merui laudabiliter ad honorem S. Trinitatis construere. Quorum primum hoc est, in quo iam annis multis modico pabulo contenti hilariter commoramini, bestijs associati, auibus ministrati, &c.*

Similia habet Serm. 39. & 49. de vitâ solitariâ & obseruantiâ Clericorum agens.

Baronij testimonium in figue. Tom. 6. an. D IV.

Hic vides duos Ordines.

Anno CCC. XLI.

Ex quibus omnibus Eremitica fundatio est manifestissima, nec vllus sanæ mentis satis sanè illam poterit vnquam negare, qui penitus decursum vitæ S. Augustini incuitus fuerit; Concludam itaque hocce cum Illustrissimo Cardinale Baronio historiarum Helluone sibi obijciente & simul respondente. *Sed vnde huiusmodi Monastica institutio fluxit in Africam? Si rectè memoriâ tenes, non ab alio quàm ab ipso S. Augustino: qui eandem ex Romanâ & Mediolanensi Ecclesiâ primitus mutuatus in Africam inuexit, atq; latissimè propagauit.* Et post pauca narrat. *Duos Ordines ab illo fuisse institutos Religiosorum: aliorum in ciuitatibus degentium: aliorum verò qui procul à ciuitatibus degentes eius essent vita, atq; vestitûs, cuius hîc vides S. Fulgentium esse cultorem nempe vna tunicâ induti, eâdemq; pelliceâ zonâ constrictâ, &c.* Et tom. 4. dixerat: *Vt ex his videas duo à S. Augustino erecta fuisse Hippone Monasteria, alterum cùm adhuc Presbyter esset,* in horto: *alterum verò cùm factus est Episcopus in domo Episcopali.* Hancque sententiam puto esse non semel sed sæpius à SS. Pontificibus determinatam: vocantur enim Eremitæ S. Augustini sæpius per illorum bullas veri filij S. Augustini. Præcipuè per bullam, Ioan. 22. quæ, præhabito tum Cardinalium, tum Historicorum ac Theologorum consilio fuit edita, de qua p. 2. fiet mentio. Hinc non minus doctè quàm piè celebris quidam Doctor ex sanctorum Patrum dictis & varijs elogijs texuit Litanias S. P. AVGVSTINO, quæ in pluribus Ecclesijs publicè decantantur; quam etiam Romana Ecclesia vidit, recognouit, & approbauit: quibus Eremitarum Pater, fundator, ac institutor S. AVGVSTINVS solenni confessione omnium cognoscitur. Quas etiam Litanias, vt à pluribus terantur, libuit hic apponere.

P. Magister Sanct. Arimi-nensis ex voto.

Kyrie

Litaniæ S.P. Augustini a S. Romana Ecclesiâ approbatæ.

Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta MARIA,
Sancte Pater AVGVSTINE,
Fili piarum lachrymarum S. Monicæ,
Pater & Fundator Ordinis Eremitarum,
Lux Doctorum,
Mallee Hæreticorum,
Disputator acutissime,
Firmamentum Ecclesiæ,
Magister Theologorum,
Vas Diuinæ scientiæ,
Doctor Doctorum maxime,
Norma vitæ Apostolicæ,
Vulnerate Christi charitate,
Propugnaculum fidei,
Præsul maximæ authoritatis,
Insignis Præco verbi Dei,
Antistes magnæ subiectionis & miserationis,
Gemma Confessorum,
Eximie Scrutator sacrarum litterarum,
Summum decus Præsulum,
Illuminator fidei orthodoxæ,
Fidei Defensor intrepide,
Arcus refulgens inter nebulas gloriæ,
Oliua pullulans,
Clarissimum lumen Ecclesiæ,
Thus redolens in diebus æstatis,
Artificiosa Dei apis,
Flos rosarum in diebus vernis,
Sol lucens in Templo Dei,
Aquila Trinitatis solem intuens,
Fons Diuinæ eloquentiæ,
Speculum sanctitatis,
Vitæ nostræ Institutor,
Exemplar virtutum omnium,
O solatium afflictorum,
O dulcedo Pauperum,
O Pater beatissime,
O pie consolator Filiorum,
— *Ora pro nobis.*

Ad te, Pater, confugimus,
Per lachrymas ob tui conuersionem à S. Monicâ effusas,
Per admirabilem vocationem tuam,
Per sanctum baptisma tuum,
Per certã & indubitatam fidem tuã,
Per desiderium, quo ardebas, tuendæ fidei Catholicæ,
Per sanctos labores, quibus militantem Ecclesiam locupletasti,
Per merita Sanctorum, quos Deo mundoque peperit Religio tua,
Per sanctas translationes tuas,
Per miracula ac doctrinam tuam,
Per admirabiles contẽplationes tuas,
— *Impetra nobis gratiam.*

Vt vota Deo tibiq; promissa seruare valeamus,
Vt augeatur in nobis fides & deuotio,
Vt omnes Ecclesiastici Ordines tibi peculiariter subiecti in sanctâ Religione permaneant,
Vt Ecclesia sancta ab omni Hæreticorũ feritate semper salua cõsistat,
Vt summum Pontificem nostrum N. verum Christi Vicarium omnes Nationes venerentur,
Vt hymnum, quem cum S. Ambrosio mirabiliter decantasti, in cœlo & nos decantare possimus,
Vt Benefactoribus nostris viuis atque defunctis sempiterna bona retribuantur,
Vt tuo sancto ductu securi redeamus ad patriam,
— *Roga Deum quæsumus.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson.
Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Pater noster, &c.
Et ne nos, &c.
Sed libera nos, &c.

℣. Laudemus Dominum qui de tenebris gentium
℟. Lumen Ecclesiæ suæ vocauit Augustinum.

Oremus.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus: & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente B. P. N. Augustino Confessore tuo atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEVS qui B. P. Augustinum Ecclesiæ tuæ in exponendis sacræ scripturæ mysterijs Doctorem optimum & electum Antistitem prouidisti: da nobis quæsumus eius semper & doctrinis instrui, & oratione fulciri. Per Christum Dominum nostrum, ℟. Amen.

CAPVT X.

De Sermonibus S. AVGVSTINI ad Fratres in Eremo, quantum illis sit deferendum.

OMNES hos Sermones, qui sub titulo ad Fratres Eremitas solent deferri & D. Augustino adscribi, nec possem nec auderem pro veris S. Augustini monumentis exponere, vel iam olim expositos offerre aut exosculari. Nollem etiam iudicare hos effictos fuisse in odium Canonic. Regular. cùm tale quid nihil sapiant, vel valde parum; si diuersa ex diuersis copulemus, vel si Paternam admonitionem ad hominem factam malè velimus interpretari: quod esset omnem concionem & moralem instructionem, quæ vel maximè apud Rhetores à contrario desumitur, eliminare. Potius dicerem aliquem non satis syncero affectu erga Eremiticum institutū, vt ante dixi, hoc idem voluisse sepelire, ac sic omnes Sermones illud idem inculcantes (ad nauseam aliquibus) congessisse, quos vt idem de sinistrâ fide accusaret, vel inutiles faceret, ansamque præberet, quo verisimiliùs illos apocryphos diceret, varijs erroribus, fabulis, inconcinnis vocibus, & incongruis loquutionibus, non satis dextrè infecit.

Refellitur calumnia recentioris cuiusdam.

Sermones aliqui videntur corrupti.

Etenim hoc ordine, loco, & numero, & ad hos Auditores à S. Augustino fuisse prolatos, vel sub hoc titulo compositos, nec Possidius retulit, nec Vrbinas, aut alij vnquam asseruerunt: Et hoc ipsum ipsemet Collector illorum facilè potuisset notare ex *Serm 32.* qui Leprosis fuit factus, ex *Serm. 35.* qui Iudicibus Hipponens. veram iustitiam, seposito omni humano affectu, indicit. Ex 37. qui cū Sacerdotibus agit, illisq́; Simoniæ vsum interdicit, quæ omnia procul erant ab Eremitico instituto. Ex horum Serm. numero libenter etiam concedam tres vel quatuor non esse S. Augustini: Ordinem abesse ipsa confusio prodit, titulus à posteriore est annexus; & fortè non paucæ voces barbaræ fuere de industriâ interiectæ; Non enim mihi persuadere possum hominem illius seculi Latinum, vt multæ graues sententiæ indicant & continuatus sermo, tam incongruum fuisse, vel ita nomenclatore destitutum, quin potuisset aliqua verba immutare, eaque Latinè proferre, maximè si Collector ille fuit fraudulentus impostor, & malæ fidei, qui solent adulterinas merces veritatis pallio quàm maximè vestire, ne vt adulterinæ compareant.

Sermones ad Eremitas fuerunt aliter scripti.

Censura alia Sermonum.

Improprias loquutiones horum Sermonum multò minus velim excusare, cum *quandoq́; bonus dormitet Homerus*: Et multis videatur phrasis ad palatum, & excusanda, cùm alijs videatur accusanda. Vix est hora cùm legerem in Grammatico authore, qui multis supereminet & magnis *hominem iugulari telo tricuspide.* Quod quàm propriè censeat alius Grammaticus. Ego tricuspe telum aggrediar retundere, ne nos confodiat.

Ad stylum enim quod attinet in his Sermonibus, ingenuè fateor; varius est: nonnunquam, & sæpe Augustinum redolet, maximè apud illos qui benè olent, nec dissimilis sibi est in hoc sermo, velut alius cerdo, 51. 52. 53. cùm tamen in his lucinia, in illis coruus raucus dicatur crocitare. Quàm facilè grauitatem horum Sermonum irrisisset, qui multos alios critico sibilo excepit; si voluisset, stantem Oratorem, & sedentem Auditorem fecisset. An non potuisset digitum opponere *dimidio homini* qui ibidem dicitur cecidisse, vt totus caderet, qui malus erat: talis enim quis est ex quouis defectu, bonus non nisi ex integrâ causâ, modicum fermenti totam massam corrumpit apud Christum. Ipse Criticus quamuis glorietur se posse discernere probè S. Augustini stylū, tamen in laruâ se ipsum castigauit & alijs oculis vsus fuit anno M. DC. XVIII. alijs anno M. DC. XXI. alijs forte vtetur alijs annis.

De stylo horum Serm.

Idem stylus horum Sermonum cum 51. & 52.

Demus

Demus tamen & stylum horum Sermonum nonnunquam, etiam vt plurimùm, esse demissiorem, & supplices petamus ignosci S. Augustino (si offenderit) dum Eremitis minus eruditis minus eruditè scripsit. Potuit hoc facere S. Augustinus: nam ipsemet fatetur in suâ suorum librorum crisi *lib. 2. Retract.* se Fratribus laicis inferioris propositi familiari stylo scripsisse: *Liber*, inquit, *de agone Christiano Fratribus in eloquio Latino ineruditis humili stylo conscriptus est.* & in Psal. 138 *Mauult reprehendi à Grammaticis, quàm non intelligi à peccatoribus;* hinc *os* vocat *ossum*, & Psal. 36. inquit, *melius in barbarismo nostro vos intelligetis, quàm in nostrâ disertitudine deserti eritis.* Veniam etiam meretur S. Augustinus suâ diligentiâ & corporali labore, quem aliquando Sermonibus edicendis adhibuit per diem integrum, aliquando ex improuiso, aliquando vix loquebatur imbecillitate corporis fatigatus.

Excusatur stylus in S. August.

Cap. 3.

1. Quia Laicis fuit aliquando concionatus.

2. Ob labores ingentes

Serm. 43. de Verbis Domini epist. 70. ad Bonif.

Pius II. aliàs Æneas Siluius, vir versatissimus in humanis & Diuinis litteris, sæpius asseruisse dicitur S. Augustinum eâ mentis acie refulsisse, vt non vno dicendi stylo contentus, verùm singulis in operibus alio stylo vsus fuerit, rebus modos dicendi, non modis res accommodando. Annon hoc idem D. Cypriano vsu venisse constat? De stylo S. Augustini longè plura inferius; & pulchra apud Sixt. Sen. inuenies. Verbo *Aurelius Augustinus. §. Dicendi modus.*

Lib. 4. biblioth.

De Cardinalatu S. Hieronymi agebatur in secundâ teli cuspide videbaturq; iugilare *Serm 24. ad fratres in Eremo.* At Cardinalatû S. Hieronymi multi defendunt: Volaterranus dicit se inuenisse in antiquis tabulis apud Ecclesiam Aretinam donationem cuiusdam Zenobij Senatoris Romani eidem Ecclesiæ vsque à tempore Damasi Pontificis factam: Vbi & huiusmodi est subscriptio: *Ego Ioannes S. R. E. Diaconus Cardinalis ex parte Damasi laudo & confirmo.* Itaque non videtur D. Hieronymus Damaso charissimus non fuerit Rom. Eccl. Card Presbyter. Idem dicit Genebrardus probans D. Hieronymi Cardinalatum: Video etiam communi Ecclesiæ stylo illum & dici, & pingi Cardinalem, cui nec velim obesse: Fabulas tamen in illo Sermone insertas esse, indignaque S. Augustini iudicio ibidem multa; Vnde si quis hunc Sermonem cum 25. & vno atque altero demeret, parum me pungeret; purgaretur magis argentum tali scoriâ semel remotâ. Hoc non minus doctè quàm piè fecit. Io. Stephanus Durantes, & Card. Baron. *Martyr. Rom. 5. Ian.* sicque vnâ cuspide non omnes iugilarunt Sermones, sed sigillatim aliquos peremerunt.

S. Hieronymus fuit verè Cardinalis.

Lib. 22. Anthrop.

Ann. CCC. III.

Reprobantur aliquot Sermones.

Lib. 3 de ritibus Eccl. c. 4.

Tertiam cuspidem acutissimam licet retudi aliquantulùm cap. antecedenti, vbi probauimus satis S. Augustinum fuisse Eremitam ex ipso S. Augustino & ex locis admissis, videturque simile quid necessariò ipse Cardin. Bellarm debere & velle admittere eodem loco, tum quia ad Possidium sese refert, quem examinauimus & audiuimus testimonium ferentem S. Augustinum iam prius ita vixisse cùm in agris paternis viuceret, vt postea in Monasterio viuere describebatur. Tum etiam quia Cardinalis inquit: *S. Augustinum factum Presbyterum Monasterium habuisse intra Ecclesiam, ibiq. cum nonnullis vitam Apostolicam duxisse, non vtiq. in Eremo, sed intra vrbem, deniq. factum Episcopum cum Clericis suis in domo Episcopi vitam communem egisse.* Vbi duo concedit S. Augustino Monasteria Hippone intra vrbem. Satis superfluum certè erat alterutrum: nam si primum erat intra Ecclesiam, quid opus erat ibi secundo? Non minus illud repugnabat hospitalitati quàm hoc. Quis etiam credat in vno palatio nec valde augusto duo fuisse Monasteria? Verùm de his latius dictum fuit capite præcedenti.

Refellitur quod S. Augustinus non fuerit Eremita.

Cap. 5.

Alios cuneos habent alij, quibus hos Sermones destruere nituntur: sordidos illos dicunt, quia de porcis mentionem faciunt similitudine aliquâ ab his desumptâ; sordes aliquorum vitiorum exprimentes. At hoc non insolitum

Soluuntur alia argumenta cont. Sermon.

Cap. 6.

licitum Augustino, aut alijs SS. Patribus: *lib. 5. Confess. se pastum fuisse porcorum siliquis, & de istis siliquis alios pauisse* fatetur.

Defenduntur aliqua correcta in his Sermonibus.

Alios etiam flosculos excerptos & pro piaculis annotatos facilè expiarem, si hoc modò profiterer: pia enim sunt, quæ de Petro & Iudâ continentur *Sermon. 28.* horribile illud & detestandum quod de Simplicio: iustum Dei iudicium notatur in Cyrillo: multaque his similia leguntur in *speculo Exemplorum.* Quod in *Serm 37.* legitur de Acephalis non caret Authoribus ante Augustinum. Plinius *lib 5. cap. 8. & lib. 6. cap 30. & lib. 7. cap. 2.* hæc eadem pro veris exposuit. Strabo *lib. 1 & 7.* Aul. Gellius *lib. 9. cap. 4.* D. Anselmus *lib. 1. de imagine Mundi cap. 10.* & plures verosimilem si non certam æstimant horum monstrorum existentiam. Plura his & magis mirabilia refert S. Augustinus *lib 21. de Ciuit. Dei* de sale quod in ignem iniectum liquefit, in aquam crepitat & saltat: de fonte adeò frigido, vt per diem non possit bibi, adeò calido vt noctu non possit attingi: de alio fonte in quo facula accensa extinguitur, extincta accenditur: de lapide semel accenso, qui nunquam potest extingui. Attamen post horum omnium enumerationem inquit: *Omnium genera hominum, quæ dicuntur esse, esse credere non est necesse.* Sic etiam dico non esse necesse credere quod S. Augustinus *Serm. 48.* dixerit animam aliquam esse, quæ vocaretur Israël, iuxta illud *In exitu Israël de Ægypto*, quamuis animam felicissimam ibi descripserit, & miserrimam, qualem fortè Spiritus sanctus Sapi. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, non tanget*, &c. vel qualem Dauid. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut Cedros Libani: Et transiui & ecce non erat.* Estque talis figura valde familiaris Rhetoribus, ab aliquibus Hyperbole dicta, at malè: Tapinosis potius deberet appellari, nam non satis dicitur quod res est.

Arephalos esse est probabile.

Miracula naturæ.

Lib. 16 de ciuit. Dei, c. 8.

Psal. 36.

Soluuntur aliæ calumniæ contra hos Serm.

Vtitur his Sermonibus Vrbinas.

Magis ridicula sunt, quæ alij minus syncerè de his Sermonibus affingunt: Martinus Lipsius Flandro Exclamatori illos adscribit; quod si probaret, crederem, & Flandro-Belgis congratularer. *Bartholomæus* (inquit) *Vrbinas illos non citat in suo Milleloquio; ergo.* Antecedens est falsum: multa enim ex his desumpsit *Colum. 2469.* admittit *Serm. 60 de persecut. Christianorum. Colum. 2478.* approbat *Serm 62. de timore & auaritiâ*, *Colum 2465. Serm. 49. de Miseria carnis: & Serm. 76.* quãuis sub alio nomine. Idem Lipsius & Louanienses per illum inquiunt in his Sermonibus intermisceri verba S. Augustini Cæsarij & Gregorij, qui Augustino fuêre posteriores. Sed alius maiori iure diceret, in his contineri verba, quæ postea Cæsarius & Gregorius ex his desumpserunt, sicque illos Sermones stabiliret.

In crisi Augustinianâ Monachij An. M. DC. XVIII.

Tandem censura Louaniensium, licet olim satis grauis & magni nominis præcipuè vbi de Patribus agebatur, nunc nobis multis nominibus suspecta redditur, dum à Critico grauiter accusatur; quod suum iudicium vni Martino Lipsio Canonico Regulari fortè sui ordinis amore deliranti commiserint, quasi is omnium os, mens, & lingua fuisset: accusantur ab eodem Louanienses *præcipue vbi de Patribus agebatur*: quòd fucatè, de quibus dubitabant, dissimulauerint: quod ambiguum iudicium tulerint: quòd plurimas ex Erasmi dolio fæces in Augustino reliquerint: quod scopum non attigerint: Similes commendationes promeruit Vniuersitas tam felix ad inuidiam exempli: Quamuis & ipsa Martinum Lipsium pro Marte non coluerit, aut pro Lydio lapide habuerit, nec ad similes successus siluerit.

Sermones ad Fratres Eremitas sunt antiquissimi. Noti fuere D. Prospero.

His itaque alijsque telis contra Sermones S. August. ad Fratres in Eremo productis ferreum oppono pectus venerabilis antiquitatis & indubitatæ fidei ante controuersiam Eremiticam exortam. S. Prosper D. August coætaneus, illiusque discipulus & assiduus lector, librum scripsit sententiarum ex D. August. desumptarum, vt inquit, & in illo inserit plurimas sententias ex sermonibus ad Fratres in Eremo, quas alibi non est reperire vt est illa 71.

Qui

Qui pœnitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit. quæ continetur Serm. 30. & 71. Similis quidem habetur homilia. 11. sed alijs verbis concinnata. Insuper, *sententia 388.* habet maximam partem ex Serm. 48. *Respice sepulchra, & vide, quis seruus, quis Dominus.* Et author Comment. in Prouerbia, cuius fœtus extat inter opera D. Hieronymi, quem plerique Bedam vel illius seculi virum faciunt, agnoscit hos Sermones esse S. Augustini: nam in cap. 24. refert versus illos tanquam Augustini:

Noti sunt Bedæ.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Qui habentur *Serm. 26. ad Fratres Eremo.* Ex quo Beda hos desumpsit. vt bene notat Sixtus Senensis. *lib. 4. Biblioth. verbo Hieronymus Strid.* §. *De Prouerbijs Salomonis*, & notat Marianus Victorius *in censurâ ad D. Hieronymum tom. 8. in principio.* Verùm est Possidium hos referre tamquam Augustini affixos mensæ, sed in operibus S. Augustini non reperiuntur nisi Serm. 26. Iuo Camotensis iam à 500. annis excipiens aliqua ex Serm. 52. *Vocauit illum Sermonem ad Fratres in Eremo.* S. Antoninus de Padua à 400. annis ex *Sermone S. Augustini 28.* profert hanc sententiam: *Quod auro ignis, quod lima ferro, hoc facit tribulatio homini iusto.* S. Bonauentura à 350. annis tamquam ex S. Augustino dicit. *Si Petrus proditorem fecisset, dentibus eum dilaniasset*, quæ non continetur alibi nisi *Serm 38. ad Fratres in Eremo.* Iordanus de Saxoniâ iam à 300. *annis lib. 1. cap. 7. citauit Serm. 21. & 37.* sicut *cap. 11. Serm. 17. cap. 13. Serm 30.* vti & alias frequentissimè. Landulphus Carth. sæpissimè idem facit maximè. *2. part. cap. 14. in vitâ Christi.* Ferdinandus ab Hispaniâ, & Petrarcha iam à 270. annis. Thomas Waldensis & Vrbinas à 200. annis. Vasinus Astensis Episcopus *in Concilijs suis.* Benedictus Capra de Perusio *in Consilio de potestate & authoritate Prioris localis.* Nicolaus V. Pont. Max. *in tractatu de laudibus S. Augustini*, puritate conscientiæ & scientiæ D. Augustini vehementer extollit, *quæ extant*, inquit, *in Confessionibus, Meditationibus, Soliloquijs, nec non Exhortationibus ad Fratres in Eremo.* Dominicus quidam & Eusebius Canonici Regulares disputantes cum Ambrosio Chorano pleno ore fatebantur conuicti à veritate hos Sermones esse veros S. Augustini fœtus: ast in odium Ordinis nostri alios sibi fingebant Eremitas de quibus volebant S. Augustinum intelligendum esse. S. Antoninus iam à 170. annis frequenter vtitur his Sermonibus. Attamen ne adhuc aliquis dubitet de antiquitate horum Sermonum, legat Ioannem Mabuernum Canonicum Regularem, Abbatem Liriacensem in libro quem inscripsit: *Venatorium Canonicorum Regularium.* Cuius mentionem faciunt Louanienses, lib. 1. cap. 22. Vbi inueniet authorem horum Sermonum esse antiquiorem Carolo Magno, & scriptos fuisse tẽpore Pipini Regis, quod ipsemet dicit sibi cõstare: *Inuenimus*, inquit, *in fronte libri Sermonum istorum quòd Sermones isti in Abbatia S. Dionysij fuerint comperti in quodam libro à Presbytero Ioanne Capellano Ecclesiæ SS. Geruasij & Prothasij tempore Pipini Regis conscripti.* Autographum hac ætate scriptum extat adhuc hodie Parisijs in Bibliothecâ Regiâ, indeque sumptum fuit exemplar quod asseruatur apud S. Victorem.

3. part. decret. cap. 177.
In 2. quadrag. feria 6.
in medit. vit. Christi c. 75.
Authores pro Serm. ad Fratres in Eremo.
Confessio aliquorum Canonicorum Regularium.
3 part. tit. 24. & alias,
Designatio Autographi.

Certè si Tertullianus ex summâ antiquitate voluerit primis instrumentis istis authoritatem dandam esse, quod etiam obseruant omnes alij Patres, & Scriptores, quis audebit his Sermonibus omnem authoritatem auferre, & si ordinariam S. AVGVSTINI illis non concedat? Et si illud authenticum scriptum sit quod à maiori & saniori parte totius Ecclesiæ colitur, quis non verebitur ita hos Sermones reijcere?

Inter

Inter recentiores Ioannes Trullus Canon. Regul. Prior S. Christinæ *lib 1. cap. 7. num. 3.* exosculatur Serm. 5. ad Fratres in Eremo, in quo est expressissima fundatio Eremitica. Dionys. Carthus. laudabile institutum sui Ordinis, de abstinentiâ perpetua carnis ex Sermon. S. Augustini ad Fratres Eremitas deriuat. Nauarrus *Comment. 1 de Regul.* hos Sermones citat sub nomine S. Augustini. Episcopus Monop. *in epitom Sanctorum lib. 1. cap. 1. num. 21.* vtitur *Serm. 25. lib 3. cap. 24 num. 11.* Serm. 10. commendat. & postea *lib 5. cap 12. num. 34.* Sermon. 37. Eundem Sermonem pro Augustiniano recipit P. Michael Medina *lib. 1. de SS. hominum cont. cap. 53.* Paulus Morigia *cap. 22.* Renatus Chioppinus *lib 1. mon tit. 3 num. 7.* P. Petrus Maturus Societatis Iesu. P. Vasquez vir immensæ doctrinæ & lectionis *1 2. disp. 189. cap. 12.* exosculatur Sermonem 43. & idem Vasquez *disp 190. cap 9* Serm. 45. *& disp 205. cap. 4.* Serm. 11. Hos etiam Sermones ad Fratres Eremitas pro Augustinianis veneratur Antonius de Geuara Episc. Carolo V. Cæsari à Consilijs & Chronologijs *in Orat. Relig. cap. 34.* Seraph. Caponius explicans cap. 28. Deuteronomij inseruit multa ex Serm. 47. quo etiam videtur vsa Glossa interlinearis in designatione peccati Fratrum Ioseph *Genes 37.* quod approbat D. Thomas *2. 2 quæst 154. art. 12. ad 4.* Ex hoc etiam multa præclara sumpserunt Guilelmus Parisiensis, Aluarus Pelagius, S. Antoninus, &c.

Num. 26.

Vide Antonium Monachi ac de minist. Alt c 23. fol 77. Ludou. Miran. tom. 2. manualis. q. 5. art. 1. 3 part, tit. 24. c. 14.

Ex quibus omnibus & alijs quàm pluribus studio hîc omissis, constat quantâ iniuriâ nonnulli plus nimio zelo onusti ita hos Sermones depriment, ita calumniantur homines, qui Eremitæ Augustiniani dicuntur, & sunt: dum his vtuntur ad sui instituti defensionem. Melius certè Alphonsus Ciacconius Ord. S. Dominici Theologus de his Sermonibus inquit: *Quisquis eorum Sermonum author dicatur, momentum aliquod & pondus huiusmodi testimonium habere potest, & debet; nisi velimus multa Theologorum dogmata, multa præstantissima medicinæ remedia, multa Philosophiæ & Astronomiæ documenta, multas deniq. egregias historias refellere, quòd earum authores ignorantur.*

Insigne testimonium Alphonsi Ciacconij.

Longè certè alia est censura cuiusdam recentioris Censoris, qui horum Sermonum authorem *nequissimè mentitum, immò si viueret in tenebricosum sacræ Inquisitionis recondendum esse* carcerem indicat. *Et si ab ignis supplicio absolueretur, saltem eius insana figmenta Vulcano tradi oportere flammis Tartareis digna* scripta clamat. O bellam censuram viri Religiosi, operis tolerati ab Ecclesiâ, quod publicè exponitur, & à tot Viris citatur! Quis non dicat hominem matrem inuidiam respicere? Libet exclamare cum Tertulliano: *ô antiquitas tenenda! ô nouitas vitanda! ô prophana nouitas! ô sacrata vetustas!*

Censura insolentior.

CAPVT XI.

De Socijs S. Avgvstini in Religione Eremiticâ.

SANCTVM Augustinum Religiosum fuisse, Monasteria ædificasse, & Socios habuisse satis liquidò patet ex epist. 89. Vbi inquit: *Quantùm autem in hac viâ profecerim, magis quidem noui ego, quàm quisquam alius homo, sed magis Deus quàm ego, & ad hoc propositum, quantis viribus possum, alios exhortor, & in nomine Domini habeo Socios, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Et vt à masculino sexu magis nobis noto, certo, & proficuo non recedamus, aut etiam demonstremus Eremiticam fundationem, vel Eremum, de quâ Nauarrus Tract. 2. de Regularibus com. 4. n. 9. *Tempore D. Augustini fuere Eremitæ qui Institutoris sui Regulis vitam attemperarunt.* Socios S. Augustini, vel ex his aliquot singulatim attingam. Præteribo autem libenter vndecim illos, de quibus S. Antoninus *3 part. tit. 24.* inter quos erant Simplicianus, Potitianus, Faustinus, Cordulius, Valerius, Iustus, Paulinus, cuius tamen

S Augustinus fuit Religiosus, & alios promouit.

Socij S. Augustini innumeri.

men fit mentio etiam alibi *in S. Ambrosio epist. 76.* &c. Similiter & illos, quorum nomina reperimus Serm 21. suprà positos cap. 6. immò centum & viginti alios, de quibus Sigisbertus, Volate. & alij ex eisdem Sermonibus nõ omnino spernendis: certiora enim habemus ad manum, nec fundationem nostram ita dubijs Sermonibus volumus committere.

Epist. ad Marcel. com. contr. lib. 21.

Inprimis SS. Alipium & Adeodatum fuisse primos Socios ex lib. Confes. patet: de Adeodato, sic inquit Augustinus: *Socianimus eum in gratiâ tuâ* (baptismali) *educandum in disciplina tuâ* Monasticâ.

Alipius & Adeodatus. *9. Conf. 6.*

De Euodio sic loquitur: *Consocinsti nobis Euodium iuuenem ex municipio nostro, &c. relictâ militiâ seculari accinctum in tuâ.* Hic Euodius promotus fuit postea ad Episcopatum Vzalensem, in quo constitutus, sicut antea, semper causam Dei contra Donatistas egit: in Concilio Carthaginensi ad Imperatorem Honorium missus cum Theaso pro Catholicis orauit & perorauit, Vnde Arriani magis commoti in S. Euodium insidijs structis eundem capiunt viuum, subijciunt tormentis acerbissimis, ita vt constanti animo effunderet Deo animam, primitias Ordini nostro.

S. Euodius. *9. Conf. 8.* S. Euodius obijt Martyr. *Anno CCCC. VIII.* *Vide P. Margret. de Martyribus Augustinianis.*

Licentium etiam audiuimus cap. 6. vnà cùm S. Augustino per montes Pisanos venisse, ibidem hæsisse.

De Nebridio vix dubito cùm sciamus ex *epist. 124 & 116.* illum cum S. Augustino habitasse, & à S. Augustino admonitum fuisse ad vitam communem suscipiendam. *Restare vnum videas, vt tu quoq; in commune consulas.*

Epist. 116.

Hos ferè omnes constat persolutis exequijs piæ Matris ex Italiâ cum S. Augustino aduenisse in Africam quamuis vnius Alipij tantùm mentionem facit. *22 de Ciuitate Dei* Cuius etiam clarissimam memoriam facit S. Aurelius *epist. ad August. adhuc Presbyterum*, vt colligitur ex ipso S. August. *epist. 64. Quòd Fratrem Alipium in nostra communione mansisse, vt exemplo sit Fratribus curas mundi huius vitare cupientibus, beneuolentissimè accepisti, ago gratias, quas nullis verbis explicare possum.* Ex quibus verbis supra collegimus Eremiticam vitam SS. Alipij & Augustini, cùm illa epistola ante Episcopatum sit scripta: quæ de Alipio extra controuersiam esse debet, cùm is etiam ante S. Augustinum Episcopus fuerit renuntiatus, vt rectè notauit Baronius *anno CCC. XCIV.* quo tempore non erant Canonici prius à S. Augustino Episcopo fundati.

S. Alipius fuit Religiosus. Fuit Eremita.

Præter hos etiam, tum ex scriptis S. Augustini, tum ex probatis historijs inuenimus discipulos Religiosos & Coëremitas S. Augustini fuisse Nauigium, Possidium, Hilarium, Profuturum, Parthenium, Paulum Orosium, Leporium, Paulinum, Eudoxium vt constat ex epistolâ 81. Valentinum, Fortunatum, Nouatum, Benenatum, Seuerium, alterũ Leporium & plures alios; de quibus velim mecum iudicet Lector semoto affectu: inueniet illos Tagastæ Hippone, Carthagine in Monasterijs cum S. Augustino habitasse, & Eremitas, vel Clericos Regulares fuisse. B. Nauigius enim, teste Alouisano, S. Augustino successit in regimine Monasterij horti, cùm ad Episcopatum fuisset promotus, fuit is indiuiduus comes itinerum S. Monicæ.

Possidius Socius Eremita S. Augustini. *Epist. 131.*

De Possidio, cuius festum colitur Mirandulæ 16. Maij, hoc certum est: nam ipse S. August. inquit: *Nimis autem ingratum ac ferreum fuit, vt te, qui nos sic amas, vt sanctus Frater & Collega noster Possidius, in quo nostram non paruam præsentiam reperies, vel non disceret, vel sine litteris nostris disceret. Est enim per nostrum ministerium non litteris illis, quas variarum seruum libidinum liberales vocant, sed Dominico pane nutritus, &c.* & Possidius ipse describens vitam S. August. testatur. *Quod proficiente doctrinâ Diuinâ sub S. Augustino in Monasterio Deo seruientes, Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt, ac deinde innotescente, & clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicæ veritate, sanctorumq; seruorum Dei proposito continentia & paupertate profundâ ex Monasterio quod per illum, &c. Nam fere decem quos ipse noui sanctos ac venerabiles Viros continentes ac doctissimos B. Augustinus diuersis Ecclesijs dedit, &c.*

Cap. 11. Fructus è Monasterio horti.

Loquitur hîc Possidius de Monasterio horti, teste Baronio, ex quo tantum

Tom. 5. anno 395 num. 51.

cum frustum refert Ecclesiæ Dei obuenisse, vt decem nouerit viros præsulgidos ex illo Monasterio ad diuersos Episcopatus assumptos. Nec de alio Monasterio loqui poterat: nam in domo Episcopali *Deo seruientes* seu Religiosi non cœperunt ordinari Clerici, sed colligebantur iam Clerici. Deinde loquitur hic Possidius de Monasterio fundato in profundâ paupertate, quales erat in Monasterio horti, nō in domo Episcopali, vbi tantùm erat paupertas in particulari: viuebatur autem ex redditibus. Et quamuis certum sit S. Possidium etiam in hac domo Episcopali degisse, crediderim tamen degisse non vt Canonicum, sed potius vt Eremitam. Hoc totum affirmat Marcus Ant. Sabell. *Ænead. 7. lib. 9.* Talis erat stylus Ecclesiarum, vt plures diuersi generis eandem Ecclesiam incolerent: seculares cum Religiosis, Monachi cum Clericis, quolibet manente in suo habitu & vocatione: ita videtur de statu vitæ præcepisse Innocentius I. *epist. 2. ad Victricium* his verbis: *Qui diu morantes in Monasterijs si postea ad Clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à priore proposito declinare.* Et certè hoc indicat Possidius cùm asserit quod *Illius quondam viri, scilicet S. Augustini, cum quo annis ferè quadraginta Dei dono absq; amarâ vllâ dissensione familiariter ac dulciter vixi.* Si 40. annis cum illo vixerit Possidius, iam viuebat cum S. August. in Monasterio horti, & antè: Nam S. August. tantùm vixit 35. in domo Episcopali cum Clericis. Et Possidius ante obitum S. August. fuit promotus ad Ecclesiam Calamensem annis tribus vel pluribus; ergò debuit vixisse cum S. August. illo quinquennio vel octennio, quod deest ad numerum 40. annorum in Monasterio horti & Tagastæ cum S. Augustino laico: hoc ipsum videtur voluisse fateri Possidius in prologo vitæ S. Augustini: *Quando, inquit, memor propositi mei, quo per gratiam Saluatoris omnipotenti ac Diuinæ Trinitati per fidem seruire decreui, antea in vitâ Laicorum, & nunc in officio Episcoporum.* Loquebatur enim ibi de vitâ Religiosâ, quæ communiter dicebatur propositum, & seruitus sanctissimæ Trinitatis.

Ibi inceperunt fieri Clerici.

Monasterium horti fuit paupèrculum.

S. Possidius fuit in Monasterio Tagastensi cum S. August.

Non. clerici, Laici dicebantur.

CAPUT XII.

De S. Hilario.

SANCTUM Hilarium Archiepiscopum Arelatensem numeraui inter S. August. Socios, quia certum est illum in Africâ cum D. Augustino habitasse, & postmodum in Galliam peruenisse, vt lucraretur Deo Amicum quendam, cui etiam Dei feruitutem & continentiæ votum non fecus atque vxori eiusdem amici persuasit: Hoc enim scribit S. August. in epistolâ quæ continetur inter opera D. August. *Sciat* (inquit Hilarius) *sanctitas tua fratrem meum cuius maximè causâ hinc decessimus cum matronâ suâ ex consensu perfectam Deo continentiam deuouisse.* Frater, seu vt alij verius, sororius hic S. Hilarij fuit S. Lupus, & vxor illius S. Pimeniola, quę dicitur fuisse soror S. Hilarij: ambo illius instinctu Monasticū institutū aggressi sunt: ille in Monasterio Lirinēsi sub S. Honorato, illa in alio Sanctimonialiū loco.

S. Hilarius fuit Monachus.

Expressius indicat S. Hilarius se S. P. August. fuisse discipulum & alumnū eâdem epist. his verbis: *Sufficiat mihi pœna mea, quod à præsentia tua delicijs exulatus, vbi salubribus tuis vberibus nutriebar, non solùm absentiâ tuâ crucior, verùm etiā*, &c.

Tom. 7. epist. Hilarij ad Augustin. Sur. eo. Iul. S. dom. Apoll. lib. 6. epist. 1. Baron. Anno CCCC. XVI. S. Hilarius fuit Eremita.

Conqueritur hic S. Hilarius, quod priuatus dulci illâ consolatione, & spirituali instructione S. P. Augustini, quâ quondam, cùm apud illum degeret, fruebatur, cogatur exulare.

Quod autem fuerit Eremita, ex eo probamr, quia S. Hilarius post adeptū Episcopatum Arelatensem depositâ Episcopali sarcinâ rursus secessit ad Conuentū Lirinensem, cui iam ante se addixerat & assueuerat, vt refert S. Leo Papa *epist. 80. ad Rauen.* quo etiā conduxerat fratrē vel sororiū suum S. Lupū sic refert Sidonius Apoll. Encherius Lugdun. & S. Isidorus. Sanctitatē illius viri eminētissimi abundè descripsit S. Genad. & Baron. in martyrol. 5. Maij, & inter cetera hoc de illo memorabile refertur quod rusticanā vitā ali-

De viris Illust. apud Hieron. Verbo Hilarius.

quam

quamdiu egerit, agros coluerit proprijs manibus, nonnunquam pro diurnâ mercede, vt amplius haberet, quod pauperibus largiretur.

At quia adhuc dubia manet vita illius Eremitica, legẽdus est S. Prosper D. Hilario coætaneus, qui dicit illum Religiosum. Et multo euidentius Eucherius Lugdunensis in epist. ad Valerianum, quã describit eodem anno occurrentem promotionem S. Petronij, inquiens, *Hilarius nuper de Italia nunc Antistes & Petronius, ambo ab illa plenissimâ (vt aiunt) mundanæ potestatis sede, vnus in Religionis, alius in Sacerdotij nomen ascendit.* Vnus in religionis, inquit, propter S. Hilarium, qui perseuerabat in vita Monasticâ, vt bene explicat Baronius. Eandem etiam vitam Monasticam ac Eremiticam manifestam reddit S. Eucherij tractatus de laude vitæ Eremiticæ D. Hilario inscriptus, cuius mentionẽ facit Isidorus his verbis: *Eucherius Franciæ Episcopus, elegans sententijs, ornatus in verbis, edidit ad Hilariũ Arelatensem Episcopũ Eremi deserta petente opusculũ de laude Eremi.* Quid quæso clarius de Eremitico instituto D. Hilarij adferri potest?

lib. de Vita contempla. 9.

Tom. 5 Anno CCCC XXVI.

De Viris illust. cap. 15. Hilarius fuit Eremita Augustinianus.

Illud autem fuisse sub regula S. P. Augustini æquè clarum est considerãti S. Hilarium cohabitasse S. Augustino, illiusq; vberibus spiritualibus enutritum fuisse, vt superius ex ipso S. Hilario ostendimus. Legi etiam potest *Epist. 89. q. 4. ad Hilarium*, vbi S. Augustinus eundem S. Hilarium ad perseuerantiam *vitæ perfectioris* admonet. Insuper constat S. Hilarium fuisse socium S. Honorati etiam ante Episcopatum, & cum illo fundasse Monasterium Lirinense, teste Baronio, estq; verosimile ibidem aliam Regulam non floruisse quàm S. Augustini, cùm illa sola extaret in Ecclesiâ Latinâ: nonenim discipulus aliam normam viuendi facilè ingreditur præter eam, quam à suo mutuatus est Magistro. Accedit quod S. Eucherius referat Eremitas illos primos Honoratum, scilicet, & alios ex Ægypto venisse: *Hæc enim (inquit) nunc habet sanctos illos senes qui diuisis cellulis sanctos illos Gallys nostris intulerunt.* Potuerunt in Ægypto regulam S. Augustini inuenisse: nam illa adhuc S. Augustino in humanis agente eo peruenerat, vt refert ipse S. P. Augustinus. Vel ipsa Eremitica institutio Lirinensis potuit dici Ægyptiaca, quamuis esset Augustiniana, quia à magno Antonio Ægyptio exurdium sumpsit Monachismus S. Augustini.

In notis martyrol. 5. May Hilarius fuit cum S. Honorato.

Eucherius. Monasterium Lirinense fuit Eremitarũ S. Augustini. *Epist. 124. Ad Victorian. 8. Conf. 6.*

Tandem in Monasterio Lirinensi viguisse regulam S. P. Augustini plures Historiographi affirmant, & inter alios P. Yepes Ord. S. Benedicti cũm Monasterium illud dudum ante ortum S. Benedicti floruit numero & sanctitate illustre; Vnde bene Baronius reprehendit Tritemium, quod S. Cæsarium aliosque è Monasterio Lirinensi faciat Ord. S. Benedicti, cuius regulanon nisi tardè in Gallias deuenit, ante quæ tempora iam alia florebat in illo Monasterio regula, sine quâ ducenti, vel trecenti nonnunquam Religiosi nõ potuissent conseruari. De hoc Monasterio latius infra agemus cum & S. Patritiũ monitu Angelico ad hos Eremitas ostendemus deflexisse, solùm nunc indicantes indubitatum apud omnes esse, in hac insulâ circa S. Augustini tempora Regulam S. Augustini ibidem floruisse.

Marquez, cap. 15. §. 5. Ab angelis lib. 4. Aid. Cent. 1. ann. D LVIII. c. 3 de S. Benedicto.

CAPUT XIII.

De S. Profuturo Monacho Augustiniano.

Celebris inter alios S. Augustini Monachos Eremitanos extitit S. Profuturus Ecclesiæ Braccarensis, quæ primaria est Hispaniæ Lusitanicę Archiepiscopalis sedes, Antistes valde proficuus; quippe qui egregiam operam videtur præstitisse in veræ doctrinæ & fidei defensione contra Priscillianistas pessimos hæreticos, vt patet ex concilio primo Braccarensi vbi quartò illius nomen fuit repetitũ, & industria, ingenium, ac labor maximè commendatus. §. *Omnes Episcopi.*

De hoc S. Profuturo scribit Iulianus Archipresbyter S. Iustæ non mi-

Chron Hispan. Anno CCC. XCVIII.

Epist. 149. Profuturus missus fuit D. Hieronymo.

nus synceritate quàm antiquitate præstans Chronographus Iberiæ. *Anno CCC XCVIII. Profuturus Presbyter Africa venit in Hispaniam, & ob egregias virtutes, ac mentis sanctitatem, succedit Paterno in sede Braccarensi.* Internuntius enim hic fuit inter D. Augustinum & Hieronymum, adeoque D. Augustino charus, vt de illo vti de vrgentissimo amico dixerit *Alter ego.* Hoc internuntij officio dum fungeretur, & simul vti fortissimus athleta causam Catholicæ fidei ageret in Concilio Toletano eodem anno, nomine S. Augustini, qui eundem dimiserat, vt tum mente illius, tum sacri Concilij de origine animæ D. Hieronymo referret: tantùm apud omnium animos consternatos tot erroribus euicit doctrina & grauitas morum S. Profuturi, vt etiam eum nolentem detinuerint, & in locum Paterni (qui tunc exuebatur dignitate Archiepiscopali, eo quòd ab Hæreticis fuisset consecratus) eundem substituerint. Quæ omnia colliguntur ex S. Augustino, dum S. Hieronymo scribit: *Quos ad te adhuc Presbyter, literas præparaueram mittere per quendam Fratrem nostrum Profuturum, qui postea nobis collega factus est, & iam ex hac vitâ migrauit dum proficisci disponit, Episcopatus sarcina detentus, ac deinde in breui defunctus est.* Et ex D. Hieronymo respondente: *Et interim Profuturum retractum de itinere & Episcopum constitutum veloci morte subtractum intelligo.*

Epist. 10.

Epist. 14.

Ex quibus verbis sic colligitur: si adhuc Presbyter S. Augustinus voluit vti operâ Fratris Profuturi; ergo Profuturus habitauit cum S. Augustino in Monasterio horti, necdum fundatis Canonicis, quos prius S. P. Augustinus secum iussit in communi viuere post adeptum Episcopatum, circa quod tempus etiam S. Profuturus Episcopum agebat: nam S. Paulinus epist. 36. qui circa initium promotionis S. Augustini cõgratulabatur S. Augustino simul cõgratulatus fuit S. Alipio & S. Profuturo, vti cum S. Augustino vel ante illũ ex eiusdem societate promotis.

Ad Roman.

CAPVT XIV.

De PAVLO OROSIO Eremitâ S. AVGVSTINI.

Decursus vitæ Pauli Orosij.

PAVLI Orosij doctissimi, pijssimi, nec non zelosissimi labores ac studia commendat S. P. Augustinus *Epist. 28 & 102.* Fuit is Flauij Lucij Orosij filius ciuis Tarraconensis, habitauit iuxta mare Oceanum, & incredibili diligentiâ viros doctos sui seculi quæsiuit; illis adhæsit, eosque studuit imitari. Incidit is in ætatem S. Profuturi, fitque Ecclesiæ Braccarensis Presbyter, & hortatu sui Prælati ad D. Augustinum, cuius nomen tunc celeberrimum per totum orbem cognoscebatur, contendit. Hippone aliquandiu cum S. Augustino vixit, vt ex eodem S. Augustino colligitur, cum in locis supra relatis, tum in *epist. 157. & in lib 2. Retract.* Fuit etiam hic Paulus Orosius, cùm aliquandiu S. Augustino conuixisset, missus ad D. Hieronymũ pro vlteriori scientiâ, & rursus à D. Hieronymo ad S. Augustinũ remissus, teste Gennadio, cuius hæc sunt verba: *Hic est Orosius qui ab Augustino pro discendâ animæ ratione ad Hieronymũ missus rediens Reliquias S. Stephani primi martyris nuper inuentas primus intulit occidenti.* Redijsse autẽ Orosiũ ex Bethleëmiticis partibus ad S. Augustinũ constat ex epist. 28. S. August. & ex proprijs scriptis Orosij. In libro celebrato de *Ormestâ mundi præfat. in lib. 5 & lib. 7. c 29.* satis indicat eosdẽ libros scriptos fuisse in ipsâ Africâ post reditũ ex Bethleem.

Cap. 44. & 45.

Chronic. Marcell. Theodosio & Pallad. consul. ind. 14.

Nec dubiũ vlli erit, quin Orosius hic fuerit Discipulus S. August. si legerit Martinum Polonium *in Siricio Papâ*, Vascum. *an. CCC. XCVIII* Bellar. *de Script. Eccles.* Monachum verò fuisse eiusdem professionis & instituti cum S. Augustino referunt Marcus Ant. Sabellicus, Bergom. Illescas, Amb. Staibanus citans Aloisianũ, Æn. Syluiũ, & alios. Idẽ videtur sensisse Naucl. *volum 2. Gen. 14.* Posset etiã hoc deduci ex S. Augustino: Sæpius enim illum nominat. *Nostrũ Orosium, sanctissimum, studio addictissimum, religiosissimũ, promptissimum, paratissimum ad*

Ænead 7 l. 9. suppl. anno CCCC. XL. templo Eremit.

omnia mandata adolescentem. Tandem hoc colligitur ex eo quod Orosius inscripsit librum suum de Ormestâ mundi S. Augustino vt Parenti & Authori, ex cuius obedientiâ eundem scripserat. *Ego* (inquit) *solius obedientiæ testimonio contentus sum: nam in magnâ magni Patrisfamilias domo cùm sint multa diuersi generis animalia adiumento rei familiaris commoda*, &c. De quâ obedientiâ vlterius scribens, eam tantam facit, quanta est in canibus, qui ad minimum nutum Domino obediunt, qualis debet esse Religiosorum erga suum Superiorem.

Paulus Orosius fuit Religiosus S. Augustini.

Maior posset esse difficultas cuius instituti fuerit Orosius, an Eremita, an Canonicus Regularis. Ventura *in Panegyr.* & Ioannes Trullus, eum mordicus defendunt ex Clericis Regularibus fuisse: sicut & Possidium, S. Fulgentiũ & alios. Contrarium docent Illescas, Staibanus, alijque supra citati, quos ita inter se dissentientes authores facilè conciliabimus, si dixerimus cum prioribus Orosius fuisse eiusdem instituti cum SS. Possidio ac Fulgentio, quorum professio satis ex superius relatis ac mox referendis constat. Superaddam autẽ quod dicit Mag Cano, quo teste, Orosius in Hispaniã sub finem vitæ redijt, & inter solitudinis delicias multorum testimonio sancto fine quieuit, satis declarans anteriorem vitæ suæ decursum fine tam semoto ab omni hominum societate.

Ad Ferrer. lib. 1. c. 33.

Orosius fuit Eremita.

Lib. 11. c. 6. §. Prima hex.

CAPVT XV.

De Duobus LEPORIIS S. AVGVSTINI *Coëremitis.*

DVos tum ex scriptis S. P. Augustini, tum ex probatis Historicis colligimus fuisse Leporios Syneremitas S. P. Augustini. Vnus in Africâ Carthaginensem sedem, alter in Bæticâ Vticensem rexit. Leporij Carthagin. meminit Baron. Immo ipse S. Augustinus vbi fatetur, quod eundem receperit ad Clericalem domum, iam ante religiosum: *Presbyterum* (inquit) *Leporium quamuis seculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen iam Deo seruientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi, non quia nihil habuit, sed quia iam fecerat quod lectio ista persuadet, hic non fecit, sed nos scimus vbi fecerit.* & paulò post explicans vbi fecerit, inquit: *Hortus est vnus, vbi, nostis; ibi Monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo seruiunt, ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum, & ad quem dixerit aliquis? Ad illud quod ibi est Monasterium.* Ecce quomodo Leporius iam erat Religiosus Deo seruiens, inops, qui reliquerat omnia, quando fuit à S. Augustino susceptus ad collegium Clericorum. (Solebant enim ipso S. August. teste: *Ex ijs qui in Monasterijs permanent non nisi probatiores, atq; meliores in clerum assumi.*) Quod erat diuersum, à Monasterio: nam Monasterium erat in horo, *& hortus non pertinebat ad Ecclesiam Clericorum*; sed ad aliud Monasterium professione diuersum, cui primo nomen dederat Leporius.

An. CCCC.IX. tom. 5 Serm. 50. de diuers.

Leporius fuit Eremita Augustinianus.

Epist. 79.

Præter hunc Leporium extitit & alius Leporius postmodum Vticensis Episcopus in Bæticâ, quem aliquando Pelagianus error deceperat, à quo etiam operâ S. P. Augustini non ita pòst ad veram Christi Ecclesiam reductus fuit, vbi maximũ fructũ zelo incredibili exhibuit, Nestorij hęresim tunc orientem primò confuntando. Huius Leporij memoriam facit Cassianus. *Leporius*, inquit, *tunc Monachus, postea Presbyter, non solum in Africâ, vbi tunc erat, & nunc est mutatus*, &c. Quæ verba repetit Genad. ac Tritem. *in cat. viror. Illust.* De hoc etiam Leporio clarissimè loquitur Marcus Flauius Dexter author celebris & antiquus D. Hieronymo coëtanus, ipsiq; notissimus, vt constat ex libro *de Scriptoribus Ecclesiast.* Cui videtur etiam S. Hieronymus illum librum dedicasse, *vti viro claro apud seculum Christianæ fidei dedito*, authoriq; talis scriptionis.

Alter Leporius Vticensis

Lib. 1. de incarnat.

Verbo Lepor.

De hoc authore scribunt Platina in Bonif. 2. Escul. lib. 2. P. Roman. à higuera P. Petrus à acchioda Mantiu Castellus de S. Iacobo lib. 1. c. 16. & c. 2. c. 18. col. 183.

Hortaris Dexter, dicit D. Hieronymus, *vt Tranquillum sequens Ecclesiasticos Scriptores in ordinem digeram*. Qui etiam D. Hieronymo dedicat suum opus; de quo agitur in eodem Catalogo: *Dexter Paciani filius fertur ad me omnimodam historiam texuisse, quam necdum legi.* Hic itaque Flauius de hoc Leporio scribit: *Anno ab vrbe condita M. D. L V.* id est, CCCC. VI. *Leoporius Vticensis in Bæticâ, prius Monachus ex familiâ Augustini, mutat suam perditam priorem sententiam, admonitus ab Augustino Præceptore suo.* Flauio conformis est Catalogus Episcoporum Ecclesiæ Vticensis impressus Hispali, in quo locum habet Leporius circa annum Dom. CCCC. X. vbi etiam rara illius pœnitentia præ cæteris virtutibus annotatur.

Tandem huius Leporij nomen inuenio in I. Concilio Toletano cui octauo loco subscripsit cum eidem suis consilijs ac doctis suis votis multum profuisset.

CAPVT XVI.

De Pavlino D. Avgvstini Syneremitâ & alijs.

Discipuli S. Augustini.

Sententia Baronij de S. Paulino.

P *Arthemium, Seuerum, Leotum, Valentinum, Florum*, & alios S. Augustini socios Eremitas, etiam sub initium Monasticæ vitæ, vt patet ex varijs locis & epistolis eiusdem S. Augustini omittens, *S. Paulinum* Monachum ac Eremitam sub S. Augustini ferulâ demonstrabo aliquantulum euidentius quàm prædecessores. Baronius enim vult *S. Paulinum à S. Alipio* institutum & habitum *S.* Augustini suscepisse in Italiâ, eo tempore quo *Alipius* Hierosolymam destinabatur à S. Augustino tunc enim vult *Alipium* apud *Paulinum* diuertisse, eumque conuertisse ad Religionis scholam, quod etiam videtur *S. Alipius* Diuo Augustino scripsisse.

Epist. 32. in fine & epist. 34. circa medium. S. Paulinus loquutus est S. Augustino.

Contrarium tamen & probabilius colligitur ex epistolis 31. 33. & 35. quæ satis indicant, tunc S. Paulinum Alipio alioqui notissimum ac familiarem facie tenus fuisse ignotum, tum etiam Alipium Episcopatûs onere grauatum, non ita potuisse gregem suum deserere. Colligitur etiam satis ex epistolâ 34. familiaritatem Alipij cum Paulino fuisse litterariam tantùm, Paulinumque incensum fuisse summo desiderio inuisendi S. Augustinum cuius scripta habuit sibi à S. Alipio transmissa. Deinde constat quomodo affectus S. Paulini creuerit ex inuitatione S. Augustini; & quomodo affectui ac inuitationi satisfecerit re ipsâ S. Paulinus: nam scribens ad Macedonium fatetur se *vidisse S. Augustinum vti Seraphim Dei amore incensum coram*, & clarius illud *coram*, probatur ex epist. 249. circa initium Monachismi scriptâ, in quâ indicat S. Augustinus se cum S. Paulino loquutum fuisse, & varia contulisse. *Vt tu* inquit, *aliquando ad me loquutus es.* & lib. 1. de ciuit. Dei c. 10. inquit: *Sic in corde suo Paulinus, vt ab eo postea cognouimus, precabatur.* Quamuis hic locus potius indicet secundum aduentum Paulini in Africam, cùm seipsum pro mancipio vendidit, vt filium viduæ lucraretur, de quo D. Gregorius; quo tempore D. Paulinus hortos coluit, memor fortè adhuc horti illius D. Valerij, in quo cum S. Augustino vixerat & Deo seruierat in vitâ Religiosâ.

S. Paulinus fuit Religiosus.

Testimonia Authorum. Num. 4.

Hanc vitam Religiosam euidentius probamus, ex epist. 39. Vbi S. Augustinus non tantùm vocat Paulinum *Dei seruum*, qui titulus erat communis Religiosis: sed Licentium, quem inuitare volebat ad Religionem & ad suaue Christi iugum, mittit ad Paulinum: *Vade* (inquit) *in Campaniam disce Paulinum egregium & sanctum Dei seruum, quàm grandem fastum seculi huius tantò gratiosiore quantò humiliore ceruice incunctanter excussit, vt eum subderet Christi iugo, sicut subdidit, & nunc illo moderatore itineris sui quietius exultat.* Et ne adhuc aliquis dubitet de Monasticâ vita S. Paulini lubet adscribere aliorum testimonia.

Prosper

Prosper. Tyron. in Chronicis sub Arcadio & Honorio dicit. *Paulinus Nolanus postmodum Episcopus admirabili exemplo venditis omnibus, cùm esset Dominus innumerabilium prædiorum, Religionem expeditius elegit.* D. Hieronymus scribit Paulino: *Quid tibi necesse est ea videre crebrius, quorum contemptu Monachus esse cœpisti?* S. Prosper. D. Thomas, Sigisb. Gembl. *Chron. An. CCCC. III.* Alan. *Dial. 2. c. 7.* Baronius, Platus *lib. 2. c. 25.* Vaseus & alij expressè referunt S. Paulinum fuisse Monachum.

Epist. 13. Paulino. Lib. 2. de contempl. Vita c. 9. 2. 2. q. 188. art. 8. ad 2. tom. 4. Ann. CCC. XCIV.

Augustinianum autem Eremitam fuisse non est dubium legenti epistolam 31. vbi Paulinus totaliter subdit sese disciplinæ S. Augustini. *Rege*, inquit, *paruulum in terrâ reptantem & tuis gressibus ingredi doce: Nolo enim in me tam corporalis ortûs quam spiritualis exortûs ætatem consideres.* Has preces S. Paulini quadragesimum primum ætatis suæ annum attingentis ac primum annum Religionis agentis egregiè expendit Baronius. Idem Paulinus scribens Alipio explicat suam professionem Eremiticam quando sibi gratulatur. *Quod Deus illum in sorte Alipij voluit numerari salutans Confratres in Monasterijs ac parochijs Africæ degentes.* D. Hieronymus indubitatum reddit Eremiticum institutum S. Paulini, *epist. 13.* vbi dissuadet illi frequentes peregrinationes ad Vrbes tamquam Eremitis periculosas his verbis: *Reuera vt simpliciter motus mentis meæ fatear, considerans & propositum tuum, & ardorem quo seculo renuntiasti, differentias in locis arbitror, si vrbibus & frequentiâ vrbium derelictâ, in agello habites & Christum quæras in solitudine, & ores solus in monte cum Iesu, sanctorumq; tantùm locorum vicinitatibus perfruaris, id est, vt & vrbe careas, & propositum Monachi non amittas*, & paulò inferius rigidioribus verbis monetur S. Paulinus. *Si officium vis exercere Presbyteri, si Episcopatûs te vel opus, vel honor delectat, viue in vrbibus & castellis: si autem cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum?*

S. Paulinus fuit Religiosus Augustinianus. Tom 4. Anno CCC. XCI. Epist 35.

Fuit Eremita.

Dissuadetur Paulino Eremitæ discursus frequens.

3. part. tit. 24. § 2. Lib. 5. c. 33.

De migratione Paulini ad Eremum agit etiam S. Ambrosius *ad Sabinum epist. 90. D.* Antoninus expressè vocat illum Eremitam Augustinianum. Idem sentiunt Ilescas *in hist. Pontif.* & Ioan. Nolanus *lib. 3. de Canon. c. 41.*

Ratio etiam historiæ vnita dictat S. Paulinum Eremitam S. Augustini fuisse, nam S. Paulinus bis fuit in Africâ: semel ante Episcopatum, sub initium Presbyterij S. Augustini, cùm adhuc hortum Valerij incoleret; ibidemque cum eo conuixit: vt colligitur ex epistolâ 31. vbi vocatur à S. Augustino Confrater. *Si officium commune consideras, Confrater es.* Tunc fuit S. Paulinus missus in Italiam per Hispaniam: vt scribunt Elias Venetus, & Vaseus citans Petrum Crinitum. Secundò fuit in Africâ S. Paulinus iam Episcopus cùm pro filio viduæ seipsum tradidit in seruitutem: tunc verò non potuit fieri Religiosus; ergo primâ vice professionem Monasticam suscepit, tempore quo S. Augustinus adhuc Presbyter fuit, quo etiam tempore solùm Eremitas habebat sibi coniunctos cùm necdum ad Ecclesiam Cathedralem accessisset. De hoc itinere D. Paulini, Monachismo, & fundationibus Monasteriorum Eremitarum latiùs agemus infra c. 18.

S. Paulinus bis fuit in Africâ.

In explicat epist. 6. D. Paulini.

Instituit Monasteria in Hispania.

CAPVT XVII.

Eremiticum institutum S. AVGVSTINI probatur ex veste exteriori.

POSTQVAM hactenus satis probauimus S. Augustini professionem fuisse Eremiticam ex socijs, superest vt eandem probemus, ex alijs indiuiduantibus indicijs, ac inprimis ex veste exteriori; Scio quidem trito satis diuerbio dici: *Habitus non facit Monachum*: attamen nemo negabit quin ex habitu externo genus gentium semper fere li-

Habitus externus indicat professionem.

Concil. Trid. Sess 14. c. 6. de Reform.

cuerit

cuerit discernere: Paludamentum Cæsarem, Purpura Regem, sagum militem, toga Senatorem, prætexta adolescentem, & cuculla Monachum semper arguit; & illa varia ac variè aptata etiam illos nunc distinguit, vnde non paruum argumentum vitæ Eremiticæ protulero, si familiarem amictum S. Augustini verè produxero Eremum sapientem: cum etenim non meo sed probatorum Authorum iudicio, natiui velleris, seu atri coloris aut fusci, qualem fere oues Africanæ gerunt, fuisse inuenio.

Habitus S. Augustini qualis fuerit.

Ita illum describit Author Sermonum ad Fratres in Eremo, si Augustinus non est, saltem à sexcentis annis fuit. Talem etiam fuisse habitum S. Augustini colligitur ex sermone D. Ambrosij supra citato. Sigisbertus, Volaterranus, Hundius, alijque magni nominis viri idem confirmant: ast quia & ipsi eodem morbo laborasse dicuntur; à medicis sibi sapientibus grauiora & clariora cogimur testimonia implorare.

Serm. 28.

Ac inprimis sanos testes dum interpello, ab ipsis inimicis exordium sumendum occurrit: Secundinus enim hæreticus Monasticis votis & vestibus infensissimus irridens & condemnans S. Augustinum ob atri coloris vestem eò conuitiorum deuenit, vt ausus fuerit eundem S. Augustinum traducere, tamquam in infernales tenebras extra cæleste nuptiarum conuiuium pellendũ *nigrarum vestium causâ*: eâdẽ infamiâ & irrisione agitabatur Petilianus. Alibi S. Augustin⁹ volens præscribere Monachis certum genus habitûs vult: *Vt cilicio caput velent, & illud tondeant*, cilicia enim sunt plerumque fusci coloris, rarò albi. Epist. 199. indicat fuscam vestem fuisse indicium continentiam profitentium.

Tom. 6. operum S. Augustin. lib. ad Secund.

Lib. 3. adu. Petil. c. 40.

Lib. de opere Monach. c. 5. ad Edicium.

Possidius describens habitum S. August. dicit illum *nec pretiosum nec abiectũ fuisse*, quibus verbis subindicat S. Augustinum formam suarum vestium mutuatum fuisse ex veterum Patrum vitâ, de quorum vestibus scribit Cassianus. *Vestis sit Monachis quæ corpus tantùm contegat, ac repellat nuditatis verecundiam, & frigoris iniuriam, non quæ seminaria vanitatis, & elationis efficiat, nec quæ affectatis per incuriam sordibus decolorata existat.*

Lib. de institutione cænobiorum.

Petrus Venerab. dicit SS. Patres Religiosos vt plurimùm vestẽ atram sibi iniecisse, quâ maximè mundi dilitias aspernabantur, mœrorem concipientes & lugubri amictu anteacta vitæ delicta deplorantes. *Est atra vestis luctuosum nuntium.* Talem etiam fuisse vestem S. Augustini colligitur ex S. Paulino, qui dum ad pœnitentiam aspiraret, inquit:

Vestis nigra decet Religiosos.

Cyrus Theod.

Hic cruciet me dira fames, hic turpis egestas
Contractum pannis tristibus obsideat.

Pannus niger egentium erat, & ad tristitiam: albus diuites decebat, & ad lætitiam incitabat. Hinc *Calphar. apud Ioan. Ros.* suæ sortis pertæsus clamabat:

Lib. 5. cap. 3.

O vtinam nobis non rustica vestis inesset
Pullaq; paupertas!

Decet tristes & lugentes.

Idem S. Paulinus epist. 11. docet Melaniam Ruffini sociam, sericam auratamque supellectilem veteribus, & nigris vestibus commutasse, dum se ad contemptum mundi pararet. S. Hieronymus de Marcellâ refert, quòd tunicam fusciorem induta se repente Domino consecrarit. S. Augustinus *Epist. 99.* Edictam reprebendit, quòd inconsulto marito, decreuisset nigras vestes assumere. *Quid absurdius*, inquit, *quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quàm nigellis vestibus repugnare.*

Epist. 11. ad Marcell.

Erat vestis nigra communis Religiosis.

Hunc etiam habitum fuisse communem Religiosis, sanctisque viris, indicat Prudentius: *Squallent recinctâ veste pullati Patres.* Et Ennodius scribens de Monacho fugitiuo inquit: *Fuscam oppressit vestem.*

In Hymno de ieiunio.

Vt

Vt autem propius accedamus ad S. Augustini amictum, intuendus nobis est S. Fulgentius illius discipulus: Is enim sui Magistri togam imitatus, vt scribit Author vitæ illius, illi coætaneus, *subtus casulam nigello vel lacteineo pallio circumdatus incessit*. In quæ verba Baronius: *Vides nullam apud eos fuisse discriminationem colorum, num albo vel nigro pallio vterentur, dummodo quem exhiberet natura colorem absq; delectu eum in vestibus vsum retinerent*. Vbi nihil scrupuli sentiat Lector, cum de albo colore audit fieri mentionem: nam is non erat frequens, nec albus totaliter, sed subcinerítius magis ad nigrum tendens, naturalis color (inquam) quem animalia Africana nigrum vellus plerumque gerentia, præbebant.

Hab ens S. Fulgentij niger.

Lana in Africâ fuit nigra, vix alba.

Non parum argumentum nigræ vestis S. Augustini colligitur ex duobus diplomatibus summorum Pontificum Gregorij IX. & Alexandri IV. qui dum fere emortuum Ordinem Eremitarum restaurarunt, eisdem Religiosis cucullum nigrum, non tinctum, neque accidentaliter coloratum præscripserunt. Quod S. Antoninus factum fuisse asserit ad idæam originalis institutionis. *Sedes*, inquit, *Apostolica aspiciens ad primariam Ordinis originem habitum superiorem et determinauit, immo verius dudum per S. Augustinum determinatum declarauit*.

Testimonium SS. Pontificū.

3 part. c. 14.

Confirmat etiam habitum nigrum & crassiorem Eremiticum D. Augustino fuisse, quòd non ita pridem interceptâ Hippone ibidem repertæ fuerint sculptæ seu fusæ cupreæ imagines S. Augustini, & aliquot Religiosorum, quæ omnino Eremiticum habitum cum caputio & cingulo, tum in Augustino, tum in Fratribus exprimebant, prout authenticâ fide hæc omnia desumpta hodie extant.

Imagines fusæ in testimonium.

Hanc veritatem expresserant iam olim tot egregij imaginum sculptores ac pictores qui mirabili suo ingenio & arte ipsum Etypon imitati, illud etiam quàm accuratissimè delinearunt à nemine inducti, nec prece, nec pretio circumuenti, ante motam litem, immo ante vnionem fratrum Eremitarum S. Augustini. Venetijs enim in S. Marci æde ab anno M. DCCC. IV. Mediolani pariter supra portam Cumanam, ac in frontispicio summæ ædis à tempore Alexandri VI. tales extant imagines. Præterea singulares imagines Romæ in Vaticanâ bibliotheca, in Lateranensi templo publicè prostantes, facile etiam transeo illas, quæ Lucæ, Florentiæ, Senis, Papiæ, Toleti Salamanticæ, ac in Regio Scuriaco eminere ac habitum Eremiticum nigrū referre perhibentur, cum vniuersalis Ecclesiæ consensus hanc veritatem plusquā probabile faciat *Solet enim vox populi esse vox Dei* &, vt inquit Hesiodus:

Imagines pictæ idem probant.

Vide PP. Coruelium Lanc. lottum, Marquez, Angel. Stellart. Coran.

Fama quidem populi celebrata frequentibus oris
Nunquam tota perit: Nullus enim Rex, Princeps, Ecclesiasticus aut secularis, publicus vir aut priuatus, adultus seu iuuenis, doctus aut indoctus, nullus inquam discernit S. Augustinum, nisi cucullum cum habitu nigro & corrigiam videant. Talem illum scribunt apparuisse Duci Mantuano, Cancellario Castellæ, infirmis Papiensibus, alijsque, authores quam plurimi. Talem etiam gestasse habitū S. Augustinum expressè scribunt, vt antiquiores nunc omittam, Valent. de stat. Relig. c. 2. art. 2. Torrensis in initio Confess. August. P. Petrus Maturus in Scholijs ad S. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 14. §. 2. Vbi S. Augustinum tali habitu describit ante Sacerdotium, post Sacerdotiū, & post Episcopatum.

Vid 3 part. Coran. Lancelotz. Lud. ab Ang' hil. Per. gon. Iord de Sax.

Insuper omne dubium huius litis sopitum fuit. Anno M. DC. XI I. cùm Regis Marockensis bibliotheca ad manus Regis Hispaniæ deuenit. Reperta fuit inter alia illius bibliothecæ monumenta historia quædam Pontificalis Arabico charactere referens pristina illa secula, quibus adhuc florebat ibidem Catholica Religio: Huic historiæ insertæ erant imagines, vel S. Augustini vel alterius Præsulis, circum quo aliquot Religiosi flectebant eodem

omnino

omnino habitu induti, quo nunc Eremitæ Augustiniani, cucullo scilicet nigro super tunicam nigram, præcincti corrigijs peramplis, quos etiam Religiosos esse exprimit textus iuxta fidem interpretum. Asseruatur hic liber in hodiernum diem in Regia bibliothecâ Scuriacâ, suntque plurima exemplaria authentica hinc desumpta.

Ad fratres in Eremo. Lib. 1. c. 15.

Quamuis hoc argumentum sit euidens ad conuincendum habitum S. Augustini nigrum fuisse, tamen clarissimum est ac certissimum, ipsius testimonium Serm. 28 citatum à Iordano, *Non*, inquit S. Augustinus, *qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis & nomen Religionis habemus, nigram etiam vestem humilitatis portamus, zonis etiam pelliceis præcincti apparemus, &c.*

Explicatur quomodo lineam tunicam gestauerit S. Augustinus.

Nec huic tam claræ veritati obstat quod de byrrho & lineâ tunicâ nonnulli somniant, colligentes ex *Serm. 50.* S. Augustinum & *byrrhum*, & *lineam tunicam*, ex communi vestiario recepisse: Nam per lineam tunicam superpelliceum intelligendum esse aliqui existimant, quod ad vsum chori tantùm adhibetur, quodque super vestem ordinariam ponebatur, quamuis nō semper, quâ etiam veste adhibitâ, potuisset mansisse S. Augustino nigra vestis quotidiano vsui destinata. Alij etiam fatentur per lineam tunicam *Serm. 50.* non superpelliceum, sed habitum quotidianum Clericorum designatum fuisse, quippe quæ ex communi debebat recipi vestiario, attamen negant hanc à D. Augustino gestam fuisse; nec illud conuincitur, ex hoc *Serm. 50.* immo potius contrarium indicatur in ipso verborum contextu *Nemo* (inquit S. Augustinus) *det byrrhum, vel lineam tunicam, seu aliquid nisi in communi.* Loquitur enim de Clericis, quibus nihil vult dari nisi in communi & ex communi, cui communitati & ipse Sanctus vult morem gerere. *De communi accipiam mihi ipsi, cùm sciam commune me habere velle quicquid habeo: offertur mihi byrrhum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum.* Ecce quomodo in enumeratione singularium vestium præterit tunicam lineam, quod de industriâ videtur factum, quasi diceret ego illâ non vtor, proinde non est necesse, vt de illius pretio sim solicitus: byrrhum verò, quo vtebatur exprimit, *Offeratur*, &c. Nec aliud cogit nos fateri, quod aliàs legimus, de tunicâ Sapidæ, quâ S. Augustinus dicit se vestitum fuisse, defuncto iam Timotheo, cui illa fuerat præparata ab ipsâ Sapidâ sorore Timothei; nam constat vtrumque sexum, tum lineas tum laneas parasse tunicas: linum & lanam filant, texunt, & sunt non secus ac viri, virgines.

Linea tunica fuit Ordinis Cleric. vestis.

Probabile est S. Augustinum nunquam illam gestasse.

Occurritur obiectioni. *Ex epist. 248.*

Explicatur quid sit byrrhus.

Byrrhus, quem constat S. Augustinum decuisse ac gestasse, non constat quale genus vestimenti fuerit. Prima enim tegmina capitis aliqui byrrhos volunt appellari, estque hæc nomenclatura adhuc hodie vulgaris, non solum apud Semilatinos, qui pileola qualiacunque *byrrheta* dicunt, sed apud Iurisperitos non ignota. Codex Theodosij inquit, *Seruos byrrhis vti permittimus aut cucullis.* apud Romanos & Græcos erat byrrhus tegmen capitis insolitum. Hinc Vopiscus in Carino. *Ab Attrebatis byrrhi petiti*, & postea. *donati byrrhi Canosini.* Vbi diuersorum colorum byrrhum fuisse indicat, quod idem insinuat Claudianus: *Dicere byrrhum, si castor niteat, castoreum nequeo?* Fauet etiam huic etymologiæ byrrhi, quod legit in testamento D. Cæsarij Baronius de byrrho: *Dimitto vestimenta mea, excepto byrrho amiculari:* ex quo notandum duplex fuisse genus byrrhi vnum amiculare, quod amictui erat assutum, alterum non amiculare, quod ab amictu erat separatum, & hoc erat tegmen capitis, aliud vero præter tegmen capitis, & humeros & scapulas tegebat.

Lib. 4. tit. 26.

Diuersi coloris erant byrrhi.

Epig. 28.

An. D.CCCC.

2 Genera byrrhi.

De hoc secundo videtur egisse *Concil. Gangrense. c. 12.* vbi reprehendit Presbyteros aliquot, qui spretis byrrhis, pallijs vtebantur. Papias etiam byrrhū Græcè nominat *amphibalon villosum.* ab ἀμφιβάλλω quod est *circumpone* quia byrrhus scapulas & humeros circumpositè operiebat. *Terentius* seruum quendam *Byrrhum* appellat, eo quod rudi amictu vteretur.

Alij

Alij aliter nomen *byrrhi* explicant, certantque adhuc de eo Grammatici: nobis autem satis est, si byrrhus vestem aliquam significet, quam S. Augustino, tum Eremitæ, tum Episcopo deferre licuit, siue illa sit tunica pellicea, siue chlamys, siue tegmen aliquod capitis; tunicam enim pelliceam non ausim Eremitis subtrahere: nam Seuerus in vitâ S. Martini testatur quod in Africæ eremis inuenerit *Senem in veste pelliceâ molam manu vertentem*. Chlamydem etiam facilè illis concessero, maximè si breuis illa sit, quæ solos humeros & scapulas tegat, qualem olim S. Athanasius donauerat S. Antonio, quamq; postea ab illo requirebat Paulus primus Eremita, qualē hodie tum Eremitæ, tum Peregrini, tum Episcopi ac Cardinales gerunt, quamuis hi pretiosiorem, cuius etiam mentionem facit S. Augustinus. Pileola etiam Monachis in vsu fuisse, non est qui neget: aëris enim inclementiam, nudum caput non pateretur, nec secularium tegmina Monachos decerent.

CAPVT XVIII.

Probatur Eremiticum institutum S. AVGVSTINI *ex alijs Monasterijs, ipso viuente, erectis.*

Ria superius deduximus Eremitarum S. Augustini fuisse Monasteria, quorum meminit S. Paulinus, & præter illa aliaque per Wandalorum stragem occupata ac diruta celebratum inuenio Monasterium virorum S. Piniani, & Virginum Melaniæ eius vxoris, qui cùm nobilissimi essent Romani, conuasatis suis rebus, vnà cùm socru Albinâ Tagastam deuenerunt, ibique ditata abundè duo cœnobia pro vtroque sexu separatim erexere, in quorum vno viros fere centum, ac plures virgines aluere in altero sub disciplinâ S. Augustini eiusque discipuli Alipij; quæ Monasteria dum extra Cathedralem Ecclesiam fuerint, indubiè primi generis Religiosorum fuerunt, maximè quia constat S. Pinianum ibidem Religiosum nedum Clericum fuisse.

Aliud Monasterium Tagastæ virorum, & aliud mulierum.
Metaph. 3. Iun. Baron tom. 5. Anno CCCCIX.
Victor de persecut. V Vandalorum.

Victor Vticensis meminit etiam Monasterij *Capsensis* & *Trabacensis*, quæ sine dubio tempore D. Augustini fuere, nam paulo post illius obitum seminaria fuere septem Martyrum ac aliorum quatuor de quibus infra. Fuisse autem Eremitarum Monasteria ex eo constat, quod extra ciuitates & oppida in eremi desertis extiterint erecta, quod non nisi Eremitis contingebat: Clerici enim tum Regulares, tum seculares oppida & ciuitates, iuxta primarium suum institutum, tunc incolebant, erantque Cathedralium Ecclesiarum incolæ ac Episcoporum socij, vt non rarò illos appellat S. Augustinus *Serm. 49.* Facilè etiam colligitur ex eodem Victore hæc Monasteria Eremitarum fuisse: nam quatuor illi fratres cum sorore Maximâ, *vt Trabacinitarum oppido deberunt exire.* Deinde vt loquitur idem Victor: *Serui illi Dei commissi fuerunt Maurorum Regi commanenti in illâ parte eremi caprapiclè vocitatâ.* & cùm iudici sistendi essent inquit, *quod deberint attrahi ad ciuitatem Carthaginensem.* Colligi etiam potest hos Martyres fuisse Eremitas: nam idiotæ erant, & certi opificij artifices, quibus non erat Clericatus opportunus. Alij etiam septem in Capsensi loco erant Eremitæ: nam ad ciuitatem fuere sicut alij perducti, illisque præerat tantùm vnus Sacerdos Vindemialis; vt latius demonstrabimus anno passionis eorundem.

Monasteria Trabacensē & Capsense.
Fuerunt Monasteria Eremitarum.
Probatur 4 argumentum.
part. 2. cap. 2.

Meminit etiam Victor Monasterij Riguensis seu vt alij legunt Biguensis, quod pariter videtur fuisse Eremitarum: nam ædificatum erat continuum Basilicæ Celebrinæ, quæ extra muros Carthaginis erat, non procul à loco supplicij iuxta maris ripam, in quo præeunte clero Carthaginensi qui tunc exulabat, condita fuere lipsana horum septem martyrum.

Monasterium Riguense.

Notum

Monasterium Vizanzinum. Ambrosius Staib fol. 260. Templi Eremitani. Cap. 26. Seripandus in Chron. Sabel. cap. 7 lib. 9. p. 2. S. Paulinus fundat Monasteria. Anno CCCC. XXIV. Nota S. Paulinum nondum fuisse Clericum. Epist. 3. Paulinus ad Ausonium & epist. 25. ad Paulinum.

Notum est in eadem Africâ Monasterium Vizanzinum, Felice præside, cui S. Fulgentius initio nomen dedit, quodque ob Wandalorum incursiones coactus est deserere. Sanctimonialibus etiam fuisse aliqua Monasteria, tum Tagastę, tum Hippone, deducitur ex S. Augustini *epist. 109* præerat enim primò illis S. Perpetua, de quâ Possidius: *Germanæ soror eius vidua Deo seruiens multo tempore, vsque in diem obitus sui Præposita ancillarum Dei vixit.* Basilica & Felicitas Sorores S. Augustini ex altero tantùm parente in eodem Monasterio vnà cum Consobrinis vixere. De illis Possidius: *Patrui sui filia, & fratris filiæ pariter Deo seruiebant.* S. Augustinus epist. 143. mentionē facit B. Demetriadis. Monasterium etiam Melanię, quod centum & amplius fuit Virginum Tagastæ, satis indicat Sanctimoniales ibidem vixisse. Præter hæc Africæ Monasteria, viuente adhuc S. Augustino, in Hispaniâ circa annum Dom. CCCC. XXIV. manu S. Paulini plantatæ fuerunt aliquot coloniæ Religiosorum S. Augustini: Ille etenim Sanctus à D. Augustino religione Monastica instructus & demissus dum per Hispaniam proficisceretur, vt ipsemet refert. *Epist. 35. à Lampio apud Barcinonam in Hispaniâ per vim inflammata subitò plebis sacratus fuit*, quamuis eidem Ecclesiæ non fuerit dedicatus; constat *ex epist. 6. ad Seuerum.* Consecratus itaque in Sacerdotem deserta Aragoniæ petijt, ibique vti etiam Meridæ, quæ Lusitaniæ est ciuitas, Monasteria fundauit. Sic insinuat Ausonius *epist. 23.* his verbis loquens de S. Paulino:

Quemque suo longo dirimat Prouincia tractu,
Trans montes, solemque alium, trans flumina, & vrbes,
Et quod terrarum, calique extenditur inter
Emeritaeque amnes, lataque fluenta Garumna.

In Comment. ad epist. 6. Chron. Hispanarum Anno CCC. XCIV. Fundatio Monasterij Sislæ Toleti. Originale Flauij Dextri extat M. S Fulda ante annos DCC.

Huius etiam fundationis meminit Elias Venetus, & Ioannes Vaseus citans Petrum Crinitum. Vasei verba sunt: *Hoc tempore S. Paulinus in Hispaniam se contulit, vitam Monasticam professurus, vt quietius Religioni vacare posset.*

Anno Domini CCCC. XXIV. Refert Flauius Dexrer in sua Historiâ omnimodâ, de quâ scribit D. Hieronymus, erectum fuisse Monasterium Sislæ iuxta Toletum. *Sigisbultus*, inquit, *ad Africam contra Bonifacium se præparat, in Gallijs Exuperantius Præfectus à militibus occiditur. Muro Carthago circumdatur. Aëtius Gaudentij Comitis filius cum Hunnis Ioanni opem laturus Italiam ingreditur. Toleti fit Monasterium Monachorum S. Augustini.* In margine huius Chronici adscriptum est. *Hoc est Monasterium S. Augustini Sisla.* Et in eodem Chronico Dexter loquens de Metropolitanâ Ecclesiâ Tarraconensi subiungit: *Anno ab vrbe conditâ M. C. LXXXI.* id est, Anno Christi CCCC. XXXIX. *Paulo Tarraconensi Episcopo Bonifacius etiam Caldeaquensis ex Monachatu & Ordine Augustiniano succedit*: Hoc Monasterium non ita pòst fuit destructum ac rursus reædificatum, vt postea ostendemus.

2. part. c. 10.

Fundatio Monasterij Lirinensis.

In Galliam etiam Regula S. Augustini, ipso adhuc viuente, deuenit, maximè versus mare Massiliense, ad insulam Gallinariam, vbi celebre erat Monasterium Lirinense, cui principium dederat S. Honoratus, & non paruum incrementum addiderit S. Hilarius. Hoc autem Monasterium fuisse sub Regulâ S. Augustini ex eo conuincitur, quod ab Honorato & Hilario dicatur fundatum, qui certè præter S. Augustini Regulam nullam aliam nouerant. Confirmat hoc etiam, quod de insula Gallinariâ scribit Eucherius: *Hæc*, inquit, *sanctos illos senes habet, qui diuisis cellulis Ægyptios Patres Gallijs nostris intulerunt*; Vbi Ægyptios vocat Augustini discipulos, quia & ipse Augustinus ab Antonio Ægyptio cœpit, vel quia ex Ægypto hoc institutum prouenerat, quo etiam ipso S. Augustino superstite illius Regulæ Professores promoti fuerant, vt ipse indicat *epist. 124.* Hoc autem Monasterium fuisse sub Regulâ

Epist. ad Hilarium. Augustiniani cur dicantur Monachi Ægyptij. Ad Victorem.

S. Au-

S. Augustini fatêtur Chronographi Ord. S. Benedicti, (cuius Regulæ nunc subditur post annum D. X V.) nec videtur ante illud tempus alterius Regulæ fuisse, cùm nulla adhuc extaret Regula in Europâ, exceptâ illa S. Augustini.

CAPVT XIX.

*Probatur Eremiticum institutum ex Regulâ S. A*VGVSTINI *viris scriptâ.*

NON ita pridem recens quidam Censortum in suâ Crisi Augustiniana, tum in particulari editone Regulæ S. Augustini, Erasmizans mordicus tuetur Regulam S. Augustini solis Sanctimonialibus fuisse scriptam, eamque sub finem vitæ occasione controuersiæ cuiusdam exortæ transmissam in epistola 109. cuius illa sit fragmentum, quæ opinio multorum quamuis veritatis amantium commouit animos, dum in re tantâ innouatur communis Ecclesiæ vox, iam à seculis constanti traditione omnium animis ita impressa, vt potius in meridie noctem crederent, quàm Regulam S. Augustini nunquam Monachis scriptam, maximè cùm solis coniecturis ludatur, quæ ita facilè diluuntur, quàm astruuntur.

Monachij ann. M DC XVIII.

Quid futilius quàm vnum authorem, & eum adhuc dubium proferre, eique adhærere, cùm contrarium ab innumeris constanter asseratur? Quid leuius, quam ex communi Regulæ vtrique sexui conuenientiâ colligere solis fœminis scriptam? nisi forte grauitatem sapiat, debiliorem partem, vt in conclusione Philosophus facit, sequi. Quis credat in Regulâ contineri aptiora fœminis? quasi verò & non viri vestes affectarent, pudet ac tędet aliquos vnius vestis: altera mundior, aut obscurior est, eamque frequenter cômutare desiderarent in aliam minus monachatum sapientem pro libitu; nescio an bene. An non specula à D. Iacobo viris fuere applicata? Nulla ratio probat num. 65. dicendum esse, *ab aliqua*, quamuis S. Hieronymus munuscula aliquarum vetet, sunt tamen etiam literæ occultæ, & munera virorum, viris Religiosis damnosa ac ideo meritò à S. Augustino exclusa, quamuis nec hæc lectio Regulam fæmineam conuincat. Torquet multos in Regulâ illud verbum *Presbyter*, illud non patiuntur quater *Præposito* præferri, nisi hanc eliciant consequentiam: Regulam solis fœminis fuisse scriptam. At quis non videat hanc consequentiam esse mancam, præcipuè apud viros, quibus aliud est officium Presbyteri, aliud Præpositi, & vtrumque in vsu, vt infrà. Tandem Authorem talis fictionis fœmineæ sui immemorem arguit alius fœtus, minor quidem at vtilior, in quo Regula Monastica dicitur ex suo potissimum Authore *emendata, explicata, & illustrata*; non regula certe fœminea, sed virilis virilibus verbis, & ad viros scriptis. In explicatione epist. 109. notabit Lector, quàm dextrè ac criticè exsibiletur Erasmus Theologastri Nasutique titulo decoratus, eo quòd Regulam in archetypo fœminis voluerit inscriptam, quod non desinunt imitari, qui illud reprehendunt. Velim attentè perpendat ipse Illustrator, Explicator & Emendator, quàm multa in hac Regulâ notarit viris magis conuenientia: numeris 12. 14. 16. 20. 21. 24. 25. 31. 49. 59. 75. 77. & 82. quamuis in laruatâ Crisi contrarium dicat.

Bellarminus dicit tantùm quod sit certius fœminis data.

Num. 118. 119. & 120.

Regulam S. Augustini viris primâ fronte fuisse scriptam infiniti Authores censent: Louanienses inprimis eam inter legitima opera S. Augustini reliquerunt cum titulo *ad seruos Dei*, immo ne videantur casu quodam hoc fecisse, aut minus attendisse addunt: *Regulam hanc contineri etiam in epistolâ 109. ad fœminas scriptâ, & S. Bernardum de præcepto & dispen. bis meminisse Regulæ S. Augustini, in eamq; viris datam expositionem scripsisse Hugonem de S. Victore.* Citat eandem Regulam virorum Gratianus. *c. Quando necessitas, & c. Non indicetis.* D. Thomas

Fol. 24. Num 75. fatetur per ipsum aliqua apposita Regulæ virorum, an bene? Tom. 10.

E 22. q.

22 q.33.art.8.ad 1. Caietanus ibidem § *ad hoc dicitur*. Iansenius *in Concord. c. 72*. Pa-
ludanus *in 4*. S. Antoninus §. 2. *ita potest*. Alanus, & alij scholarum Magistri
omnes citant Regulam virorum S. Augustini. Valentia *controu. de statu & vo-*
tis Relig. c. 2. & 22. disp. 10. q. 4 puncto 1. inquit *Augustinus etiam, qui & Regulam quoq́;*
præscripsit Monachis, & ipse Monachus fuit, & cucullâ nigrâ indutus. Richardus Ce-
nom. *in Antidoto ad censuram Erasmi* ex professo confutat hunc errorem. Vni-
uersitas Parisiensis publico decreto statuit erroneum esse asserere Regulam
S. Augustini solis fœminis scriptam. Immo Catalogus librorum expurgato-
rum à S. Officio editus, iussit deleri hoc figmentum Erasmi, vti nouitium, pe-
riculosum, & suspectum.

Dist. 19 q. 4. S. si dicatur. a. 2. 1 9 c. 6.

Antiquus Autbor & pius Petrus Blesensis *Serm 31. & 32. in festo S. P. Augu-*
stini clarè profitetur Regulam viris fuisse scriptam. Idem scribit S. Antoni-
us de Padua *1. quadragesim. Serm. Dom 2.* Ægidius Romanus *de renunt. Papæ cap. 8.*
B. Vincentius Ferrerius *Serm. Fer. 5. post Pentecost.* Baronius inquit de S. Augu-
stino: *Instituit postea Monialium Monasterium, eisdemq́; Regulam viuendi præscripsit,*
sicut & Clericis fecerat. Tandem, Regulam S. Augustini virorum semper exti-
tisse est communis antiquusq́; consensus, qui in Concilio Lateranensi cir-
ca annũ M. CC. XII. celebrato Regulam banc vt antiquam virorum nume-
rabat, immo volebat, vt alij Ordines erigendi sub illâ militarent, expresseq́;
protestabatur. § *Ceterum* hanc Regulam Conc. Lateranense præcessisse. Ante
Concilium boc vixit fere C C. annis S. Bernardus, qui etiam illius Regulæ
meminit vt antiquæ: & certè mirum esset, si hæc mutatio esset facta, quod
sciri non possit tempus, quando; locus, vbi; Autbor, à quo; occasio, quare:
quæ tamen omnia facile sciuntur in similibus mutationibus. At ne immo-
rer in re tam clarâ, si coniecturis sit agendum & argumentis, plura babeo
quibus euincam Regulam viris fuisse scriptam. Fuit enim scripta ante li-
brum *de opere Monachorum* nam ibidem ad illam alludit. c. 25. repetens illam
clausulam, *ne in Monasterio vbi quantum possunt fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes*
delicati. Accedit vtramq́ue Regulam non per omnia conuenire, plura enim
continentur in epistola 109. omissis ijs quæ ad viros spectabant. Clausula
etiam *sic legitis qui odit fratrem suum homicida est*, cum subsequentibus verbis
mutationem sexus exprimentibus indicat S. Augustinum aliam Regulam
scripsisse viris. Quis credat S. Augustinum plurima virorum erexisse Mona-
steria: *Clerum sufficientissimum, & Monasteria virorum ac fœminarum continentium*
cum suis Præpositis plena Ecclesiæ dimisisse, & illa omnia absq́ue Regula? maximè
cum constet S. Augustino alios & alios successisse Religiosos ac in diuersis
locis, *beneq́; propagatam ac diffusam fuisse plantationem Augustinianam.* Cùm, eo-
dem Possidio teste, statim vt fuit Presbyter *cœpit viuere secundum regulam sub*
sanctis Apostolis constitutam. Non enim hoc intelligi potest de sola substantiâ
Regulæ Apostolicæ, & modo viuendi Apostolorum: illum enim tenuerat
S. Augustinus etiam ante Sacerdotium in agris paternis; sed indubiè intel-
ligendus est de aliâ Regulâ, quam statim à Presbyteri dignitate adeptâ in-
cepit edere & excolere. Constat etiam ex epistola 256. Valentinianum
Monachum Regulam à S. Augustino petiisse. *Si quid* (inquit Valentinianus)
famulus, tuæ sanctitatis Frater Florus suggesserit pro Regulâ Monasterij, digneris Pater,
petimus, libenter accipere, & per omnia nos infirmos instruere. Vix dubito quin illam
impetrauerit: saltem Baronius de S. Fulgentio scribit, quod Regulam S. Au-
gustini illiusq́ue vestigia sit secutus. Vrget deinde argumentum, quod nec
Werlinus potuit soluere: Si Regula viris non fuit scripta, neq́ue data per
ipsum S. Augustinum, Pontifices Innoc. Zozimum, Cælestinum: vel Episco-
pos Valerium, Aurelium, Alipiũ aut alios; ergo Religiosi illius temporis nõ
fuerunt verè Religiosi, sed liberi neq; alicui Regulæ obstricti. Respondet: il-
lós Religiosos non fuisse adstrictos vi Regulæ, sed vi voti. Peto an votum
fuerit

Vid. num 75. de communitate & d num. 85. ac balneum num 94 num 99. de remissione iniuriarum. num 105. de ... Possidius in Vita S. Augustini.

Tom. 8. anno D. IV.

fuerit solemne an simplex? non simplex: quia sic non fuissent Religiosi, nisi enim votum sit solenne vel quasi solenne, Religiosum non constituit: votum etiam sine Regulâ ab Episcopo vel à Pontifice approbatâ nõ fuisset solenne: Illa enim approbatio Regulę vel statutorũ necessaria est ad solennitatem voti. Vnde si hodie Canonicorum Regularium institutum non esset à sanctâ sede approbatum sub Regulâ S. Augustini vel alijs viuendi ritibus scripto traditis & approbatis, non esset solenne votum illius, qui in illa congregatione voueret, quod latius deducemus. Confirmant tandẽ Regulam S. Augustini multæ & variæ apparitiones: S. Brigitta in suis reuelationibus lib. 3. c. 8. refert. S. Augustinum etiam ante Episcopatum regulariter vixisse. Apparuit S. Augustinus D. Nortberto, eique Regulam quam Fratribus suis scripserat visus est porrigere, *iubens vt illam sequeretur cum suis, quâ securus esset in iudicio.* D. Virgo apparuit Ardingoni Senensium Episcopo, eidemque iussit, vt Regulam S. Augustini septem illis ciuibus Florentinis, qui Ordinem Seruorum inceperunt, præberet. Refert etiam Issolanis Dominicanus, quod viderit S. Veronica D. P. Augustinũ inter S. Nicolaum Tolentinatem & S. Guilelmum cum ingenti Religiosorum numero, inter quos primum locum obtinebant Eremitæ.

Reuelatur Regula S. Norberto.

Surius in vita S. Norberti.

Philip. Ferr. in Catal. SS. Italiæ.

Isidorus Issolanus lib. 5. de vita S. Veronicæ.

CAPVT XX.

Regulam S. AVGVSTINI *fuisse Eremitis scriptam.*

TRIPLEX circumfertur Regula S. Augustini, quarum prima putatur in montibus Pisanis circa annum Dom. CCC. LXXXIX. Eremitis ibidem degentibus tradita, quam Iordânus de Saxoniâ decretum obseruantiæ Regularis appellat, eo quod communi consensu & diffinitione decreta fuerit ab amicis & socijs S. P. Augustini, & hanc Eremitis factam (si Augustini est) extra controuersiam est.

1. Regula S. Augustini. Anno CCC. LXXXIX.

Lib. 2 Vit. frat. cap. 14.

Secundam Regulam, inquit Iordanus, edidit S. Augustinus factus Presbyter, quâ de opere manuum, de abdicatione proprij, de studio & lectione, alijsque Monasticæ disciplinæ moribus pressiùs agit, quæ incipit *Ante omnia fratres* ac desinit *in lætitia de vestra salute*; & hanc inquit idem Iordan. scriptam fuisse Fratribus Eremitis, non Canonicis: nam S. Augustinus nec instituit, nec legem potuit dare Canonicis antequam Episcopus esset. Deinde hoc colligit, quia ordinatur officium Diuinum in illa Regulâ; quod iam ante in vsu erat apud Canonicos. Denique quia opus manuum & venditio operum Monasterij vsquequaque Canonicis non congruebat. Tertiam Regulam vocat Iordan. speculum, & illam inquit incipere ab his verbis: *Hæc sunt quæ vt obseruetis*, eamque putat à S. Augustino Episcopo, tum Clericis, tum Fratribus factam, eisque communem esse. Cum Iordano sentit Doct. Thom. Hybern. eiusque mentis videntur fuisse S. Antoninus & Coranus.

2 Regula.

3. Regula.

In manip. florum.

Louanienses Doctores, & iam fere tota Theologorum schola vnicam agnoscit Regulam S. Augustini hodie communem vtrique Ordini Canonicorum Regularium, & Eremitarum, cui & additum volunt proœmium: *Ante omnia fratres diligatur Deus*, &c. Quod etiã sentiunt Vmbertus, Vgo de S. Victore, & alij qui in eandem Regulam commentantur. Alij periculosè docent, Regulam nunquam viris fuisse scriptam, sed solis fœminis per modum exhortationis, posterioribusque seculis eandem viris fuisse applicatam Regulam interim vnam ad minus viris scriptam agnoscentes, eandem opinamur Eremitis prius scriptam fuisse: nam hoc ipsum titulus præ se fert, quem Louanienses Theologi Regulæ præfixerunt: *Regula B. Augustini ad seruos Dei.* Hic enim titulus erat Monachorum proprius. Raró Canonici vocantur à S. Augustino *serui Dei*, maximè in titulis epistolarum aut sermonum: sed potius dicuntur Clerici, quod superius latius discussimus.

Regula est Eremitis scripta.

Ratio 1.

2. Ratio pro Eremitis.

Lib. de opere Monachorum.

Secundò colligi potest Regulam primò Eremitis traditam fuisse: quia ibidem agitur de opere manuum, ac de pretio laborum, de venditione rerum factarum, quæ Canonicis choro occupatis minus conueniebant, Eremitisque tunc erant propria, vt ipse Augustinus docet. Agitur etiã de ceruicum erectione *quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant*, & de illis *qui ad hanc sanctam societatem ex paupertate venerunt*: quæ Clericis conuenire nõ poterant, illi enim erant eiusdem chori socij, audebantque iam ante sese inuicem accedere, illi non ex paupertate, sed ex beneficijs ad societatem venerunt.

3 Ratio pro ijsdem.

Canonici non habuerunt Regulam S. Augustini vsque ad annum M.

Tertiò moueor vt credam Regulam maximè Eremitis fuisse traditam, quia eorundem Institutor fuit S. Augustinus, Clericorum vero Regularium tantùm Restaurator: cùm ipsorum Clericorum Regularium institutum sit multò antiquius Augustino; vnde etiam Eremitæ semper Regulam S. Augustini obseruarunt: Canonici verò statim post Augustini tempora non Regulã S. Augustini, sed institutionis formam ex sanctis Patribus collectam obseruarunt vsque ad annum circiter millesimum, vt ex varijs concilijs & historijs postea deducemus.

4. Ratio.

Quartò vix video quomodo inter Clericos Regulares fuerit Presbyter supra Præpositum, cui multò magis erat obediendum, & ad quem erat referendum *quod modum vel vires Præpositi excederet*, cùm inter illos plures essent Presbyteri, Episcopum enim si hunc Presbyterum dixeris, inconcinnè dixeris: nam ille non tantùm omnium Religiosorum curam gerebat, prout specificabat S. Augustinus illis verbis: *Omnium vestrum curam gerit*, sed simpliciter *omnium* etiam secularium *curam gerebat*. Melius hæc, quæ de Presbytero dicuntur, Eremitis applicantur, apud quos vnicus erat sub initium Presbyter, cùm cæteri laici essent, qui Præpositis suis obediebant, multò magis Presbyteris. *Habebant enim Monasteria singula*, vt docet Bellarminus *suum Abbatem Presbyterum, à quo Sacramenta percipiebant*: hoc expressit S. Augustinus *lib. 1. de morib. Eccl. c. 31 & 32. & in epist. 81. ad Eudox. Presbyt. & Abbatem in Insulà Caprariâ.* Et S. Epiphanius dicit se ordinasse Paulinianum Presbyterum Monasterij Bethleemitici, quia S. Hieronymus eius Monasterij Præpositus præ nimiâ humilitate non audebat Sacramenta Fratribus ministrare.

Lib. 2 de Monach. c. 6 §. Hic est mendacium.

Epist. ad Ioannem Hierosolymitanum.

5 Ratio ab authoritate.

3. parte, tit. 24. cap. 14.

Augustin. Florent. lib. 1. c. 14. hist.

Valentia de stat. & vot. c. 2. arg. 2.

Tandem omninò me conuincit Regulam Eremitis fuisse scriptam, quòd plurimi Authores fateantur eam in horto Valerij sub initium Monachismi fuisse scriptam. Sic docent Iordanus *lib. 1. vit. Fratrum c. 17.* Antoninus, Ferdinandus ab Hispania, Philippus Bergomas *lib 9. anno CCC. XCVIII.* Richardus Cenan. *in Antidoto Erasmi.* Trussillus. *tom 2. in vita S. Augustini* Illescas *lib. 5. historiarum Pontif. c. 33.* Clitouæus *de laude monasticæ Religionis c 13.* Aluarus Pelagius *lib. 2. de planctu Ecclesiæ art. 36. §. ad illud.* Albertus Pighius *controuer. 14.* Choppinus *lib. 1 Monast tit. 2. n 6.* Ionnes Rioche, *in compendio temp. c. 31. in sacris Doctor.* Antonius Yepes. *tom 1. Chron. S. Bened. cent. 1 anno D. L XIV.* & alij, qui omnes primatum concedunt Ordini Eremitano in Regulæ professione.

CAPVT XXI.

Quod Ordo S. Avgvstini antonomasticè sit Ordo Fratrum Eremitarum.

Ordo Eremitarum præcipuè dicitur Ordo S. Augustini.

Lib. 1. de Vitis Fratrum c. 17.

Regvlam S. Augustini ab ipso S. Augustino Eremitis fuisse traditam ex eo etiam posset probari, quia is Ordo præcipuus est quem S. Augustinus instituit: alium enim Ordinem tantùm restituit, seu reformauit; vnde solus Ordo Eremitarum, maximè gaudet hoc titulo *Ordinis S. Augustini*, quod sic describit Iordanus: *Denique etiam, & congruè Ordo iste* (loquitur de Eremitarum,) *gaudere debet titulo S. Augustini, tum ratione sua primordialis, tum ratione Regularis institutionis: quia per traditionem*

Regula

Regulæ suæ ab ipsomet est spetialiter dotatus; tum ratione Apostolicæ adoptionis: quia iste titulus est spectaliter Ordini adoptatus, appropriatus & confirmatus; tum etiam ratione corporalis possessionis, quia possessione sacratissimi corporis sui Ordo iste est singulariter prærogatus.

Rationes quare.

Expressius idem attestantur Autbores innumeri, qui mentionem facientes Eremitarum eosdem simpliciter dicunt fuisse Ordinis S. Augustini, quia *Eremitarum Ordo*, inquit Hajus, *Augustinianus Ordo Antonomasticos vocitatur*. Sic loquuntur Platina *in vitâ Eugenij 4.* Bembus *lib. 6. epistolarum* scribens Gabrieli Veneto Ordinis Augustinianorum Magistro. Baronius *Martyrol. 10. Feb.* Bellarminus. Antonius Monchiacenus *de Diuino sacrificio c. 14.* Lessius *lib. 2. c. 41.* Panuinus *anno M. D. XLII.* Nauarrus *consil. 23. de Regul.* Ludouicus Miranda *tom. 2. man prel q. 38.* Genebrardus *lib. 4. Chron de S. Guilel.* Piried. *lib. 22. Monarch. c. 23.* Raderus *in Bauariâ sanctâ, de B. Friderico.* Clitoueus, Cochleus, Gonzaga, ac infiniti alij, quos breuitatis causâ omitto, cûm ita etiam Canones loquantur: Concilium Lateranense sub Leone X. Sess. 2. recitat inter alios Prælatos ibidem præsentes *Generalem S. Dominici, necnon sancti Augustini.* & in Concil. Tridentino inuenimus omnibus præsentibus ex Ordine Eremitarum datum fuisse titulum *Ordinis S. Augustini*: vt videre licet in Ioanne Xuares, in Ioan. Iacobo Barbâ, Gaspare Cassalio, ac Ioanne Munuatones, qui ibidem recẽsentur fuisse Ordinis S. Augustini. Eodem modo loquitur Concilium Constantiense Sess. 41. & Pontifices ferè omnes in Bullis Apostolicis directis P. Generali Ordinis S. Augustini hoc titulo eundem cohonestant, nunquam appellantes alium Ordinem, vel Regularium Canonicorum, vel Prædicatorum, Seruorum aut aliorum hoc titulo: sed semper cum addito, prout facit Concilium Trident. in enumeratione personarum illius Ord. Sic memorat Petrum Delphinum Ordinis Canonic. Claudium Sanctes Canonicum Regularem, &c. Immo Innocentius IV. tali nomine compellat Fratres S. Augustini in Bulla ab ipso editâ pro Religiosis Fratris Ioannis-Boni scribens: *Vniuersis Prioribus & Fratribus Ordin Eremitarum salutem*, quam constat ex decursu Bullæ editam fuisse pro Fratribus Eremitis S. Augustini, prout latius colligi potest *ex cap. 28. partis 2. huius operis*, vbi Bullam hanc describemus. Egregio omnino eulogio ac titulo prosequuta est Ordinem Eremitarum S. Augustini hucusque semper Sedes Apostolica agnoscens hunc Ordinem pro vero ac primario partu S. Augustini, vt vlterius ex centum Romanorum Pontificum Breuibus ac testimonijs possem ostendere, quibus libens supersedeo, vno tantum eorundem vel altero testimonio contentus. SIXTUS IV. in Bullâ editâ Anno M. CCCC. LXXIX: loquitur: *SIXTVS seruus seruorum Vniuersis Christi fidelibus, &c. Dum attentè reuoluimus, quòd inter Ecclesiæ Doctores præcipuos Beatiß. Aurelius Augustinus subtilissimus Euangeliorum & sacrarum litterarum perscrutator, ac verbi Dei in sermonibus ad fideles infidelesq́; expositor magnificus, ac diuersis alijs libris & codicibus fidei orthodoxæ illuminator clarissimus, Religionis Regularis, & Apostolicæ vitæ, ac castitatis, paupertatis, & obedientiæ amator, & inter cætera Ordinis Eremitarum Fratrum eiusdem plantator & pristinus institutor extitit, rationi & iuri congruum censemus, etiam nullis petitionibus pulsati, vt Ecclesia, & loca in eiusdem præcipui sacratißimi Doctoris honorem erecta, & constructa temporale pariter ac spirituale incrementum suscipiant, &c. Dat. Romæ apud S Petrum Anno incarnationis Dominicæ M.CCCC LXXIX. duodecimo Cal Aprilis Pontif. nostri anno nono.*

Communis appellatio. *De Veritate Vita S. Guileimi. Præfat lib. 2. de Monach. & lib. de Scriptor. Eccles. § De Ægidio, & postea de Augustino Ancontano, Simone de Cassia, Argentinensi.*

Modus loquendi Conciliorum.

3a

S. Augustinus est Plantator & Institutor Ordinis Eremitarum.

Eodẽ modo loquitur Alexander VI. de eodem Ordine bis verbis: *Alexander Episcopus, &c. Ad sacrum Ordinem Fratrum Eremitarum S Augustini, quem gloriosus ipse Doctor egregius, velut radians sydus in firmamento Ecclesiæ, ad gloriosam Omnipotentis Dei laudem, & sacrosanctam illustrandam Ecclesiam, Schismaticorum hæreses extirpandas, ac infidelium confutandos errores, Christianæ quoq; Religionis propagationem, & Christi fideliũ saluandas animas, in agro Dominico plantauit oportunè, Apostolicæ meditationis dirigentis intuitũ, &c. Dat. Romæ Anno M. CCCC. XCVI. Cal. April. Pontif. Anno V.*

4a

Obiectio Trulli, cap. 3.
Solutio.

Allegat Trullus aliquot authoritates Bullarum Apostolicarum in quibus etiam Canonici Regulares simpliciter Ordinis S. Augustini titulum recipiunt, at illæ nihil præiudicant huic adstructæ veritati: nam clarum est prouisiones Apostolicas, taxas Cancellariæ aliaque ad nostros Eremitanos vti ad pauperes Mendicantes non se extendere; & sic in materiâ pecuniaria non iudicâruot opus fore Domini Cancellariæ, exprimere alio titulo Ordinem DD. Canonicorum Regularium, cùm res de quâ agitur non possit alios afficere. Deinde cōstat ex antiquissimis fundationibus monasteriorū Canonicorum Regularium semper à Pontificibus hos DD. vocatos fuisse Canonicam vitam profitentes secundum Regulam S. Augustini, nunquam verò Fratres Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium; ita vt dicantur sub Regulâ fuisse instituti, quamuis non ab ipso Augustino.

Hundius in metrop. Ge. VVolaus, ibid.

Huic proposito subseruit grauissimus casus, eiusq; decisio ante aliquot annos Papiæ habita: Legatarius quidam in Vrbe Papiensi prædiues testamento suo mandauerat consignari *Patribus Ordinis S. Augustini* nō contemnendam hæreditatem, quàm cùm sibi adscribere vellent Patres Eremitæ S. Augustini, à DD. Canonicis Regularibus fuere impetiti ac impediti, remq; dubiam fecerunt, cùm pari iure sibi nomen Patrū Ordinis S. Augustini vendicarent. Cùm autē non tam de nomine, quàm de mente Testatoris esset disceptatio apud Iudices, per eosdē Iudices omni diligentiâ ac solertiâ indagatū fuit, quinam præcipuè apud ciues hoc nomine indigitarentur, quod vt experientià cōstaret, certâ die indictâ, diuersis horis diuersos submisere ciues ex varijs locis illius ciuitatis assumptos, eisque consignarunt aliquot pullos Gallinarū deferendos *Patribus S. Augustini* nō addentes aliud annotatum; venientes autem Iudices ad vtrumq; Monasterium: DD. Canonicorum Regularium, nec non Eremitarum, repererunt pullos omnes transmissos delatos fuisse Patribus Eremitis, & ne vnum quidem DD. Canonicis quamuis cōtiguis; ac sic iudicarunt, bos Patres voce populi, & ex mente Testatoris esse veros Patres S. Augustini, eisq; hæreditatem propriè competere.

Casus Papiæ per sententiam decisus.

Marquez in orig. Erem. c. 7. §. 3.

CAPVT XXII.

De approbatione Regulæ S. P. Avgvstini.

Antiquitas approbationis Regulæ S. Augustini.

NE aliquid videatur deesse circa Regulam S. P. Augustini, addam eiusdem Regulæ approbationem antiquissimam fuisse, quam aliqui nescio quo spiritu ducti valde nouitiam, & post Concil. Lugdunense, vel paulò ante adinuentam, ac circa idem tempus Eremitis aliquot dispersis ac postea vnitis ab Alexand. 4. traditam effingunt: cùm tamē ex superius adductis & inferius adducendis constet institutū Eremitarū S. Augustini esse antiquissimū, quod de Regulâ multò euidentius est.

Anno M. C. XXX

3. part Cathol. confid. 71.

Illius etenim mentionem facit Innocentius III. *in cap. Perniciosam. 18. q. 2.* vbi numerat approbatas Regulas S Augustini, Benedicti, ac Basilij. Immo Cassaneus non ignobilis Scriptor refert. Gelasiū 1. circa annū Domini CCCC. XCII. eandem approbasse cum omnibus operibus S. Augustini: ac eandē vt legem Ecclesiasticam obseruasse Gelasium volunt Genebrardus, Panuinus cum Molano, suisq, Clericis in ædem Lateranensem introductis præscripsisse. Antiquiorem confirmationē Regulæ S. Augustini adducit Doctor Illescas, eamq; reducit ad tempora Innocentij I. & Zozimi nam de bis dicit liber Pontificalis quòd *constitutionem fecit de omni Ecclesiâ, ac de Regulis Monasteriorum,* scilicet de Regulis SS. Basilij, & Augustini. Hoc idē affirmant Platina & Franciscus Padiglia in historiâ Ecclesiasticâ Hispaniç disertis verbis: *Innocentius I. confirmauit nonnulla concilia habita tempore sui Pontificatûs, approbauitq; Regulā, quam S. Augustinus Eremitis, cum quibus vixerat, tradidit.* Quæ verba fere repetit lib. Pōtif. in Cælestino I. Doctor Martinus Nauarrus etiam testatur: *tempore D. Aurelij Augu-*

Anno 402. & 423.
lib. 2. hist. Pontif. c. 9. & 10.
in vita Innoc. I.

cent. 5. cap. 11. fol. 237.
Tract. de Regul. tomo 4. num. 9.

Augustini Eremitas fuisse, qui Institutoris sui Regulis vitam attemperarent. His omnibus antiquior Iordanus Saxo putat hac Regulâ S. Augustini vsos fuisse Gratianum, Concilium Aquisgranense, & Bedam. *2. Corinth. c. 8.* vnde alibi cõstanter asserit, *inter Regulas approbatas antiquitus & in decretis Canonizatas S. Augustini, Basilij, & Benedicti, clarum quidem est Regulam S. Benedicti longè alijs duabus tempore posteriorem esse: illarum tamen duarum, quæ alteram præcesserit, non esse vsquequaq; notum, cum quasi contemporanei fuerint.* & lib. 1. cap. 19. de S. Augustino, relatione ad Ordinem Eremitarum, sic loquitur: *Ipse primùm eos vndiq; per eremos diuisos in vnum congregauit, & cum eis vixit, item modum viuendi, & Regulam eis tradidit, habitũ contulit, titulum imposuit, &c.* Similia scribit S. Antoninus *3. part tit. 24 c. 14. §. 2.* Solum obijci potest huic tam expressę veritati, quod nullum extet scriptum talis approbationis Regulæ: at argumentum est negatiuum; ideo minus cõcludit: Sufficit enim tot tantorum Authorum, ac immemorabilis quædam approbationis attestatio; de quâ nec diplomara Pontificum tacuerunt, vt videre est in fundationibus multorum monasteriorum Germaniæ: vbi Vrbanus II. & alij Pontifices ferunt *S. Augustinum Canonicam vitam Regulis firmasse*; Ante illum in Concilio Remensi *Anno DCCC. XV.* fit mentio Regulæ S. Augustini. Valerius Hipponensis Episc. absq; dubio viuendi ritum ac Regulam S. Augustini approbauit, vbi eundẽ ad suam diœcesim vnà cum Fratribus admisit: quod expresse docet Lessius his verbis: *Aduerte tamen non esse necessariũ, vt hæc approbatio fiat immediatè à summo Pontifice; Religiones enim sanctorum Antonij Basilij, Augustini, Benedicti, non videntur initio fuisse sic approbatæ, sed ab Episcopis, quibus tunc suberant ipso vsu admissæ sunt, non repugnante Pontifice, deinde sensim à Concilijs, & à summis Pontificibus sunt laudatæ, & approbatæ.*

Lib 2. c. 14.
Lib 3. c. 3. Sittas Fratrum.
Obiectio contra antiquitatem Regulæ. Solutio.
Infrà part. 2. capit. 7.
Lib. 2. de iustitia & iure c. 41. dub. 1.

CAPVT XXIII.

De Monachismo S. AVGVSTINI tempore Episcopatûs; vbi agitur de fundatione Clericorum Regularium.

SANCTVS Augustinus iam ingressus tertium lustrum conuersionis suæ *ad maiorem Dominici muneris gratiam, nouo more prouehitur, ita vt consecratus in Episcopũ non succederet in cathedra Episcopus sed accederet.* Nam incolumi Valerio Hipponensis Eccl. Episcopo Coepiscopus fuit datus Augustinus, quo tempore nõ statim monasteriũ reliquit, sed experientia edoctus se nõ posse humanitatẽ & decentẽ hospitalitatẽ venientibus exhibere, salua disciplina monasticâ, q̃ tantus discursus euntiũ ac redeuntiũ turbaret. *Ideo,* inquit, *volui habere in ista domo Episcopi mecũ monasterium Clericorũ.*

S. Paulinus epist. 31. & 36.
Initium restaurationis CANONICORVM REGVLARIVM.

Scio plures dubitare an hi Clerici eidẽ sint, quos hodie Canonicos Regulares audimus appellari, vixq; posse euidentem locum assignari, qui cogat vt hoc fateantur obstinatiores, cùm omnia, quæ de istis Clericis refert S. Augustinus, referri possint commodè ad Eremitas iam Clericos factos de quibus, hoc insinuat S. Augustinus: *Quod ex ijs qui in Monasterijs permanẽt probatiores atq; meliores in Clerum assumere soleat,* de quibus etiam Possidius inquit: *quod proficiente doctrina Diuina sub S Augustino, & cum S. Augustino in Monasterio Deo seruientes* Ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt: maximè cũ Possidius tantùm loquatur de vno Monasterio, quod isti necessariò primæ fundationi Eremiticę attribuunt. Attamen, quia contentionis studium non amo, libenter fatebor cum maiori numero Doctorum, per hoc Monasterium Clericorum in domo Episcopali erectum CANONICOS REGVLARES intelligi debere. Ita vt S. Augustinus duas classes Religiosorum instituerit, de quibus Baronius: *Alterum nempe eorum, qui in ciuitatibus degentes cœnobitica Monachorum instituta seruarent, quibuscum idem factus Episcopus habitauerit. Aliorum verò qui procul à ciuitatibus degentes eius essent vitæ atque vestitus, cuius hic vides Fulgentium esse cultorem, nempe vna induti tunicâ atq; zonâ constricta, quam nec soluunt dormituri.* & Bozius

Epist. 70.
Cap. 11.
S. Augustinus est Author duorum Ordinum.
Tom. 6. Anno D. IV.

zius

Lib. 9. de sign. Eccl. c. 5.

zius inquit: *Augustinus diuino numine afflatus Clericis, qui sponte vellent simul viuere, & nihil habere proprium sed omnia communia exemplo Monachorũ, formam viuendi dedit.*

Clericorum Regularium non est institutor propriè. *Actor 4.* Clerici in primitiuã Ecclesia.

Hos autẽ Clericos nõ tam S. Augustinus instituit quã restituit, vt loquitur Carthusianus: Statuerant enim Apostoli neminẽ ordinare, qui nõ profiteretur Regulam vitæ communis, præuaricatoresque tum officio, tum beneficio censebant priuandos, atque ab omnium societate remouendos. Erat itaque hoc vitæ genus primis illis Clericis cum Apostolis commune, nam omnes ad Apostolorum exemplar efformati eandem perfectionis formulam profitebantur: Castitatem in assumptione Clericatus vouentes, omnem coniugij nexũ, si quẽ ante habuissent, præscindebant: obedientiã suo quisq; Prælato spondebant, & relictis paternis bonis pauperes sese faciebant. Vnde D. Prosper: *Expedit facultates Ecclesiæ possidere, & proprias perfectionis amore contemni.* & Clem. Papa I. *communis vita omnibus est necessaria, & ijs maximè qui Deo militare cupiunt, & vitam Apostolorum eorumq́; discipulorum imitari.*

Lib. 2. de vita cont. c. 9. de Clero Hierosol.

Communitas Clericorum quomodo defecit.

Hæc communis vita aliquamdiu omnibus mansit communis, donec Clero aucto, & minori solicitudine Prælatorum adhibitâ, frigescente etiam charitate amor proprij commodi irrepsit in tantum, vt quilibet communitatis oblitus sua quæreret, verâ remotâ obedientia, affictam quandam sequeretur; & medio castè, medio cautè viueret.

Mens S. Augustini in Clericorum restitutione.

Tunc antiquam normã respiciens Augustinus intermissum vitæ genus voluit reuocare, sed difficultate pressus, suorumque famæ integritati consulens sub finem vitæ mutato consilio tam laudabile institutum ab Apostolis primò inceptum, à S. Marco in monte Sion, & ab Eusebio Vercellensi in Europâ continuatum sic primus in Africâ restaurauit Augustinus, vt quibus non sufficeret Deus & Ecclesia sua, *manerent vbi vellent, & vbi possent, non tamen eis auferret clericatum.* Hinc illis, qui ipsi aderant in domo Episcopali, tamquam in magno Monasterio Clericorum, dixit: *Quicunq; habet aliquid, aut vendat, aut eroget, aut donet, aut commune illud faciat.*

Serm. 50 de diuersis.

Testimonium Volaterrani *Li. 21. anthrop. cap. 3.*

Hoc est quod de Ordine Canonicorum scribit Volaterranus, qui eorũ instituti fuit qui se Canonicos S. Augustini scribunt, his verbis: *Ordo Canonicus non tam ab Augustino institutus quàm renouatus ab Apostolis in monte Sion exordium sumpsit, qui post Ascensionem Domini inter se deliberantes communia inter se omnia ac tria vota coram Deo statuère: qui ritus à successoribus Clericisq; omnibus diu diligentissimè seruatus, fideq; postmodum deferuescente desitus, nunc quoq; in Ecclesijs amplius quadraginta perseuerat.*

Testimonium Roseti de Canonicorum Regularium institutione. Occasio restituendi Canonicos Regulares.

Rosetus inquit: *De ipsius Canonici Ordinis antiquitate non ex incertis authoribus reperimus, quod Ordo Canonicorum Regularium sub sanctis Apostolis est institutus, à B. Marco apud Alexandriam dilatatus, & à sancto Patre Augustino instauratus.* Occasionem autem restaurandi hoc tantum & tam pium institutum à Concilio Toletano 2. & 4. omnibus Episcopis commendatum præbuit S. Augustino amor vitæ Monasticæ, in quâ dulciter vixerat Presbyter, cui suspirabat Episcopus, corpore quidem à suis absens, animo tamen præsens. Deinde, vt ipse fatetur, hanc societatem adamauit, vt haberet testimonium vitæ suæ. *Quia* inquit *vt ait Apostolus spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus, qui amant, quærunt, quod laudent in nobis, qui autem nos oderunt, detrahunt nobis: nos autem in vtroq; medio constituti, adiuuante Domino Deo nostro, & vitam & famam nostram sic custodire debemus, vt non erubescant de detractatoribus laudatores;* iuxta quæ verba dicit Concilium Toletanum 4. *Oportet Episcopum testimonium probabilium personarum in conclaui suo habere,* &c.

Serm. 2. de vita Clericorum Altera occasio.

Antithesis inter Monasteriũ Eremitarum & domum Clericalem. 1.

Hi testes erant Canonici Regulares in domo Episcopali S. Augustino cohabitantes inter quam domũ, & Monasterium horti hoc intererat quod aliàs pro antithesi promisi. 1. Quòd in hac domo essent reditus, saltẽ in communi: nam, vt dicit S. Augustinus: *Ianuarius socius noster nobiscũ manens de Ecclesiâ viuens, & communẽ vitã agens,* & Serm. 2. dicit de alio Clerico, *qui Monasterio villã donauit*

non

non vendidit. 2. In hac domo Episcopali, omnes erant Clerici; vnde vocabatur Monasterium Clericorum. 3. In hac domo non laborabant manibus, sed choro destinati, seruiebant altari & de illo viuebant. 4. Habitabant isti Clerici in ciuitate, in ipsâ domo Episcopali, occupati hospitum receptione, & pijs exercitatione. 5. Clericis istis conueniebant Ordines sacri ex instituto, vt docet D. Thomas, Ægidius, Siluester, & Nauarrus comm. 4. d. cap. Regul. num. 1. & 8. verba D. Thomæ sunt: *Ad peragenda Diuina mysteria ordinatur directè Ordo Canonicorum Regularium, quibus per se competit vt sint Clerici Religiosi sed ad Religionem Monachorum non per se competit*, sic habetur Decr. 16, q. 1. c. nemo potest. 6. Differentia notabilis inter Monasterium horti, & domum Clericorum est, quod illud institutum sit ab Augustino Presbytero aut Laico: hoc verò à S. Augustino Episcopo: non enim poterat restaurare Canonicorum vitam, nisi dignitatem & authoritatem haberet Episcopalem, sine quâ in Canonicos nihil iuris exercere poterat. De hac differentiâ, vti de præeminentiâ gloriantur DD. Cannnici: nam in suâ quam gesserunt lite contra PP. Benedictinos, hinc voluerunt elici debere præcedentiam, quia eorum Ordo à digniori personâ fuit fundatus. Sic scribebat illorum Procurator: *Antiquior institutio in prælationibus præcipuè attenditur, vt notatur in lege. Cum quid ff. Si certum & c. Qui prior, & hanc antiquiorem institutionem maximè adiuuat maior dignitas in ipso institutore: cùm B. Augustinus tempore huius institutionis esset Episcopus Hipponensis & fidignior S. Benedicto, qui erat simplex Monachus.*

Hæ itaque differentiæ si conferantur cum dictis c. 8. facilè erit intelligere, qualis sit diuersitas inter Eremitarum, & Canonicorum Regularium institutum, hocque ab illo si non toto genere, saltem proximo fine & viuendi ritu discriminatum esse.

Margin notes: 2. 3. 4. 5. Clericatus est essentialis Ordini Canonicorum Regularium. 6. *2. 2. q. 189. a. 8. in castigato, in 16 verbo Relig. c. 4. q. 8.* Testimonium Basilij Syreni. Corollarium.

CAPVT XXIV.

De S. AVGVSTINO, num fuerit Canonicus Regularis.

CVM multi authores dicant S. Augustinum Regularis instituti Canonicorum Regularium Authorem seu Restitutorē, meritò oriri posset difficultas, an ipsemet illius instituti professionem emiserit, eodem habitu incesserit, & an ijsdem legibus subditus vixerit. An verò vti Episcopus illis Clericis modum tantùm viuendi præscripserit cum directione, & bonę obseruantię immissione, verbo, & exemplo, quantum illius status patiebatur, prout modò multis in locis hoc Episcopi faciunt, dum vel seminaria ab ipsis erecta dirigunt, vel Monasterijs restauratis præsunt tamquam capita eorundem non homogenea, sed heterogenea.

Multi non infimi nominis Doctores omnino negant S. Augustinum vnquam fuisse Canonicum Regularem addentes etiam non potuisse Canonicorum Regularium institutum profiteri maximè in hoc fundati: Quod Episcopus non possit dici aut esse Religiosus alicui Ordini obstrictus: esset enim particularis persona, cùm sit vniuersalis totius diœcesis, *vt habetur in c. Clerici de vit. & honest. Cler.* quæ omnia accuratè prosequuntur Theologi cum D. Thomâ *2. 2. q. 88. art. 11. ad 4.*

Ex his aliqui putant Monachum factum Episcopum manere obligatum ad essentialia tantùm, esse verò immunem in accidentalibus & ceremonialibus. Alij tamen censent eundem à die promotionis ab omni voto Religionis exemptum, allegantes quandam repugnantiam inter statum Episcopalem & Religiosum, quam indicat cap. *statutum 18, quest. 1. conc. Gener.* Sic Burchardus *lib. 1. cap. 30. suo 14 p. cap. 116.* vbi inquit, *Electo Canonica & iugo Regule & professionis Monachalis absolut, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum*

Margin notes: Explicatio quæstionis. S. Augustinus non potuit esse Canonicus Regularis. *Caietanus 2. 2. q. 189. Nauarrus lib. 3 consil. 6. Azorius lib. 12 instit. c. 7. q. 2. S. Mihi vaque. Michaël Medi. lib. 3. de contin. c. 16.*

pum facit. Vbi clarè satis definitur quod Monachus promotus Monachatum relinquit & fit Episcopus, annullansq; terminũ à quo erigitur ad terminum altiorem.

Episcopus nõ potest esse Religiosus.

Ratio etiam hoc videtur docere: nam Episcopus non est aptus vt obediat Ordini alicui dum grauioribus Ecclesiæ suæ negotijs detinetur, dumq; in eminentiori est statu, potest enim tunc vti voluntate suâ, mandare, testamentum condere, aliaq́ue exercere: vbi voluntas monstratur Domina sui iuris, quod obedientiæ Religiosæ repugnat, eiusq; statum totaliter destruit.

Non est capax votorum. S. Augustinus Episcopus non potuit esse Religiosus.

Nec minorem cladem patitur in Episcopo Religiosa paupertas: nam habet quod disponat, quod validè & liberè donet, quantum & cui vult independenter à Superiore, in quo non minor est Episcopo seculari: vtriusque enim donatio est valida, nisi aliud obstat. Habet etiam ex Monacho factus Episcopus in secundo suo statu, quo succedat in legitima paternæ hæreditatis, habet aptitudinem vt iure proprio exigat debitum iustum, habet vt illud possideat, donet, permutet, aut concedat, nullo Ecclesiæ cui præest adhibito consensu.

Ex his fundamentis satis clarè deducitur S. Augustinum Episcopum nullo modo potuisse esse Religiosum cum tribus votis, quæ ad essentiam Religiosi spectant: & multo euidentius colligitur iam Episcopum non potuisse fieri Religiosum, cùm vota non valuerit edere ratione sui status: Si enim vir matrimonio ligatus non potest pro illo statu Religionem ingredi ob matrimonium contractum, in quo sui corporis libertatem amisit: quare nõ & Episcopus à voti solennis emissione in Religione prohiberetur, quamdiu manet Episcopus spirituali matrimonio deuinctus Ecclesiæ suæ vti spõsæ? Nisi de consensu Ecclesiæ, quæ quidem per suum caput summum scilicet Pontificem posset iuri suo cedere, & tali nexui renunciare ex causis. Ita sentiũt Theologi cum D. Thom. 22. q. 185. art. 4. Ægidius Romanus, Vasquez 3. p. d. 143. Siluester verbo *votum q. 1.* Præ ceteris doctissimè ad hæc scribit Valent. *2 2. d. 10. q 3 punct. 4.* his verbis: *Ex quo sequitur nullam fore professionẽ, quam in Religione emitteret Episcopus, esset enim de minori bono pugnante cum obligatione iuris naturalis & Diuini, quâ talis ex officio Episcopali obstrictus populo teneretur, cogendusq; esset, vt rediret ad gregem, desertâ Religione.* Hoc videtur etiam indicasse D. Gregorius: *nemo potest Ecclesiasticis obsequijs deseruire; & in Monasticâ Regula ordinatè persistere:* & Canon. *in c. Nisi cùm pridem,* hoc insinuat, cùm statuit: *facilius indulgeri vt ascendat Monachus ad Præsulatum, quam Præsul ad Monachatum descendat.*

Similitudo de Matrimonio.

De renuntiatione Papa c. 12 Soto lib. 2 de iustitiâ & iure c. 4. Lessius ibidem. Professio Episcoporum est nulla.

Lib. 4. Registri in principio.

Putabit aliquis sese hæc argumenta euasisse, si dixerit S. Augustinum potuisse in Episcopatu existentem esse caput Religionis, quæ tunc Episcopo suberat: sicut modò sunt Generales Ordinum; sicque obedientiam ac paupertatem in illo fuisse saluam, quamuis nulli subijceretur, vel omnino careret dispositione. Attamen effugium est nullum: Generales enim non sunt perpetui, nec supra Ordinem, & deinde si perpetui sunt, obligati sunt Ordini. Esto: S. Augustinus sic imperauerit: an non authoritate Pontificiâ Ordinis illius regimen potuisset mutari, & Generalatus, S. Augustino viuente, alteri committi? nunquid tunc S. Augustinus fuisset Episcopus & membrum Ordinis? diuisus in se ipso? Ordini & Ecclesiæ suæ obligatus?

Obiectio.

Solutio.

Hinc bene dicitur vitam S. Augustini inter Clericos Regulares fuisse voluntariam, & ad beneplacitum illius, quod videtur indicasse idem S. Augustinus *Serm 50.* cùm *de communi* dicit *se velle accipere*, addens rationem, *cùm sciat commune se habere velle, quidquid habet.* & fortè ideo vocauit *domum Episcopi semper suam*, cùm tamen mandasset Religiosis ne *aliquid dicerent proprium*. Propterea etiam putat F. Ioannes Marquez, quod S. Augustinus Canonicos Regulares tam frequenter vocauerit *cohabitatores suos*, cùm tamen Religiosos hortari, *Fratres suos* dixerit, *compares, & imitatores suos.* Ac tandem puto ego quod

Vita S. Augustini inter Regulares fuit voluntaria. *De diuersis.*

Serm. 50.

quòd ideo D. Augustinus voluerit mori inter Fratres suos, renuntiato onere Episcopatus in Eradium, quia voluit Religiosus mori: obsidionis enim tempore, cùm omnes Eremitæ ad vrbem, immo ad Episcopalem domum confugissent, *merabris omnibus sui corporis incolumis integro aspectu, astantibus Fratribus ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace*.

Possidius c. 31. vita S. Augustini.

CAPVT XXV.

De habitu S. AVGVSTINI tempore Episcopatus: an fuit habitus Canonici Regularis.

DEMONSTRAVIMVS suprà satis luculenter, vt arbitror, S. Augustini habitum fuisse Eremiticum, cucullum scilicet nigrum cum cingulo coriaceo ante dignitatem Episcopalem, quem etiam videtur non mutasse illâ adeptâ: prout posteriora argumenta ibidem ventilata satis probabant, nihilominus, vt præcedenti quæstioni fiat satis, paucis nunc demonstrare statui, S. Augustinum habitum Canonicorum Regularium non gestasse.

Habitus S. Augustini ante Episcopatum.

Amictus etenim originalis Canonicorum Regularium, vt Volaterranus refert, est *Linea tunica tantum vesti cuicung, superaddita, quam Iacobus Apostolus Præsul Hierosolymitanus primus ex more Leuitico veterumq, Sacerdotum sibi adsumpsit, & post eum Marcus Alexandrinus: posteri verò, diuersis inter se factis concilijs, alij alia simul cum lineo indumento confuderunt, statuta q, condiderunt*.

Habitus Canonicorum Regularium. Lib. 21. anthrop. c. 5.

Pius IV. in sententiâ contra PP. Benedictinos, & in Motu proprio, circa eandem materiam describit illos *Cum cappis, seu pallijs, & lineâ veste, & clericali habitu incedere.* Pallia tamen dicit illis esse relinquenda in publicis actionibus.

Iacobus de Vitriaco describens Canonicos Regulares secundum primas Regulæ institutiones & obseruantias inquit: *Camisijs & femoralibus, superpellicijs, pellibus & culcitris & lineaminibus vtuntur.* Idem de Canonicis Araosiensibus dicit: quod camisijs non vtantur, sed laneis tunicis, quas etiam de Canonicis S. Victoris loquens dicit esse albas, eisque addit ad illorum vsum pelles agninas, camisias lineas, & chlamydem nigram nulla factâ mentione superpelliciorum.

Apud Mireum Vitriacus de origine Canonicorum Regularium c. 5.

Vltra viginti genera amictuum Canonicorum Regularium prorumpunt hisce seculis, quorum quidam nihilà secularibus Presbyteris differunt, fasciâ pectorali, vel lineâ zonâ exceptâ, quâ hi se præcingunt: illi adinstar orarij illam adaptant: alij balthei formam imitari gestiunt: alij brachio illam inuoluunt: alij tamen hac omissâ solam capillaturam gerunt. Vidi quosdam cęruleam tunicam, violaceam alios, atque rursus alios purpuream gestentes vestem, tandem aliqui nec hanc differentiam admittunt. Sed hæc sunt vel priuilegio, vel posterioris seculi vitio adscribenda. Vt autè ad S. Augustini testimonium illusque tempora reuertar, ex illo nihil aliud colligi potest, quàm Canonicis illius Ecclesiæ familiarem fuisse tunicam lineam & byrrhum. Horum enim mentionem facit Sermone 50. *Nemo*, inquit, *det byrrhum vel lineam tunicam nisi in commune.* Colligitur etiam ex eodē Serm. S. Augustinum vsum fuisse byrrho, sed iam suprà diximus: byrrhus fuit genus quoddam indumenti instar parui pallioli humeros & scapulas tegentis capucio Monachorum non dissimile, quodtam Eremitis, quàm Canonicis, & Episcopis poterat esse commune. Cuius fidem facit Baronius *Vtcunq, sit, constat quidem testimonio S. Augustini etiam Clericos in Africâ vti consueuisse lineis, atq, byrrho, sed Episcopos byrrho pretiosiore.* Diximus etiam eodem pallio vsos fuisse Athanasiū, & Antoniū, cui pòstmodū perebat inuolui corpus suū S. Paulus I. Eremita; quali etiam veste D. Basilius se vsum fuisse significat: *Sufficereq, mihi putaui*

Varia genera vestimentorum Canonicorum Regularium.

Tom. 2. anno CC.LXI.

Epist. ad Eust.

putaui sibi umili veste induere ad faciendam eius rei fidem, crassum & rude pallium & zonam, & è rudi corio calceamenta: quam vestem etiam in Episcopali dignitate magis expressit S. Gregorius Nazianzenus: dicens. *Hinc illi tunica vna, & Pallium tritum, in humoq; dormitatio.*

In oratione funebri D. Basilij

Tom. 2. anno CC. LXI.

At dicet aliquis Pallium est vestis oblonga, quæ omnia hominis membra simul contegat, vt videtur insinuare Baronius explicans Canon. Concil. Gangrensis. voletque fortè suam astruere sententiam ex producto exemplo Pauli primi Eremitæ qui corpus suum illi volebat inuolui, quod fieri nō potuisset si breue esset. Contrarium inueniet in Isidoro lib. 19. Orig. c. 24. dicēte *Pallium est quo administrantium scapulæ conteguntur, vt dum ministrant expeditius discurrant.* & in Tertulliano qui dicit: *Pallio nihil expeditius.* ac simili intentione inueniet Plautum loqui:

In Vitâ S. Pauli Eremitæ.

> *Siquid facturus es appende in humeris Pallium,*
> *Et perge, quantum valet tuorum pedum pernicitas.*

Scrupulum circa pallium S. Antonij cui debebat inuolui corpus S. Pauli eximit D. Hieronymus qui illud asserit fuisse corpusculum ob magnam extenuationem, vel secundò inquit *Hoc autem B. Paulus non rogauit, quòd magnopere curaret cadauer, sed vt à se recedenti mæror sui mortu leuaretur.*

De lineâ tunicâ satis suprà diximus, quomodo videatur S. Augustinus sese ab illâ excusasse, cùm Serm. 50. illum reliquerit suis Canonicis in commune dandam, sibi verò reseruauit solum byrrhum.

Probari autem potest ex antiquo Ecclesiæ vsu S. Augustinum adeptâ Episcopali dignitate non mutasse vestem: nam solenne erat Episcopis Religiosis in Religiosa veste manere: sic paulò ante diximus de S. Basilio: sic legimus de S. Fulgentio: *Quod orario sicut omnes Episcopi nunquam vtebatur, sed pelliceo cingulo tamquam Monachus.* De S. Martino hoc idem refert Sulpitius, qui ex Monasterio, vbi latebat contemptibilis persona, veste sordidus assumptus, idem omnino perseuerabat, eadem in veste humilitas, ita vt nec propositum Monachi mutarit. Hoc etiam decuisse & moris fuisse indicat S. Synod. Gener. can. 27. *Monachi qui vita & doctrinâ vt Episcopi creentur, meruerint, non mutent habitum vestisq; rationem ob nouam dignitatem, non minus enim hoc arrogans esset.* & Concil. Lateran. sub Innoc. III. *Pontifices omnes lineis vtantur nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem.* Hanc autem decentiam, quâ arrogantia cauebatur non est credibile S. Augustinum præterijsse, aut vsum tam pium immutasse.

Anno DCCC. XCVI. sub Adriano 2.

Petrus Cresset, in sum. Cath. tit Monachor. disciplinâ.

At ne coniecturis amplius agamus, clarum producam testimonium S. Augustini de habitu Eremitico quem gestabat tempore Episcopatûs ex Sermone 49 habito ad populum cùm iam esset Episcopus. hoc enim Sermo oc explicat vitæ suæ decursum, & inter alia, inquit, *Nihil attuli in hanc ciuitatem: non veni nisi cum ys indumentis, quibus eo tempore vestiebar:* Vbi per demonstratiuum pronomen *his*, seu *ijs* designabat, & manuducebat curiosum ad illas vestes, quibus tunc vtebatur, alioquin dixisset: *Non veni nisi cum illis indumentis*: quæ phrasis proprior fuisset, si alia tunc habuisset vestimenta. sic hunc locum explicat Ambrosius Staibanus.

In templo Eremitano S. Augustini c. 10.

Alia argumenta edocentia habitum S. Augustini etiam tempore Episcopatûs habentur superius. c. 17. Quibus libet addere apparitionem quam sibi contigisse narrat Petrarcha: *Virum iuxta grandæuum ac multâ maiestate venerandum video. Nō fuit necesse nomen percunctari. religiosus aspectus, frons modesta, graues oculi, sobrius incessus, habitus sacer, sed Romana facundia gloriosissimi Patris Augustini quoddam satis apertum indicium præferebat.*

Lib. sue secreti in prologo.

MONA-



Iam steriles Africæ dudum calcastis arenas,
Parum Dominico commodantes horreo.
Linquite, qui vobis amburit pectora solum,
Et temperatum visite Europæ solum.

Statis adhuc venit subitò, qui verbere mactos
Percursitare maria coget omnia.
Gensericus adest vestri rapide ossa Parentis
Manusq; fugite Wandalas, quantum pote est.

MONACHISMI S. P. AVGVSTINI

PARS SECVNDA.

Dispersionem indicans.

Authore F. NICOLAO CRVSENIO Mosa-Traiectino.

CAPVT I.

De propagatione Monachismi post obitum S. AVGVSTINI.

NVmerosissimam librornm à se conditorum multitudinem protestamento, & longè ampliorem, vt suprà diximus, Clerum reliquit S. P. Augustinus in obitu suo, quẽ S. Prosper *in Chronicis An. CCCC. III.* refert sub Theodosij XIV. & Valentiniani III. annum, circa quæ tempora præcipiente Genserico Wandelis, vt Episcopos atque Laicos nobiles de suis Ecclesijs & sedibus nudos effugarẽt, vel si diutius tardarent miserrimæ seruitutis omnes condemnarent, prout plures Episcopos & honoratos viros seruos sese nouisse refert Victor Vticensis.

Anno Domini 430. Mors S. Augustini quando successit.

Tunc etiam Carthaginensis Vrbis Episcopum *Quod vult Deus* cum maximâ Clericorum turbâ nauibus fractis imposuerunt, quę nuda & expoliata miseratione bonitatis Diuinæ prosperâ nauigatione Neapolim Campaniæ vrbem attigit. Fuerunt autem in hac turbâ plures Religiosi Eremitani, quos S. Augustinus desolatos reliquerat, ac inter cæteros Gaudiosus & Agnellus; qui, teste Paulo Regio, duo fuere ex Eremitis S. Augustini, quorum operâ & industriâ non ita post Monasterium Neridanum iuxta Neapolim fuit ædificatum Fratribus quos conduxerant. Mortuo autem Gaudioso successit ei in regimine Monasterij S. Agnellus, qui etiam plures sibi adsciuit socios. Hos autem fuisse professionis Augustinianæ constat ex citato Regio & ex actis eiusdem Conuentûs adhuc hodie sub curâ & regimine Fratrum S. Augustini post plures ruinas restituti.

Sub annum 431. Religiosi Eremitæ deuenīunt in Italiam. In actu tabula Ecclesiæ Neapolitana. Circa annum 432.

Anno CCCC. XXXIII. Huius Eremiticæ Religionis alumni Palladius & Patritius à Cælestino Pontifice mittuntur in Scotiam & Hyberniam. De Patritio fere extra controuersiam est, quòd sub Regulâ S. Augustini militauerit, cùm ante S. Benedictiortum fere decennio iam adultus, legationes & publica munia obierit, nullâ alia existente Regulâ in Europâ. At non militasse vt Canonicum Regularem, quod satis importunè contendunt Trullus & Volaterranus, non obscurè deducit Gocellinus: *Super cætera* (inquit) *indumenta cucullâ candidâ amiciebatur, vt ipsâ habitûs formâ & colore Monachatus sui speciem & can-*

Anno 433. Eremitę S. Augustini mittuntur in Angliam. in Vitâ S. Patritij. c. 8.

& candorem humilitatis ac innocentiæ repræsentaret; Vnde & Monachi in Hyberniâ S. Patritij sequendo vestigia per multa temporum volumina habitu simplici contenti erant, quem ouium monstrabat lana, qualibet extrinsecâ tincturâ remota. Ridebit fortè Lector dum in S. Patritio habitum album à nigro Eremitarum alienum audit, aliamque consequentiam faciet: attamen notare debet, aliquandiu omnes Religiosos in Hyberniâ nigrum habitum subterfugisse, ob genus quoddam maleficorum, quod atrum hunc sibi colorem proprium vendicabat; deinde Eremitæ tum Africani tum Hyberni hunc sibi colorem assumebant, quem ouium lana absq; tincturâ præbebat, is in Africa ad nigrum in Hyberniâ magis ad album accedebat, prout hoc verba antecedentia explicant; sic amictus subcandidus S. Patritij contra Eremiticum institutum nihil arguit.

Quare Eremitæ S. Augustini in Hyberniâ albis vestibus vsi fuerint. *F. Cornelius Lancilottus de Vitâ S. Augustini lib. 2. c. 5.*

In Vita S. Patritij Genebrardus.

Anno 434. &c.

S. Patritius monitu Angeli eremum adijt.

Clarius ad hoc nostrum propositum est testimonium Probi Historici, cuius opera extant cum Venerabilis Bedæ operibus impressa, quando narrat quomodo de consilio Angeli cum solitarijs Eremitis vitam transegerit. *Et fugiens*, inquit, *inde peruenit ad Martinum Episcopum Turonensem & quatuor annis mansit cum eo, & tonso capite ordinatus est ab eo in Clericum, & tenuit lectionem & doctrinam ab eo. Peracto vero quadriennio apparuit ei Angelus dicens, vade ad plebem Dei, id est, ad Eremitas, & mansit cum Eremitis annis octo.*

S. Patritius habitauit apud Lirinenses.

2. part. 11. Cap. 7.

Verosimile est tunc S. Patritium concessisse ad Lirinense Eremitorium, vbi, vt ante probauimus, S. Augustini Regula florebat: vel potuit cohabitasse tunc S. Germano Antisidorensi, vt testatur Probus, quem constat instituti fuisse Augustiniani, cum de eo dicat S. Antoninus: *Indumentum semper cuculla erat & tunica, nec hieme accessit adiectio, nec ætate leuamen, noctibus nunquam vestitum, rarò cingulum detraxit.*

Tandem euidenter demonstrat S. Patritium Eremitam fuisse quod de eo Gocelinus subiungit: *Nulla Eremus, nullus pene angulus terræ in Insula tam remotus, qui perfectis Monachis ac Monialibus non repleretur*: & multo euidentius Eremiticam professionem exprimit in S. Patritio propria illius confessio, quam talibus verbis describit emissam fuisse Richardus Stanihurstus: *In nomine Domini nostri IESV CHRISTI, ego Patritius humilis seruus Dei, Anno Incarnationis eiusdem CCCC. XXXIII. in Hyberniam à S. Papâ Cœlestino legatus Dei gratiâ Hybernicos ad fidem veritatis conuerti. Et cùm eos in fide Catholicâ solidassem, tandem in Britanniam sum reuersus ad Insulam Aualoniæ, & illis duodecim Fratres inueni Eremiticam vitam ducentes, & cùm inueni eos humiles ac quietos, elegi potius cum illis abiectus esse, quàm in regalibus curijs habitare, sicq; licet inuitum in Pastorē me prætulerunt.* Et ne aliquis dubitet de Regulâ S. Augustini, idem Richardus inquit D. Patritium incoluisse locum Purgatorij iuxta quem extat Monasterium S. Augustini, quod D. Antoninus affirmat à S. Patritio fuisse erectum ac inhabitatum. Hanc eandem opinionem de professione Eremitica S. Augustini sequuntur Authores fere infiniti, vt Ioannes Gonzales, Lancillottus, Staibanus, Cornelius Curtius, ac inter cæteros Robertus Richardinus in Regulâ S. Augustini, vbi S. Columbam facit discipulum S. Patritij.

Lib. 2. Vita S. Patritij pag. 71.

3. part. tit. 11. c. 18 § 2.

In Vitâ S. Ruperti. c. 3.

S. Germanus Antisidorensis fuit Augustinianus.

Et quia de S. Germano incidit mentio, libet vlterius illius professionem examinare, qui vnà cum S. Lupo à Synodo Galliæ in Britanniam missus fuit contra Pelagianos ibidem enascentes, quem etiam Baptista Alnuizanus Augustinianum facit, addens eundem Germanum plura Monasteria tum in Galliâ tum in Angliâ erexisse, maximè, vt Sigisbertus refert, in secundâ profectione, quando S. Germanus vnà cum Seuero Augustiniano Treuerensium Episcopo eandem Prouinciam in fide Catholicâ roborauit.

S. Seuerus.

S. Cæsareus.

Non pigebit, nec pudebit hisce duobus addere S. Cæsarium Arelatensem Episcopum & Monachum, quondam in cœnobio Lirinensi, quem non

fuisse

fuisse Benedictinum monstrat Baronius contra Tritemium & Sigisbertum cùm fere centum annis S. Benedictum antecesserit. Floruit enim in Concilijs Arelatensi & Agathensi celebratis *Annis CCCC. XLIV. CCCC. LIII. & D. VI.* quibus temporibus iam Regula S. Augstini florebat & ferè sola in Occidente.

Circa *annum Domini CCCC. LI.* Penetrarunt Eremitæ S. Augustini in Æthiopiam supra Ægyptum, vrgente persecutione Wandalicâ, fueruntque primi qui ibidem hoc vitæ cœnobiticæ genus instituerunt, vt fidem facit antiqua tabula, quæ adhuc hodie extat in Sacello S. Stephani Romæ iuxta Basilicam Apostolorum, vbi Indi & Æthiopes Christiani recipiuntur, his verbis: *Apparuerunt primùm ex Africa venientes nouem Fratres, seu Monachi induti habitu nigro, cum prolixis manicis & corrigiâ, quorum nomina hæc sunt: Ioannes qui senex erat & aliorum veluti Prior, Licanos, Pantaleon, Garimo, Suama, Asse, On, Gubla, Lamapta. Et isti sunt qui in Æthiopia instituerunt Monasteria, atque eorum corpora tanquam sacra venerantur.* Nec videtur hæc tabella à veritate aliena, nam Sabellicus refert: circa annum Domini M. CCCC. X C. *Plures Patres Augustinianos tali habitu delatos fuisse in Italiam, qui ingentem numerum Monasteriorum adhuc superesse affirmabant,* immo ante annos paucos inueni egomet ipse in Romano Archiuio descriptos plurimos conuentus Æthiopiæ, quæ quondam floruerant, descriptaque plurimorum Patrum nomina, quorum operâ Ordo ibidem promotus fuerat.

Anno 451. &c. Propagatio Ordinis in Æthiopiam. Augustiniani primò Monachismum eò intulerunt.

Ennead 7. lib. 9

Vide Lancel. lottium in appendice ad vitā S. Augustini.

Anno CCCC. LIV. Ne hoc germine destitueretur Germania, prouidit Deus huic Apostolum Monachismi S. Seuerinum, quem Egip. *defuncto Attilâ ex Oriente aduenisse* commemorat, quamuis Scholiastes bis dubitet de Africanâ designatione, cùm illa Pannoniæ fit ad meridiem, in quo dubio non Mathematicè agere debuisset: Romani enim quidquid ad Occidentem non spectabat, ad Orientem referebant; immo nihil illis familiarius, quàm Africam inter Orientales Prouincias numerare: Marcellus *in Chronicis* vbi Orientis res prosequitur maximè Africanos memorat: nec minus Cæsar ante Marcellum, idque nec Germanis insuetum: Auentinus inquit, *Tota Orientis Ægypti scilicet & Africæ littora,* & paulò antè dixerat: *Hinc intranti dextera est Africa,* & *fol. 107.* dicit *de Africanis oris, quæ Germanis verius, Orientem ex aduerso sunt.* Vnde de S. Seuerino agens eundem, quem Egipp. ex Oriente venisse narrat: *ex Africa oriundum dicit:* bene etiam Egipp. conijcit S. Seuerinum: *Wandalorum crudelitatem deuitasse, cùm in Germaniam ab illa summa & prouidentissima Maiestate, Domino & parcente indulgentissimo missus concessit.*

Anno 454. S. Seuerinus fuit Augustinianus.

Lib. 2. ann. fol. 244. & fol. 200.

Fol. 241.

Hic Seuerinus, vt Author est Ambrosius Staibanus, Monachus Augustinianus fuit sub disciplina quondam Seueri Milleuitani Episcopi, de quo sæpius agit S. Augustinus; huius dum virtutes imitari studeret, & iam ad illas proximè accederet, ab omnibus Seuerinus, quasi paruulus Seuerus est appellatus. Superuenientibus interim Wandalis, cum Fratre Victorino & alijs migrar ad Fauianorum vrbem & Prouincias Vindelicias Romanis adhuc subditas, vbi ingentia commoda incolis & vicinis contulit: Prouincias etenim has vti parens re ipsâ consolando erexit, incursationes repressit, societates & fœdera plurima imperrauit, captiuos prece & pretio redemit, quæ vlterius prosequitur Egippus.

In templo Eremitano Neapoli tempresso.

Beneficia S. Seuerini.

Religiosum seu Monachum fuisse non negabit etiam in Norico qui Egipp. fideliter. Acbatem legerit. *Viuens, dicit, ille iuxta Euangelicam, Apostolicam doctrinâ omni pietate, & castitate præditus, in confessione Catholicæ fidei venerabilis propositum sanctis operibus adimplebat.* & cap. 25. De Maximo scribit: *quod in Monasterio S. Seuerini aliquot diebus fuerit commoratus.* c. 31. dicitur quod *degens in antiquo suo Monasterio continuò prædicaret & futura prædixerit.* c. 35. fit mentio de *Bonoso Mona-*

S. Seuerinus fuit Monachus.

cho S. Seuerini Confratre. & capite sequenti agitur de tribus *S. Seuerini Monachis in adoptionem filiorum receptis.*

S Seuerinus nō fuit Canonicus.

At ne dicat aliquis tum S. Seuerinnm tum illius Monachos fuisse Canonicos Regulares, hocque institutum ex Africâ per hunc Sanctum deuenisse in oras Germaniæ, obseruet in eodem Egip. cap. 7. c. 19. & passim alibi, inueniet quantùm à Cathedralibus Ecclesijs abhorruerit, quantùm solitudinis amans extra oppida habitacula sibi construxerit. *Secedens*, scribit Egippus, *in locum remotiorem, qui ad vineas vocabatur, paruâ cellulâ contentus, dum remeare Diuinâ reuelatione compellitur*, &c. *Monasterium haud procul à ciuitate construxit, vbi plurimos sancto cæpit informare proposito, ipse verò ad secretum habitaculum sæpius accedebat.* &c. Exprimit postea Egippus habitum illius vilissimum ex cilicio rigidiorem, stratum durissimum, cellulam demissam, quæ omnia magis eremum despectam, quàm conspectam lineam indicant tunicam.

Fuit Eremita.

Cap. 39.

Fuit Eremita Augustinianus.

Accedit & aliud argumentum, quod S. Seuerini cellula, de quâ hîc fit mentio, fuerit postea in Monasterium Fratrum Augustiniannrum conuersa iuxta Viennam, ac per eosdem Fratres fere à temporibus S. Seuerini inhabitatum vsque ad annum circiter M. CCC. quo ad ciuitatem Viennensem migrare fuere coacti ob Danubij impetum, qui partem huius tam sancti loci allidendo deiecit, hodieque labitur per aliam partem, paucis ruderibus relictis.

Tandem, vt videat Lector S. Seuerinum in S. Augustini scholâ fuisse educatum, non tantùm credat Staibano citato, vel plurimis alijs Authoribus, nec ex habitûs ac victûs conformitate, vel ex cellulæ illius per aliquot annos detentione, nec tantùm hoc conijciat ex eo quod ex Africâ venerit, nec ex eo quod in Occidente adhuc nulla alia Regula viguerit: sed ex c. 40. 42. 43. & 44. Egippi finem vitæ S. Seuerini intueatur, inueniet eundem totaliter conformem fini S. P. Augustini, monita discipulis relicta ad humilitatem, cordis puritatem, carnis domationem, oculorum modestiam, cordis vnitatem, litium fugam, & ad Regulæ obseruantiam, ijsdem penè verbis, quibus S. Avgvstinvs in sua Regula hæc præscripsit.

Corpus S. Seuerini translatum fuit à PP. Augustinianis.

Post mortem etiam S. Seuerini sacra lipsana in Italiam ad montem Filetum Lucullianensem fuere delata, nec à Confratribus fuere deserta: aliquot enim Discipuli Eremitæ eadem suæ curæ assumpsère, atque in accessu iuxta sanctas Reliquias Eremitoria construxere, quæ adhuc ab Ordine Eremitarum S. Augustini possidenter, quamquã postea hæ reliquiæ aliquoties fuerint translatæ, & à nostris ad PP. Benedictinos delatæ.

CAPVT II.

De quatuor Martyribus Ordinis Eremitarum S. Avgvstini.

Anno 456.

Ex victore Vticensi de persecutione VVandalorum.

EODEM fere anno, vel saltem eodem lustro, postquam Gensericus ad votum Valentiniani Augusti Carthaginensibus concessisset Episcopum *Deogratias*, vrgentibus peccatis, nobilissimam atq; famosissimam Romam spoliauit XV. sui regni anno, quâ onustus prædâ Africam repetit, & ex ea insolentior factus diriori vesaniâ in Catholicos agitur. Erantque tunc serui cuiusdam Wandali ex millenarijs *Martinianus, Saturianus* & eorum duo Germani, erat & conserua eorum quædã egregia Christi ancilla *Maxima*, quos cùm domui suæ proficuos ac modestos cerneret

neret Wandalus, vt Martinianum armificem, Maximamq; domui suæ Præfectam magis sibi deuinciret, coniugium eisdem imperat, quod non auersabatur Martinianus. Dum vero maritali fiducia intra secreta cubiculi cum Maxima vellet agere, inquit illa: *O Martiniane Christo membra corporis mei dedicaui, nec possum humanum sortiri coniugium habens iam cælestem sponsum, sed dabo consilium, poteris & ipse tibi præstare cum licet, vt cui ego conceptui nubere, delectieris & ipse seruire.* Ita factum vt obediens virgini etiam adolescens animam suam sacraret, Saturiano alijsque duobus germanis ad eandem fidem & mentem adductis, statuit Wandalum deserere; nocte igitur indictâ simul omnes quatuor elabuntur, ac tres illi fratres ad Trabacense monasterium, cui præerat quidam nomine Andreas, deueniunt, Regulæq; D. Augustini sese subdunt Maxima vero sacrarum Virginum monasterium sub eadem Regulâ militantium ingreditur Dei famulitio sese consecratura.

Martinianus Saturianus & alij duo fiunt Augustiniani.

At Wandalo turbato ob elapsa mancipia, diu conquiruntur, tandemq; reperiuntur, ac rursus è monasterijs extrahuntur, sacrilegoque hero restituti viri Sanctissimi fustibus dirissimè excipiuntur, Genserico rege præcipiente: Deo verò vulnerum cicatricibus toties quoties medelam adhibente, tabie victus Wandalus moritur. Vidua verò marito, filijs, & re familiari destituta Servos Christi cognato Regis Sesaoni offert, vnà cum Maximâ, quæ libertate donata in suum monasterium regreditur, vbi adhuc multis virginibus præfuit. Martinianus verò cum fratribus in Capsuri regis manus circa eremum *Caprapicti* deuenit, vbi dum Christianæ Religioni propagandæ maximo cum fructu desudaret multosque ad Christi fidem indies perduceret, etiam de nouo in Christi fide excitatis & acquisitis operarijs, ad Gensericum defertur, qui Christi Martyres per syluam vepribus ac spinis horrentem tractos discerpi iubet nouo & insolito supplicij genere curruum rotis eosdem ita alligando, vt facie versâ quilibet fratrem intueretur. Hæc autem monasteria, è quibus euulsi fuere hi Martyres, fuisse Ordinis S. Augustini Eremitarum superius satis probatum reliquimus, habemusque multorum Historicorum testimonia.

Alonsf. Chron. Ordin. Stathemet. fol. 218.

Prima parte cap. 18.

CAPVT III.

De Monachis Græcis Ordinis Eremitarum S. AVGVSTINI.

SCIO in Græcia solam fuisse Regulam D. Basilij, quæ Orientis limitibus continebatur, etiam eo tempore quo D. Augustinus in viuis erat: eius enim Regula in Æthiopiam sparsa fuerat, sed Græciam non attigerat; nihilominus non paruo fundamento innixus dicam insignes quosdam Græcos, *Maximum, Thimasium & Iacobum* (de quibus S. Augustinus in Epistolâ 95.) maximum nomen in Africâ Religioni D. Augustini fecisse, &, vt ab his posterioribus exordiar: refert S. Augustinus hos duos Religiosos in Oriente monasticam vitam egisse, ac suadente Pelagio Hæresiarchâ pessimo Religionem cum fide mutasse, ac postea in Africam descendisse, vbi melius instructi à S. Augustino eidem cohabitarunt pœnitentiâ ducti, non sine congratulatione à S. Augustino inter cæteros suæ professionis viros admissi & connumerati fuerunt.

S. Maximus.

Citata epist. 95

Maximus etiam Monachus Græcus doctissimus, teste Zonarâ, iuxta Constantinopolim in monasterio Chrysopolitano resederat, sed Monothelitarum vi pulsus, vel, vt alij volunt, ad reprimendos illorum conatus fecedens in Africam peruenit, sub Papâ Theodoro circiter ad An. CCCC. LXII. inde communicato doctiorum consilio, ingenio, & industria in illos actu-

Vide Baron. tom. 3. imper. Constantij tec. per Heraclij. Anno 462.

 rus,

rus,quo tempore in Pyrrhum quendã illius sectæ Coryphæum incidit, eumque ad palinodiam adegit,quamuis nec is postea constans permansit.

S Maximus fuit Augustinianus.
Marquez. cap. 12.§.2.

Idem Maximus procurauit apud Romanam sedem in extinctionem hæresium tria Concilia, quibus etiam interfuit, maximoque zelo Christi causam egit. Numidianum scilicet in quo subscripserunt 68. Episcopi, Byrsanzenum, cui subscripsere 45. & Carthaginense: quare etiam plurimis annis inter Religiosos Ordinis S. Augustini vixit, eorumque Regulæ ac statutis morem gessit vnà cum duobus Anastasijs, quos non ita pòst Constantius Impetator occidi iussit, illudque memorabile in his Martyribus contigit, quòd abscissis radicitus linguis per multum temporis pœnas suas miserabiliter loquebantur: vt fusè describunt Baronius, & Genebrardus.

In actis Maximi tom. 8. anno 657. Lib. 3. Chron. anno 653.

Hunc autem Maximum meritò inter Augustinianos recensendum putamus, tum quia eisdem diu conuixit, eorumque operâ vsus fuit vti Confratrum quamuis Græcus, præcipuè cùm nec tam origo quàm professio attendatur, nec tot municipes faciat solum, quam solium.

CAPVT IV.

De septem Martyribus Augustinianis ex Monasterio Capsensi Eremitarum.

Persecutio Hunnerici, *Anno 485.* Monasteria virorum & puellarum Mauris traduntur.

POST sæuam Genserici persecutionem in Africâ sæuior tyrannus Hunnericus successit: is etenim 4966. Christianos durissimo decreto in exilium Eremi relegauit Maurorum voluntati eosdem committendo. Horum autem plurimi erant Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & alia Ecclesiæ membra & sine dubio Religiosi Eremitani, nec non Clerici à S. Augustino restituti ac propagati: quod exprimunt Victor Tunnensis & Isidorus asserentes: *Plurimos inter hos fuisse Africanæ Religionis, in sancto proposito, sub Sanctis viris coadunatos.* vbi per Africanam Religionem, alia non potest intelligi quàm Augustiniana, quæ sola ibidem innotuerat multiplicata.

De persecutione VVandalicâ. Africana Religio, est S. Augustini.

Festum horum 7 Martyr celebatur 17. Augusti.

Tunc apprehensi sunt, & septem Fratres, inquit Victor, *quantum pertinet ad concordiam Dominicæ seruitutis in Monasterio habitantes, Liberatus Abbas: Bonifacius Diaconus; Seruus & Rusticus Subdiaconi, Rogatus, Septimus, & Maximus Monachi necdum in sacris, qui pari numero, animo, & certamine cum Machabæis præcepta Tyranni contra legem Dei irriserunt* clamantes vno ore: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma; vnde ferri ponderis onusti tenebrosis locis & ferali custodiæ mancipantur. Vbi indies inauditis supplicijs cruciati, tandem durissimâ sæuitiâ ignis supplicio adiudicantur. Præparabatur in medio pelagi aridis lignis pice & resinâ illita nauis, cui imponendi, & ad palos alligandi erant hi nostri Centuriones, vt supposito igne extinguerentur. Eductos itaque illos de custodiâ multitudo populi Defensores Trinitatis tamquam agnos innocuos ad victimam deducebat: Illi autem intrepidè sese mutuò ad constantiam & tolerantiam adhortantes, populumque edocentes, iam vicini supplicio, libertati restituuntur iussu Regio, vt ab obfirmatâ fide dimouerentur, quod dum constanter & vnanimiter sese facturos negarent, & Maximus nomine, minimus tamen ætate ab alijs separaretur speciosis verborum phaleris seducendus, ille erumpit clamore valido: *Nemo* inquiens *separet me à Liberato & à Fratribus, qui me in Monasterio enutrierunt, cum ipsis in timore Dei conuersatus fui, cum ipsis pati desidero, cum quibus me futuram gloriam credo inuenire, simul nos Dominus septem voluit congregare, simul dignabitur vno martyrio coronare.*

Modus supplicij 7. Martyrum.

Constantia S. Maximi.

Adhæc

Ad hæc verba omnes septem ad nauem adiguntur, vbi extensis manibus & pedibus ligatis subijcitur ignis, qui cùm Diuino miraculo continuò extingueretur quamuis sæpius renouatus, maiori furore accensus tyrannus iussit, vt remis & fustibus cerebrum eorundem comminueretur, ac in profundum demergerentur; quod cùm impij lictores perfecissent, mox corpora quasi illæsa littori restituuntur, nouo miraculo frendente, expauescente, confuso, compuncto sed non mortificato tyranno, fueruntque sacra lipsana à Clero Carthaginensi in Monasterio Fratrum Eremitarum S. Augustini Biguensi humata.

Transitus 7. Martyrum.

Apud Surium tom. 1.

Hos autem fuisse Eremitas constat ex Monasterio Capsensi, quod supra Ordinis S. Augustini esse ostendimus. Deinde ex eo, quod aliqui horum nõdum in sacris fuerint, ex eo etiam quod Victor scribit, horum Diœcesanum fuisse Vindemialem & Abbatem Liberatum: si enim Clerici fuissent, solus Episcopus fuisset nominatus, non Abbas.

CAPVT V.

*De propagatione Ordinis per S. F*VLGENTIVM *in Africâ, Italiâ, & Sardinia.*

NON minorem gloriam Ordini ac sibi peperit S. Fulgentius Confessor, animo pluries Martyr, qui, vt refert illius discipul⁹, celebris Afer, Nobilis Carthaginensis, ex Senatorio Ordine Claudio parente, & Marianâ puerpera Christianâ Lepræ ortus, Græcis Latinisque disciplinis imbutus, post Exactoris officium, auditione *Psal. 36.* exposiâ à S. Augustino compunctus animum ad vitam Monasticam adiecit, Faustumque adijt ab Hunnerico relegatum, inter abdita, & scissuras petrarum latitantem; vbi extructâ Eremitica casâ cum eodem Fausto aliquandiu quietè ac piè vixit, donec ingrauescente persecutione Faustus cogeretur, ad angustiores latebras fugere. Tunc Fulgentius ad Vizanzinum Monasterium sub Felice Abbate eiusdem instituti Eremitici transmigrauit, in quo vnà cum alijs varias irrisiones, sannas, verba, & verbera pessimorum Arianorum passus fuit: inde etiam erectus Romam, ac vento pulsus in Sardiniam deuenit, donec sereniore cælo illucescente in patriam redux tertium quoddam Monasterium ingrederetur; vbi duobus Senioribus rursus sese subijciens Scriptoris arte, & flabellorum ex palmarum folijs texturâ viuebat: at rursus ad primum Monasterium Fausti reuocatus, dum quieti consuleret, in Episcopum Ruspensem eligitur; in quâ dignitate, accepto loco à Posthumiano, dum Monasterium ad normam S. Augustini moliretur, à Regalis furoris Ministris, cum cæteris Episcopis in exilium truditur; Sardiniamque insulam petit, *comitantibus Monachis*, inquit discipulus illius, *simul & Clericis, magister egregius vtriusq; professionis exijt.*

Sub annum 490.

Monasterium Eremitarum sub Fausto.

Monasterium Eremitarum sub Felice.

S. Anton. 2. p. tit. 11.

Hunc ne quis neget Eremitam S. Augustini fuisse, audiat discipulum illius testem oculatum: *Factus* inquit de S. Fulgentio *Episcopus sanctum propositum, tam in veste quàm in cibo retinuit, cõtentus vnâ vilissima tunicâ, tam in æstate quàm in hyeme, Pellicinum cingulum gerebat, & caligas in tempore hiemis intra Monasterium soleas interdum accipiebat, sæpe nudis pedibus ambulabat, nunquam deposito cingulo somnum petijt, in tunica dormiebat, in eâ sacrificabat,* &c. Repetit fere eadem verba *S. Antoninus* addens, quod *nigello vel lacticineo pallio circumdatus incesserit.*

S. Fulgentius Eremita.

Clariùs Baronius S. Fulgentium inter S. Augustini Religiosos numerat *Sed vnde,* infit, *huiusmodi, quam defert, monastica institutio fluxit in Africam? Si rectè memoriâ tenes, non ab alio quàm à S. Augustino, qui eandẽ ex Rom. & Mediolanẽsi Ecclesijs primi-*

Tom. 6. Anno 504.

Illustre testimonium.

primitus mutatus in Africam inuexit atq; latissimè propagauit, vt planè intelligas, quam S. Fulgentius professus est Regulam monasticam ab ipso S. Augustino deriuasse, diuersiq; Ordines ab eo institutus esse classes, aliorum qui in ciuitatibus, &c. Aliorum verò qui procul à ciuitatibus degentes eius essent victus & vestitus, cuius hic vides Fulgentium, &c.

Fulgentius est S. Augustini Eremita.

Fundatio Monasteriorum Ididensis & Byzacenensis.

Præterea S. Fulgentium Eremitam fuisse colligitur, quia pleraque monasteria in eremo erexit. De *Ididensi* monasterio hoc scribit Author vitæ illius *ad Felicianum*, Sociosque susceptos & instructos ibidem enumerans addit & aliud Monasterium ab eo extructum, *non tam structuræ magnificentiâ, quàm omnium virtutum splendore admirandum Byzacenense seu à loci donatore Siluestrium appellatum.*

Fundatio Monasterij Saturnini in Sardinia.

Fundauit idem S. Fulgentius Eremitis Monasterium S. Saturnini in Sardiniâ, vbi pulsus exilio cum sexaginta & amplius Episcopis quos eadem catena ligabat, quorum omnium ipse & lingua & ingenium erat, solitudini & Monasticæ vitæ assuetus non diu inter populi frequentiam potuit subsistere, sed corrasis vndique eleëmosynis extra Calliarensem vrbem in fundo sibi à Primasio dato hoc Monasterium erexit, vbi (vt loquitur Baronius) *vnà cum socijs degens scripsit opera illa Trasimundo inscripta & alios complures ad hoc vitæ genus excolendum illexit*, quorum operâ plura fuere Eremitoria ad exemplum S. Fulgentij erecta.

Fundatio Monasterij Chilim, vbi obijt S. Fulgentius.

Tandem S. Fulgentius secundò ab exilio reuocatus in Africam, deuenit Carthaginem, vbi denuo re Catholicorum aliquantulùm compositâ, Ruspam progressus egregiè pro Religione Christianâ laborauit, Clerum restituit, Monasteria restaurauit, & anno integro ante obitum in Circiniam insulam sese subduxit, vbi in quodam breui scopulo, cui nomen *Chilim*, ædificato Monasteriolo cum paucis Fratribus sanctissimam vitam transegit. Moriens verò inquiebat: *Ego Fratres animarum vestrarum saluti prospiciens molestus fortasse & difficilis extiti, & ideo obsecro vos vt ignoscat mihi quisquis se læsum sentit.* vt latè refert S. Antoninus. Plura de vitâ Eremiticâ S. Fulgentij scribunt Baronius loco citato, Molanus *lib. 1. de Canon. cap. 8. tom 3.* Chron. S. Bened. *anno DCC. XXV.*

2 par. tit. 15. § 6.

Variæ fundationes Monasteriorum in Italiâ *Turre Palmi. Valle Rosia. S. Luciæ. S. Antonio.*

Cum eodem S. Fulgentio & relegatis Episcopis plures ex Africâ in Sardiniam venerant Religiosi sub ferulâ illius Ordinis Augustiniano instructi, quorum aliqui mare transfretantes ad montes Pisanos diuerterunt, teste S. Antonino, antiqua vestigia gloriosissimi Patris Augustini reuisentes, qui ibidem, pertæsi tot persecutionum acerbissimos casus, sedem figentes Monasterium Turrianum non procul ab Alcino monte, Vallis Rosiæ, S. Luciæ, & B. Antonij ad lacum fundauere: in ijsque non paruum numerum Eremitarum bisce annis ad morem D. Augustini & Fulgentij instruxerunt, quorum Monasteriorum adhuc hodie extstant rudera antiquitatem hanc spirantia.

CAPVT VI.

De S. Gelasio Ordinis S. Avgvstini Propagatore, præcipuè Canonicorum Regularium.

Sub annum 496. Sic habent in 88. constitutum Propositi in Bauariâ.

Qvamvis aliqui velint institutum S. Augustini Canonicorum Regularium non nisi post aliquot secula ad Occidentales partes peruenisse, tum quia nullæ historiæ ante annum M. de Canonicis Regularibus disertè mentionem faciunt, tum quia, vt inquiunt, vix vlla mentio Regulæ S. Avgvstini ante illa tempora reperitur, immo constat, Canonicos Regulares per plura secula, vel nullam habuisse Regulam, vel ex solis sanctis Patribus hinc inde decerptam, quod illi per Germaniæ Monasteriorum traditiones probare nituntur.

alle-

allegantes in plerisque Monasterijs Canonicorum Regularium ante DC. circiter annos aliam non fuisse Regulam, quàm Sanctorum Patrum; ad quam etiam remittunt B. Norbertum antequam Ordinem Præmonstratensem erigeret. Nihilominus quia puto hæc vera de partibus Germaniæ tantùm, vt ex concilio Aquisgranensi postea dicam, non verò de Italiâ, Hispaniâ, Galliâ & Angliâ, in quas partes multò antè Canonici Regulares S. Augustini videntur deuenisse, iuxta Vincentium, Antoninum, Platinam, Volaterranum, Baronium, Platum, Rodriquez, Miræum & alios probatos Historicos, qui omnes eorum propagationem Gelasio adscribunt; Libet etiam nobis, omni semoto affectu, per communem viam incedere, & asserere cum ijsdem Authoribus Canonicos Regulares à S. Augustino reformatos, & sub illius Regulâ testitutos hoc anno in Italiam per S. Gelasium fuisse conductos, ac in Lateranensem ædem non ita post inductos: vt notarunt Genebrardus *Anno CCCC. XCVIII.* & Onuphrius anno sequenti & alibi.

Idem hoc legitur in Breuiario Canonicorum Lateranensium à Pio V. approbato: vbi additur quod *Gelasius vnà cum socijs perbenignè à Leone primo Papâ excepti, atq; in Ecclesiâ Lateranensi collocati, Canonicum ibi Ordinem iuxta Diui Patris nostri Augustini Regulam, & saluberrima instituta instaurare cœperunt, vbi diutissimè postea floruerunt, & per octingentos annos ibidem persliterunt.* Et Gelasij & Reguŀę S. Augustini pro Canonicis meminit D. Antoninus, Azorius, Hieronymus Sorbo *in compendio priuilegiorum.* & alij suprà citati, Immo Ticinensis *in suo propugnaculo Ordinis Canonici. 1. part. c. 1. 2. 3. 14. & alibi* dicit: *ex hoc Ordine Canonicorum Regularium 54. Romanos Pontifices, 1567. Cardinales, Beatos sedecim mille ducentos prodijsse, & Romanam Ecclesiam quingentis & amplius annis rexisse:* Insuper ex certis historijs huius Ordinis constat Ecclesiam S. Mariæ de Rheno apud Bononiam *Anno DCCCC.* fuisse primò pro Canonicis Regularibus institutam, ac postea ab Innocentio II. fuisse sub eadem Regulâ reformatam. Pius etiam V. in sententiâ contra Benedictinos expressè testatur, *compertum satis fuisse ex literis Apostolicis, diuersisq; alijs documentis, rationibus & probationibus, quod ipsi Canonici Regulares fuerunt & sunt de illis Clericis à S. Augustino institutis.* In Hispaniâ exstant antiquissimæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium S. Augustini, præcipuè S. Mariæ Cæsaraugustæ, S. Mariæ Olmæ, vbi constat de sæculo in sæculum ibidem substitisse Canonicos Regulares S. Augustini. In Galliâ pari antiquitate sunt Monasteria Aroasiense, & S. Victoris, in quo Richardus ille sub Regulâ S. Augustini in eandem scripsit commentaria *circa Annum M.* & scitur quod illum plures pluribus annis præcesserint. Miræus in prologo Originum Regularium inquit: *S. Fulgentium, Prosperum Aquitanum Regij Episcoporum magistri sui* Augustini *exemplum æmulatos,* in Ecclesijs cathedralibus Canonicos Regulares instituisse, idque de alijs Episcopis scribunt alij. Ita vt mirum sit Criticos aliquos inuenire, qui ita nouitiam velint hanc Regulam, & ita recens faciunt hoc institutum contra omnium Historicorum mentem, nisi fortè dicamus hoc genus vitę esse aliud à prisco illo Clericorum S. Augustini, qui non in syluis, hortis, aut villis morabantur, sed in Cathedralibus Ecclesijs, & sic fatebimur hos Canonicos esse recentiores, vt cap. 17. explicabimus.

In lib. de 7. Gr. bus Ecclesijs.

NOTA.

2 part hist. lio. 22. c. 22.

Anno 1136.

Anno 1546.

CAPVT VII.

CAPVT VII.

De FERRANDO *Archiepiscopo Toletano ex Ordine Eremitarum S.* AVGVSTINI *assumpto.*

Anno 495. &c.

INSIGNIS Ordinis Eremitarum S. Augustini splendor fuit Ferrandus dictus Hector, Diaconus Carthaginensis ex Scholâ & Monachatu S. Fulgentij, *Anno CCCC. XCV.* assumptus ad Archiepiscopatum Toletanum, quem inter viros illustres Ecclesiæ illius referunt S. Maximus Cæsaraugustanus & Iulianus Archipresbyter Toletanus, quibus certè, si vllis alijs, fides est adhibenda. Iulianus enim inquit: *Ferrandus, qui in sede Carthaginis Archidiaconus fuerat, Scriptor nobilis, & Episcopus Carthaginesis Spartaria vir doctus anno D. XX. viuit, suppletq́ opera S. Fulgentij Ruspensis Episcopi magistri sui, qui clarus miraculis migrat ex hac vitâ Anno D. XXV.* & pauló post: *Palmato Episcopo Toletano succedit in eadem sede Hector cognomento Ferrandus Afer.* S Maximus in Chronicis Toletanæ Ecclesiæ inquit: *Era D. XXX. id est, anno CCCC. XCV. Petro* qui idem Palmatus vocabatur, *Episcopo Toletano succedit Hector in Africa Diaconus dictus Ferrandus familiaris S. Fulgenty Ruspensis Episcopus Carthaginensis Spartariæ,* & consequenter anno sequenti Erâ D. XXXIV. Anno CCCC. XCVI. *Hector Ferrandus Episcopus Toletanus mirum in modum emicat.*

De Script. Eccl. c. 12. & 27.

S. Isidorus egregiè laudat Ferrandum Ecclesiæ Carthaginensem in Africâ Diaconum, ad quem Ecclesiæ gradum videtur promotus dum à Carthaginensi ciuitate in Sardiniam solueret iam existens S. Fulgentij discipulus & Monachus, quod Religiosis non erat insolitum, vt doctè notauit Baronius ex S. Augustino: passim etenim ex Monachis magis probati eligebantur in Subdiaconos & Diaconos, quos etiam certę Ecclesiæ volebant addictos & adscriptos.

Tom. 5. Anno 498. nu. 74.

Clarissimum etiam ac certissimum est testimonium, quod de hoc Ferrando illiusq́ue dignitate habemus in Concilio Tarraconensi celebrato *Anno D. XVI.* cui ipsemet interfuit, & tertio loco ita subscripsit: *Hector Episcopus, Carthaginensis Metropolita*: prout ipsa originalia fidem faciunt, quæ adhuc hodie extant manuscripta in Ecclesiâ Toletanâ, & in Bibliothecâ regiâ S. Laurentij. In Ecclesiâ Toletanâ extant hi versus exprimentes cæterum vitæ Ferrandi.

Interfuit Ferrandus Concilio Carthaginensi.

Epitaphium Ferrandi.

HECTOR aue sacer Antistes FERRANDE *beate,*
Africa quem tellus gignit, Hybera vocat.

Patria.

Annos te multos fruitur Carthago Ministro
Defensor fidei viuus, & vltor eras.

Discipulus & Socius S. Fulgentij.

Hæreticis nomenq́ tuum, celebresq́ libelli
Exosi, quo tu malleus Hæreticis.
Contigit inde tibi Fulgentius ipse Magister,
Lumen & eximia Religionis honos.
Iamq́ ætate grauis Toletum Pastor adisti,
Hanc sedem scriptis vitâ, & honore iuuas.

Promotio.

Tricenâ tandem Maij sub luce beatus,
Qui fueras exul, & pia turba simul.

Inde

Inde tamen Libyam repetis per mille pericla,
Doctor, & Antistes sydera calce premis.
Hinc tua Montanus vestigia ponè sequutus
Subsedit celeber Pastor in vrbe tuâ.

Successor Ferrandi.

Forsitan ille tuus fuit hac in sede Minister,
Moribus, ingenio, par quoq; laude tibi.
Hector amans pecudum vigilans sine crimine Pastor,
O FERRANDE *sacer Præsul, Amice Dei!*
Sit cura Carthago tibi, te docta Ministro,
Dummodo Toleti sit tibi cura frequens
Iste hac terosei carpentem luminis auras,
Vidit, & hac super a carpere sedis iter.

Obitus Ferrandi.

Illa dedit vitæ primordia labilis vsus:
Ista resurgentem læta videbet humo.
Toletum felix vrbs tantum nacta parentem:
Illius gremio continet ossa suo.

Sepultura Ferrandi.

Et quem Pontificem quondam venerata recepit,
In sua Patronum commoda voce vocat.

Ex his versibus licet colligere Ferrandi patriam, Diaconatum Carthaginensem, doctrinam & zelum in Hæreticos, disciplinam sub S. Fulgentio, exilium cum eodem, Præsulatum Toletanum, Successorem, & obitum eiusdem.

Ferrandus fuit Eremita.

Eremiticum verò institutum eiusdem ex proprijs scriptis colligimus: *Vtinam*, inquit, *mihi fide simplici, quam Catholica per vniuersum mundum docet Ecclesia, sic donet Deus esse contentum, vt omnis, si fieri potest, huius vitæ miserabile tempore orationi & ieiunijs vacans plangam cum pusillis Fratribus meis delicta multa! Beatum me tunc existimabo, quando positus in silentio Monasterij, illum versiculum Psalmi per momenta cantauero: Dixi custodiam vias meas, &c.* Vbi expresse fatetur se Monachum auere silentium, orationem, ieiunium, ac planctum, cum pusillis Fratribus, qui certè erant Eremitæ, quos Possidius aliàs dixerat in profundâ paupertate fundatos. Hi propriè viuunt in silentio, *& in otio sancto, vbi Monachos viuere & in silentio pugnare milites Christi, vt expugnent Principes & Potestates tenebrarum*, dixerat S. Augustinus.

In epist. ad Seuer. Constantinop. Scholast.

Cap. 11.

Idem Ferrandus *in fine Epistolæ ad S. Fulgentium de 5. quæst. sanctos Presbyteros, Diacones, Confratres, beatamq; congregationem supplex salutat.* & S. Fulgentius in epistolâ responsoriâ vocat illum Fratrem, *Sancte* inquit *Frater Ferrande*: absque dubio fraternitatem deriuabat, ab illa sanctâ societate, & Fraternitate, quam dicitur S. Fulgentius instituisse.

Epist. 79. ad Bonifatium.

Author Vitæ S. Fulgentij.

CAP. VIII.

Capvt VIII.

De magno Ordinis S. Avgvstini incremento per S. Donatum; & varijs fundationibus Monasteriorum in Hispaniâ, & alibi.

Circa annum 575.

Persecvtione Wandalicâ ingrauescente à Gilserico, qui regnum aggressus fuit *Anno CCCC. XXVIII.* vsque ad *D. XXXIV.* quando Bellisarius debellato Childemero triumphauit, plures Sancti Africam deseruerunt, & in diuersas Orbis partes sese receperunt vti & posterioribus temporibus, quando Mauri adhuc ibidem congregati Salomoni Romanorum Duci bello restiterunt, vel quando Arriani & Donatistæ vsque ad tempora D. Gregorij, perpetui Religiosorum hostes illos vexauerunt. Inter cæteros his annis, singularis Professor ac Propagator Ordinis S. Augustini floruit Donatus, de cuius vitâ Eremitica Augustinianâ, eiusque in Hispaniam extensione duo præclarissima habemus testimonia. Vnum S. Ildephonsi, qui ita scribit: *Donatus & professione & opere Monachus cuiusdam Eremitæ fertur in Africâ extitisse discipulus, hic violentias barbarorum imminere conspiciens, atq; ouilis dissipationem, & gregis Monachorum pericula pertimescens; ferme cum 70. Monachis copiosisq; librorum codicibus nauali vehiculo in Hispaniam commeauit. Cui ab illustri religiosaq; fœminâ Minicéâ subsidijs ac rerum opibus ministratis Setauitanum Monasterium visus est construxisse. Iste prior in Hispaniam monastica obseruantiæ vsum & Regulam dicitur adduxisse, &c.* Secundum testimonium est S. Maximi Cæsaraugustani, quod expressius declarat S. Donatum fuisse Regulæ Augustinianæ. *Erâ,* inquit, *DC. XII.* hoc est, Anno D. LXXIV. *S. Donatus Regulam Eremitarum S. Augustini locupletiorem mitioremq; in Hispaniam inuexit, & in Agro Setauitano monasterium Setauitanorum construxit vi verborum, meritis & miraculis abundè nobilitatus, gloriosus migrat ad Dominum.*

Baronius tom. 7. anno D XXXIV. n. 66. D Gregorius epist. 72.

In Catalogo virorum illust. S. Isidori.

S. Donatus fundat monasterium Setauitanum.

Hoc idem de S. Donato sentiunt ferè omnes Scriptores Hispaniæ: Morales, Garibaius, Esculanus *2 parte, hist. Valent. lib 9. c. 20.* Hieron. Roman. Societatis Iesu *in historiâ Meridæ. c. 16.* Ioannes Vaseus, Mariana *lib. 5 de reb Hispan. c. 11.* Padiglia *in Eccles. hist. c 38. cent. 6.* & alij plures, qui omnes vno ore docent S. Donatum fuisse Eremitam S. Augustini, fundatorem monasterij Setauitani illudque asserunt esse, & semper fuisse eiusdem Ordinis.

Lib 11. hist. cap. 60. lib. 8. c. 40.

Controuersia aliqua est inter hos prænominatos Historicos, quomodo S. Donatus fuerit primus, qui Regulam Monachorum aduexerit in Hispaniam, cùm ante illum dicatur S. Paulinus Monachus ibidem floruisse, cùm etiam constet, multos Monachos diuersis concilijs ante S. Donati tempora interfuisse in qua difficultate Morales putat Religiosos Donato antiquiores fuisse Ordinis S. Benedicti, sicque optimè asseri, hunc Donatum primò Regulam S. Augustini Hispaniam inuexisse: hoc autem refutant Esculanus Mariana, & Vaseus, putantq; Monachos Donato priores fuisse Ordinis S. Augustini, à Paulino olim introductos, Donatumque primo inuexisse Regulam post deformationem aut tyrannorum barbariem. Sic loquitur Vaseus. *Porro quòd vita monastica Regulam & formam in Hispaniam hoc Sancto viro Authore illatam refert, id ego intelligendum arbitror, post Hispaniam à barbaris nationibus deformatam: Nam superius anno CCC. LXXXI. Paulinum Monachum vt Religioni monasticæ commodius vacaret relictâ patriâ in Hispaniam secessisse ostendimus.* Religiosos autem illos, de quibus mentionem faciunt concilia, non fuisse Ordinis S. Benedicti patet: nam anno D. XXXIV, quo plures referunt Donatum vix S. Benedictus Ordinem suum fundauerat, ad minus extra Italiam nondum propagatus fuerat, vt postea demonstrabimus.

Quomodo Donatus fuerit primus Monachus in Hispaniâ.

Lib. 5. cap. 11.

Chronica Valentia anno D. LXIX.

Natus fuit S. Benedictus CCCC LXXX vel vt alij D. XVI.

Scio

Scio nonnullam adhuc superesse difficultatem de aduentu S. Donati in Hispaniam, dum alij circa D.LXXIV. annum, alij circa D.LXIX. alij autem circa CCCC.LXIX. & adhuc alij alia tempora huic assignant; haud recentiora tamen: nam alioqui vix possibile est intelligere quomodo S. Donatus barbariem Africanorum fugerit, cùm circa annum D.XXXIV. Africa liberata fuerit à tyrannide & paci restituta, per Bellisarium, qui de Childemero vltimo Wandalorum Rege triumphauit. Qui vero eundem ante D.XXXIV annum dicunt in Hispaniam venisse, vti Prudentius Sandoualius Ordinis S.Benedicti, iure suo, quo eundem Benedictinum faciunt, priuantur. Alij verò, quorum maior est numerus, qui posteriorem ætatem S.Donato adscribunt, nec Benedictinum illum faciunt, nec possent, cùm S.Ildelphonsus dicat illum Eremitam fuisse, & Eremitæ discipulum: cùm etiam Maximus expressiùs illum Eremitam S. Augustini faciat. cui sententiæ plerique consentiunt, fauentq; ipsius Monasterij Seruitani muri & rudera, quæ adhuc hodiè Ordini S. Augustini remanent.

Tempus, quo S. Donatus aduenit.

1. part fund. S. Bened. §. 5.

Quomodo autem circa annum D.LXVI. quo Morales, Garibay, Mariana, Vaseus & alij ponunt illius accessum, fuerint turbæ in Africâ explicat nō minus doctè quam verè P. Marquez, asserens post annum D.XXXIV. nouas fuisse turbas excitatas: Mauri enim Africani Salomoni Romanorum supremo militum Præfecto rebelles sese præbebant, manseruntque Wandali, Arriani, & Donatistæ in Africâ vsque ad tempora D.Gregorij, quibus capitale odium semper fuit in Religiosos & Catbolicos, vt docet Cann. *lib. 11. de loc. Theol. cap. 2.*

Turbæ Africanæ quomodo durauerint.

Cap. 12 § 3. Greg. lib. 14 cust. epist. 72.

Cùm per Victoriam Bellisarij nomine Iustiniani Imperatoris pugnantis noua facies Africæ restitueretur circa annum D.XXXIV. refert Procopius Iustinianum ædificasse Monasterium Monachis extra muros Carthaginis quod Fratribus Monachis illarum partium commisit; quos Eremitas S. Augustini fuisse fatentur omnes, cum illis temporibus nulli alij religiosi Africam intrarint. Facile etiam colligitur hoc Monasterium non fuisse Canonicorum Regularium cum extra vrbis mœnia fuerit, *iuxta mare*, ac prius à Iustiniano *mœnibus cinctum, vt in eo Monachi debitas Deo laudes persoluerent.*

Monasterium Eremitanum a Iustiniano erectum

lib. 6. de ædific. Iustin.

Baron. tom. 7. an 534. n. 65

S.Donato in Monasterij Seruitani regimine successit S. EVTROPIVS Eremita Augustinianus, qui postea tempore Richaredi Regis circa annum D.LXXXIX. Valentinæ sedis Archiepiscopus fuit renuntiatus, cuius tanta fuit diligentia, industria, & authoritas exhibita in concilio Toletano 3. vt dicatur doctrina & sancto exemplo Hispanos in fide continuisse, Arrianam hæresim perniciosissimam cum S. Leandro ita exagitasse, vt eandem à tota Hispaniâ relegarint. Quod latissimè describit Viclariensis anno præfato. Garribay *lib 8. c. 24.* Marian. *lib. 5. c. 15.*

S. Eutropius Eremita S. Augustini.

Baron tom. 7. an. 589.

Asserunt eidem Authores hunc Eutropium fuisse S.Donati discipulum; & in præfecturâ Seruitani Monasterij successorem. Monachismum autem expressius describit S. Isidorus, asserens *S. Eutropium vixisse in Monasterio Seruitano, ac ibidem fuisse Patrem Monachorum*, Augustiniani instituti. *Ita sentit Diagus lib. 5. annal. Valent. cap. 8. Cum* inquit *S. Donatus ex Africâ aduenerit & discipulus fuerit, teste* Ildefonso cuiusdam *Eremitæ, & liquidò constet S. Augustinum ibidem Eremitarum Ordinem fundasse, benè infertur, eundem cum 70. Monachis in Hispaniam adductis Augustinianæ professionis fuisse*, & cap. 9. dicit de S. Eutropio quòd discipulus S. Donati fuerit, eiusque in Monasterio Seruitano successor. Idem omnino expressioribus verbis testatur Esculanus *lib. 2. cap. 12. historiæ Valent. & lib. 9. c. 20.* refellitque Tritemium, aliosque qui S. Donatum eiusque discipulos Benedictinæ familiæ adscribunt, cum necdum Benedictinus ordo potuerit in Africam penetrare, vbi non solùm non recipiebantur noui Monachi, sed antiqui eijciebantur, & occidebantur. In confirmatinnem suæ sententiæ

De viris ill. c. 47.

citat Esculanus S. Ildephonsum, S. Maximum & Ambrosium Morales.

S. Lincinianus Eremita Augustinensis.

Tertius eiusdem Monasterij & Ord. Eremit. alumnus virtutibus illustris, ac miraculis clarus, fuit S. LINCINIANVS, qui ex Monasterio Seruitano assumptus fuit ad Episcopatum Carthaginis Spartariæ, cuius præclara opera in lucem emissa recitat S. Isidorus in Catalogo. *c. 42. & 45.* vbi etiam refertur hic sanctus Martyrium subijsse temporibus Mauritij Augusti. Æmuli enim Christianæ fidei cum viderent Vincentium quendam Cæsaraugustanum Episcopum, qui ad partes Hæreticorum deflexerat, opera S. LINCINIANI & Seueri illius collegæ reductum, dolosè eundem S. Lincinianum circumuenerunt, eumque veneno interemerunt.

S. Lincinianus fuit Monachus. In addition. bus ad Chron. Toletana Ecclesia.

Hunc Sanctum Archipresbyter Iuliann. Monachum describit Seruitanum. *S. Lincinianus*, inquit, *Episcopus Carthaginis Spartaria, 2. anno Mauritij*, hoc est, *anno D.LXXXV. ab aduersarijs hæreticis perimitur 4. May, & Sanctus habetur ab Isidoro & Ildephonso: succedit in sede* Episcopali scilicet *quam reliquerat Dominicus Senex, missus in exilium à Leonigildo, fuit Monasterij Seruitani, quod condidit S. Donatus migrans ex Africâ, & ibi claret miraculis. colitur 1. Nouembr. succedit illi,* Donato scilicet *Eutropius, qui fuit Episcopus Valentinus.*

Monasterium S. Martini Ordinis S. Augustini. c. 12. lib. de gloriâ Confess.

Aliud Monasterium Ord. Eremit. S. Augustini, sub titulo S. Martini ijsdem annis extabat prope Valentiam cuius meminit D. Gregorius Turonensis, quando refert Historiam Ermenigildi bellum gerentis contra Leouigildum parentem: hoc enim Monasterium Gothi & Arriani milites inuaserunt, Religiosos fugarunt, solo Abbate decrepito relicto, quem Deus miraculosè seruauit, ac per eum totam Monasterij substantiam, quam Rex Leouigildus iussit esse integram.

Omnes superiores Monachorum solebant dici Abbates. Victor Vtic. Cap 10.

Hoc Monasterium cum alijs enumerat Sandoualius inter antiquitates Benedictinas, maximè in eo fundatus quod Religiosos inuenerit Monachos, & superiorem huius aliorumque locorum Abbatis titulo decoratum, quasi verò hoc solis Monachis Benedictinis fuerit proprium cum nomen Monachi, etiam S. Augustino teste ipsi eiusque Congregationi conuenerit; vt patet in expositione Psalmi 132. Nomen Abbatis etiam antiquitus valdè familiare fuit sæcularibus nonnunquam præpositis, Eremitis, alijsque superioribus. Sic superius diximus de S. Liberato Abbate, & de S. Felice Magistro S. Fulgentij, quem discipulus illius, Abbatem fuisse scribit, & & infra dicemus de S. Arthuago Abbate.

Conuincit eundem Sandoual. supra citatus Esculanus agens de hoc Monasterio, eodem argumento conuincens non potuisse esse Ordinis S. Benedicti hoc Monasterium, cùm vix his annis institutum S. Benedicti adhuc nouitium in Hispaniâ auditum fuerit, nam post annum DCC. XVI. fundationem primam obtinuit Valentiæ.

Lib. 7. de Antichr. c. 19.

Fuisse autem Ordinis S. Augustini hoc Monasterium, docent Maluenda, M. Diagus Dominicanus, Garibay & Morales fundati in eo, quod hoc Monasterium, vel sit idem cum Seruitano, vel ab illo non procul distans fundatum & erectum per S Donatum eiusque discipulos 70. quos dimisit in diuersas partes, cùm ante illorum aduentum vix alia fuerint Monasteria. & probabile est discipulos 70. huius sancti viri fuisse diuisos. nam tantus numerus, nec locum, nec alimenta inueniret maximè in solo externo, sub initium fundationis, & inter strepitus armorum & hæreticorum. Vnde M. Diagus dicit hoc Monasterium fundatũ fuisse in Promontorijs Ferrariæ & S. Gregorius Turonensis illud collocat inter Carthagenam & Saguntum, ad maris ripam.

CAPVT. IX.

CAPVT IX.

De erectione Monasterij Emeritani, à B. Nunto Eremita Augustiniano.

S. Nuntus Eremita Augustinianus. *Baron. tom. 7. anno 589.*

AMPLISSIMAM mentionem alterius Monasterij Eremitani antiquissimi facit PAVLVS Diaconus illiusque fundatorem assignat Beatum virum Nuntum Abbatem, quem ex Africâ vnà cum socijs Emeritam venisse narrat, vt reliquias S. Eulaliæ veneraretur, cui deuotissimus cum esset, & ibidem diutius hæsisset, alio casu occurente, eandem Ecclesiam deseruit, & iuxta Emeritam locum adeptus, ibidem sibi, suisque monasterium erexit. Illud autem fuisse Ordinis Eremitarum S. Augustini scribit Hieronymus Romanus in *Histor. Ecclesiast. Hisp. lib. 2. cap. 27.* & Ludouicus ab Angelis *lib 4 cap. 20.* Colligentes illius institutum Eremiticum Augustinianum eo, quod ex Africâ venerit cum alijs Religiosis, quos solos habebat Africa illo tempore. Idem docet Franciscus Sadiglia, *Centur. 6 cap 50. & cap 38. § 2.* constanter affirmans SS. Donatum, Eutropium, & Nuntum fuisse Religiosos Eremitanos S. Augustini. Prosequitur hanc historiam aduentûs S. Nunti, eiusque professionem Augustinianam multis argumentis R. P. Romanus de Higuera Societ. IESV insignis Historicus ex professo, euincitque optimis rationibus, hunc S. Nuntum non potuisse alterius Ordinis esse quàm S. Augustini.

In Histor. Eremitan. c. 16.

Cap 18.

Probat non parum huius Monasterij Regulam quod suprà de S. Paulino diximus, qui teste Ausonio iuxta Emeritam Monastici instituti fundamenta iecit, supra quæ postmodum successores ædificauêre. Cui argumento aliud addo irrefragabile, eadem scilicet Monasteria Ordini Eremitano manere & semper mansisse, ita vt nec alius dies, annus, vel Fundator reperiri possit à memoriâ B. Nunti illiusque successorum.

Monast. S. August. in Gall. *Lib 2. de celeb. Missa cap. 25.*

Circa hæc tempora vel paulò ante, ne sola Italia aut Hispania videatur hac Regulâ vsa, reperimus in Galliâ Monasterium Eremitarum S. Augustini iuxta Lemanum erectum à Roricio Lemanicæ Episcopo, qui interfuerat Concilio IV. Aurelianensi ab eoque obtinuerat desumptam huius fundaminis facultatem. De quo scribit Antonius Monchiacenus illiusque originem ex Hispaniæ partibus probat.

CAPVT X.

De S. ARTHVAGO Restauratore Monasterij Sisla Toletana.

Anno 584. &c. Reparatur Monasterium Sislæ à Rege Athanagildo.

EX Chronicis Flauij Dextri, c. 10. probauimus extitisse Monasterium Sislæ iuxta Toletum Ordinis S. Augustini ipso S. Augustino adhuc superstite, quod diuersis belli incommodis, longisque hæreticorum & infidelium insolentijs restitit, quodque ruinosum, miserrimum, & penè collapsum circa annum Domini D. LXII. vt referunt S. Maximus, Iulianus Archipresbyter Toletanus, Euthrandus & alij, Athanagildus Rex Gothorum reædificauit: nam is iuxta Genebrardum & Lucam Tudensem Catholicæ religioni deditissimus, paulò post adeptum regnum, eandem professus fuit. De monasterio autem Eremitarum S. Augustini scribit Iulianus: *Monasterium S. Mariæ Sislæ tempore Gothorum ab Augustinianis Monachis possessum, nunc Eremitorium dicitur, constat fuisse conditum à Rege Athanagildo, à quo se dicunt descendere Pantoia, & ideo sunt Patroni huius loci.* Et S. Maximus inquit. *Æra 600. Hoc est anno* D. LXII. *Monasterium Sislæ S. Augu-*

stini ab Athanagildo Rege Wisegothorum Toleti ædificatur, seu vt alij legunt, *reædificatur.*

S. Arthuagus Augustinianus.
Iulianus & Eutrãdi chronica probat Vasquez.1.p. disp. 2.
Floret S. Arthuagus.

Hujus restaurationis videtur author fuisse S. Arthuagus Gothus, regi Athanagildo familiaris, Ordinis Eremitarum S. Augustini Religiosus, qui ab eodem S. Maximo ponitur circa annum V. & IV. *Quo tempore* inquit, *Arthuagus Gothus ex Ordine S. Augustini Monachus Prior Abbas Sislæ Toleti floruit opinione Sanctitatis.* Exstat etiam epistola huius Arthuagi scripta ad B. Isidorum Hispalensem inter ipsius Isidori opera, cuius talis est epigraphe: *Reuerendiss. Isidoro Episc. Hispalen. Frater Arthuagus Monachus Prior Abbas S. Crucis.* Et infra epistolam reperitur locus cum nomine ac professione. *Dat. Sislæ Arthuagus cognomento Gothus ex ordine S. Augustini.*

Obitus S. Arthuagi.

Eutrandus Diaconus Tolet. & Ticinensis prosequens Chronicum à S. Maximo inceptum narrat obitum S. Arthuagi consequenter. *Anno* inquit *D. XCIII. primâ die Maij moritur sanctè compositeque Arthuagus Monachus Augustinianus, Sislæ Toletanæ.* Narrat eundem obitum Iulianus Archipresbyter *moritur Toleti Arthuagus Monachus Augustinianus, vir apprimè feruens zelo fidei* aliam

Lib 11 c 18.

tamen hic author S. Attuago assignat ætatem, & aliam Ambrosius Morales cum pluribus alijs grauissimis Historicis, attamen omnes vno ore fatentur hunc S. Arthuagum Monachum fuisse Ordinis S. Augustini.

Lib 1. cap. 13.
Monasterium Sislæ hodie est S. Hieronymi.

Et certè de professione, habitu, ac Monasterio, in quo vixit, non potest esse difficultas, cùm locus ille adhuc hodie exstet inhabitatus à Religiosis S. Hieronymi, quorum Historiographi, & inter cæteros Iosephus Sequenza, expresse fatentur Monasterium Sislæ B. Virgini, S. Cruci, ac B. Augustino factum tempore Gothorum à Religiosis Africanis sub regulâ S. Augustini fuisse inhabitatum, ac in potestatem sui Ordinis cessisse hunc locum Anno M. CCC. LXXV. quo tempore adhuc cellæ Religiosorum cernebantur. Agemus etiam postea de B. Erthinodo Augustiniano huius Monasterij alumno insigni, anno. DCCI. martyrio coronato.

Monasterium Augustini Cantuariæ in Angliâ
Lib. 11. c. 68.

Ante annum. *DC.* exstitisse monasterium S. Augustini Cantuariæ in Anglia colligit ex Bedâ Petrus de Natalibus, nam mentionem facit Mildrutæ & Milburgæ virginum filiarum Menguardi, *quarum prima* inquit, *in cœnobio S. Augustini Cantuariæ, secunda apud Venloch signis radiantes quiescunt.*

CAPVT XI.

De statu Religiosorum & Regulæ D. Augustini circa annum D C.

Anno 600. &c.
Restituitur pax Africæ.

IN eadem Africâ post plures persecutionis annos apparuit noua Religionis Augustinianæ facies, tanto clarior, feruentior & potentior, quanto inter nubes solet vehementiores Sol edere radios mox succedentis pluuiæ indices. Hoc nobis indicauit sextum à Christi Natiuitate sæculum sub Gregorij Magni tempora, quo rursus Africana Ecclesia referta religiosis & Episcopis Dei zelo, & in animarum salute procuranda feruentibus caput extulit, videbaturque maiora promittere. Sic patet ex lib. 2. epistolarum D. Gregorij, in quo & frequentia recitantur Concilia pro restauratione doctrinæ & disciplinæ celebrata, multorum Episcoporum interuentu, concessâ iam liberâ facultate eadem celebrandi, lib. 3. epistolarum 7. fit mentio Concilij in Numidiâ habiti, lib. 12. epistol. 35. Concil. Bizzanzeni, & iterum lib. 10. epist. 8. alterius Concilij Numidiani.

Epist 30. 31. 39
Celebrantur Concilia.

Restaurantur Cœnobia.

Hoc etiam tempore opera S. Fulgentij discipulorum, qui plura excitarant in Africâ Monasteria sub habitu & normâ S. Augustini, vt supra dictum est,

est, pleraque Monasteria restaurantur; & rursus nouis alumnis replentur. Magnum illum virum, *Cum quo Deus*, Monachum & Abbatem Africanum, remittit & commendat S. Gregorius *epist. 33.* adhortans omnes alios Episcopos, vt in sacrosanctæ Ecclesiæ postliminiò restituendâ Monasticâ disciplinâ sint seduli vnà cum hoc Religioso Dei obsequium seriò promouentes. Idem S. Gregorius *lib. 1. epist. 82.* Legatum sedis Apostolicæ creauit Hilarium Monachum Augustinianum, nondum in Episcopali dignitate constitutum, vt Concilium indiceret, & Pontificis Romani vices ageret, cuius potestatis amplissimæ mentionem facit S. Gregorius VII. *lib. 6. epist. 2.* Aliorum etiam tum dignitate, tum doctrinâ præstantium Religiosorum Augustinianorum, qui soli Africam incolebant à D. Augustino, & Fulgentio instituti ac propagati, in eisdem Concilijs fit mentio, eorumq; acta publica exstitissent posteritati certè admiranda & imitanda, ni sub initium restaurationis noua & extremùm deploranda successisset ruina. Vix enim aliquot lustra transacta fuerunt huius sæculi, quin vniuersam Africam impius Mahometes armis occuparit, eamque Mosuius quartus à Iustiniano Imperator, ita durè detinuit, vt totam Christianam Religionem deleuerit, multa millia Religiosorum oppresserit, ac ferè totum Ordinem S. Augustini extinxerit.

Lib. 6. Cum quo Deus Monachus Augustinus.

S. Hilarius Monachus Augustinensis Legatus Gregorij Pont. Max.

Scintillæ tamen aliquæ adhuc tunc latebant in Galliæ, Scotiæ & Hyberniæ limitibus. Florebat inter cætera Monasterium illud Benchoriense & in eo S. Columbanus magnus Monachorum Pater; quem tantò liberius inter Eremitas S. Augustini connumero, quantò certiora & euidentiora originis & conuersationis eius Monasticæ habeo testimonia.

S. Columbanus Augustinianus.

Ac inprimis S. Bernardus testis omni exceptione maior S. Columbanum adducit vti discipulum S. Congelli, Congellum discipulum S. Columbæ. De hoc S. Columbâ scribit Notherus Balbus: *S. Columba cùm plurimos discipulos sanctitatis suæ pares habuisset, vnum tamen Congellum latinè Fausti nomine illustrem, præceptorem B. Columbani, magistri Domini Patris nostri Galli virtutum ac meritorum suorum quasi vnicum, exemplo Isaac reliquit hæredem.*

Discipulus S. Congelli. *In Vita S. Malachiæ.*

S. Congellum & S. Columbanum fuisse Eremitas, constat ex Ven. Bedâ & ex Aimonio *lib. 3. de gestis Francorum cap. 95.* Quod etiam confirmat Hermannus contract. de S. Gallo horum Sanctorum discipulo. Eremiticam professionem euincit Beda ex Monasterijs à S. Columb. ædificatis inter vepres & quercus, à ciuitatibus remotissimas. Regulam autem S. Augustini sequutos fuisse hos Eremitas, probat Robertus Richardinus ad Regulam S. Augustini, *ibi nolite cantare*, &c. cùm exemplo D. Patritij vixerint, eiusque Monasterijs præfuerint alia ad eorundem normam ædificando. Et certe facillimum est conuincere erroris Trithemium, ac Genebrardum, qui nescio quo affectu nimio sui Ordinis abrepti quoslibet Monachos illius ætatis Benedictinorum familiæ inscribunt, vt aliàs conqueritur Baronius. S. Adamannus enim describens vitam S. Columbæ, eum Monachum album nominat: *S. Columba* inquit *candidos Monachorum greges, salutiferis doctrinæ alimentis pauit*; quâ designatione omne dubium adimit, declaratque hos Sanctos non fuisse Ordinis S. Benedicti, qui ita album colorem perpetuò subterfugerunt, vt atrorum Monachorum nomen, antonomasticè promeruerint. Accedit iusta temporis ratio, secundum quam dicitur S. Benedictus Regulam suam edidisse, circa annum Domini D. XXX. ac obijsse anno D. XLIII. quo etiam anno, vt probati referunt Historici, gloriosus Patriarcha misit in externas Prouincias primùm aliquot Discipulos: Sic enim loquitur Leo Ostiensis. *Paulò ante mortem Maurum, Faustum, aliosq; in Galliam mittit, vt ibi sui Ordinis Monasteria propagarent.* Quæ verba repetunt Genebrardus & Hermannus addentes eodem anno D. XLIII. mortem S. Benedicti fuisse subsequutam: quo anno iam S. Columba adultum agebat Monachum in Hybernia; floruit

In Vita S. Column. c. 5. Chronica An. 614.

Quando S. Benedictus Regulam suam ediderit.

In Chron. Cass. lib. 1. c. 1. Lib. 3. Anno 544. in suo Chron. anno 543.

enim iuxta Bedam in Britanniâ circa annum Domini D. LXV. post quem obijt, ædificato tunc monasterio Armachano in Hybernia, habitum vero Ordinis iuxta eundem gestauit anno D. XXXV. & circa annum D. XL. teste S. Bernardo, à prædonibus 900. Monachi S. Columbæ in monasterio Benchoriensi fuerunt interempti. Quis credat illo anno Regulam S. Benedicti vix conditam ita in extremas orbis partes deuenisse? Maximè cùm constet Regulam S. Benedicti, ante annum D. XXIX. non fuisse publicatam, nec ante D. XLIII. extra Italiam peruenisse, immo nec vna anno D. LXXIII. habuisse sui Ordinis aut Regulæ Monasterium Romæ, destructo etenim illo anno Montis-Cassini monasterio per Longobardos, Religiosi exules à summo Pontifice in Lateranensi hospitio recipiebantur. Ex quibus omnibus satis apertè patet S. Columbanum discipulum & alumnum S. Congelli & Columbæ non potuisse Regulam S. Benedicti profiteri, sed potius terendo vestigia SS. Patricij, Columbæ, Congelli, & aliorum Regulam S. Augustini fuisse professum.

In vita S. Malachia.

Ex eodem S. Bernardo colligitur Monasterium Benchoriense nō fuisse Ordinis S. Benedicti, siue Regulæ illius sub quâ militabat S. Bernardus, nam loco citato amplissimam, & frequentem illius facit mentionem, nec vnquam illud vocat sui Ordinis, prout ibidem de alijs Monasterijs minoribus mentionem inijciens, eadem ad suum Ordinem refert. De Christiano Abbate & Guillelmo Monacho, ac superiore in Mailros scribens, vtrumque suis adscribit claris his verbis *Iste est frater secundum carnem Christiani nostri Melifontis abbatis.* & postea, *Guillelmus tunc Prior in Kyrcham, Regularium fratrum, nunc vero Monachus, & Monachorum Pater in Mailros monasterio Ordinis nostri.* At quia hoc argumentum est negatiuum & fortè ideo minus probans, libet aliud eiusdem S. Bernardi omnino conuincens rem, de qua disteratur, audire.

In vita S. Malachia.

§. Dominus. § Malchus factus Dux.

Prima enim Regulæ D. Benedicti publicatio in Hybernià iuxta D. Bernardum facta est per Monachos Cistercienses, nam in vitâ Malachiæ refert eundem Malachiam ex Hybernià Romam tendentem Claraualllæ reliquisse quatuor Sacerdotes monasticis institutis imbuendos, cùm nulli essent in Hybernià noti aut visi quidem Monachi scilicet S. Benedicti, quibus solis hoc nomen strictè sumptum competit. Verba S. Bernardi sunt hæc: *Qui reuertens per Clarā-vallem suam nobis largitus est benedictionem, & alta suspiria trahens, quod non liceret sibi pro suo desiderio remanere, hos (inquit) interim pro me oro vt retineatis, qui à vobis discant, quod nos postmodum doceant, erunt nobis in semen, & in semine isto benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ à diebus antiquis Monachi quidem nomen audierunt, Monachum tamen non viderunt. Et dimissis quatuor à latere suo, abijt, qui probati & digni inuenti Monachi facti sunt. Post aliquod tempus cum iam Sanctus esset in terrâ suâ, misit alios; & factum est de illis similiter, quibus per aliquantum tempus instructis & eruditis corde in sapientia, dato eis in Patrem S. Fratre Christiano, qui erat vnus ex ipsis, emisimus eos adiungentes de nostris, quanti sufficerent ad numerum Abbatiæ, quæ concepit & peperit filios quinq, & sic multiplicato semine augescit indies numerus Monachorum,* &c. Ecce quomodo inceperit Monachismus & quando in Hybernia. Hoc idem asserit epist 316. & 317. *Multâ* (inquit) *opus est vigilantiâ tanquam in loco nouo & terrâ tam insuetâ, immo & inexperta monastica Religionis.* Hæc si vera sunt, vti verissima eadem esse arbitramur, clarum est S. Columbanum non fuisse Monachum S. Benedicti, cùm tales recentiorem haberent in Hybernia coloniæ suæ traductionem.

Regulæ S Benedicti publicatio.

Circa Annum 1137 sub Innoc II.

Baron. tom. 12. Anno eit num. 34.

Aimon lib. 5. de gest Franc. cap. 10.

Hyberni recipiunt Monachos S. Benedicti.

Fuisse autem ante hæc tempora Malachiæ, Monachos Eremitas in Hybernia nulli dubium esse potest, qui legerit Bedam, Probum, aliosque huius gentis Historicos. S. Patritium enim supra induximus vt Eremitam Augustinianum. De S. Columbano Beda scribit, *quod Monachorum cætibus intererat, regulamq;*

Ante illos fuerunt Monachi Eremitæ.

gulamq; quam tenerent, Spiritu sancto dictante conderet. De S. Imario Eremita in cellulæ tugurio quasi in sepulturæ eremo latitante alibi fit mentio; immo de ipso S. Malachiâ refert S. Bernardus, quod sub initium vitam Eremiticam duxerit solitariam, sine socio, & sine exemplo; donec ad sacros Ordines suscipiendos coactus per eosdem ad Episcopatus dignitatem peruenit, quo tempore adinstar Augustini, *curauit adsciri ad solatium sibi de filijs suis conuentum Regularium Clericorum:* Prius enim dixerat de eodem Malachia S. Bernardus *quod in deserto & solitudine colligeret vt cælos impleret.* S. Columbanum fuisse sub Regulâ S. Augustini expresse docuit P. Hieronymus Roman. *Centuria. 3. anno D. XCIII.* P. Ludouicus ab Angelis *lib. 4. Historia magna de vitâ S. Augustini c. 19.* Ambrosius Staibanus, Gonzales, Marques. *c. 15 §. 4* & plures alij, valde probabiliter: nam ante aliquot annos solebat ordo recitare officium de S. Columbano, vti de Ordinis personâ. item plura reperiuntur in Ordine S. Augustini templa D. Columbano, vti sancto ex gremio Ordinis dedicata: inter quę exstat celebre illud Florentinum, vbi societas SS. Galli & Columbani est in pretio, & aliud non procul à Lucensi ciuitate. Cui non contradicunt Antoninus & Vincentius recitantes discipulos S. Columbani, S. Gallum, Attalum, Walericum, Bobonem, Wandolenum, è quibus hi posteriores ex Gallia in Neustriam profecti à Rege Clotario dicuntur *obtinuisse cellulam in sylua, vbi reclusi à Fratribus, postpositis mundi curis Diuinæ meditationi ac corporis macerationi vacabant.* S. Gallus etiam Eremita. ex Scotiæ partibus in Heluetiæ limites descendit, ibique celebre erexit Eremitorium, in quo cum socijs Eremiticam vitam professus teste Hermanno: *Solitudinem cellæ suæ incolere cœpit, vnà cum Ioanne,* quem postea ad Episcopatum Constantiensem euectum fuisse mirabilique dote auxisse cellam S. Galli scribit Antonius Monchiacenus. *de diu. fa- crif. cap 35.* Scio hæc eadem loca adhuc hodie extare ac à Religiosis S. Benedicti non sine magnæ Religionis obseruantia inhabitari: Scio etiam Trithemium & Genebrardum, tum S. Columbanum, tum S. Gallum eorumq; sectatores Ordini S. Benedicti adscripsisse: at paruo omnino nixi fundamento hoc fecere, immo falso, allegantes nullam hoc sæculo extitisse Regulam, illâ S. Benedicti exceptâ, cum tamen antè demonstratum sit needum illam S. Augustini propaginem interijsse, sed per S. Donati fundationes in Hispania, per montis Pisani colonias in Italia, per S. Patritij discipulos in Hybernia, & per Hilarij successores in monasterio Lirinensi, seruatam fuisse. Hodie vero Regula S. Benedicti ibidem vigens non arguit tempora de quibus disputamus: nam Walfridus Strabo apud Surium testatur Regulam S. Benedicti circa annum DCCC. huc deuenisse. Othmanus enim Abbas tempore Caroli Magni, ad illius instantiam, relicta Eremitica Regula, illam S. Benedicti impetrauit, eamq́ue primo exercere cœpit.

Hoc eodem sæculo fundatum inuenio monasterium Illicetanum Ordinis Eremitarum S. Augustini in agro Senensi, quod meritò seminarium Sanctorum nuncupatur cùm vltra 30. sanctos Religiosos miraculis claros protulerit. Fundationis huius isthac ætate meminit Paulus Morigia & P. Cornelius Lancillottus. Congregatio autem Nicetana est recentior.

S Columbanus Imarius, & Malachias fuot Eremitæ. *S. Ascendit.*

S Columbanus est Eremita Augustinensis. *In epit. c. 4. §. 1*

2. part. hist tit. 13. c. 4.

S. Gallus Eremita Augustinianus.

Anno 614.

Circa ann. 650.

Occurritur obiectioni PP. Benedictinorum.

Quando monasterium S. Galli ad Benedictinos accesserit.

Die 16. Octobr. tom. 5.

Fundatio monasterij Illicetani.

De Orig. Relig. cap. 35.

Lib. 2. cap. 18.

CAPVT XII.

De Reliquijs S. Avgvstini *sæculo septimo post Christum natum.*

Religiosi Augustiniani in Sardinia. *Cap 5.* *Anno 700.*

INstituerat olim plura in Sardinià Insulà Monasteria gloriosus S. Fulgentius, vt supra vidimus, ac inter cætera Monasterium S. Saturnini Martyris ac Calaritanum, vbi sanctissimi P. Augustini corpus condiderat, eiusque cultui ampliori aliquot Religiosos reliquerat, At barbaris illam insulam occupantibus, & Religiosis ibidem extrema perpessis, cum nullum appareret subleuameo, pauci superstites de translatione corporis tanti Patris cogitantes, Luitprandum Longobardorum Regem tunc in Italia potentem ac deuotum accesserunt, persuaseruntque vt tantum thesaurum à barbaris iam iam occupandum, & absorbendum dignaretur eripere.

De translatione reliquiarum S. Augustini.

Sub annum 721. Mouetur Rex Luitprand. a Deo.

Anno igitur DCC.XXI. vel, vt Baronius putat, DCC. XXV. Luitprandus Rex Catholicæ Religionis obseruantissimus, magno erga S. P. Augustinum affectu, summis votis sanctissimas illas Reliquias affectauit; vnde occurrentibus sibi fere continuo Barbarorum insolentijs, ac sacrilegis impiorum manibus, quæ cor illius pulsabant, vt afflictionem pauperculorum per illius zelum subleuandam vrgeret, nobiles aliquot sui regni in Sardiniam cum ingenti auri & argenti pondere ablegauit, qui sanctum corpus tanti Doctoris à Barbaris detentum redimerent; illi itaque mandato Regis obsequentes felici exitu cum Barbaris transegerunt, & reliquias à paucis adhuc Eremitis asseruatas obtinuerunt, easque naui imponentes vnà cum Patribus sereno cœlo aliquot horarum spatio mare emensi in Ianuensem portum abduxerunt. Præmissis itaque nuncijs ad Regem qui tam felicem accessum, ac reliquias conductas renuntiarent ex animi sententia; Rex debitâ pompâ, aduocato clero, & Regni sui Proceribus easdem statuit excipere. Quod disertè narrat Petrus Oldradus Mediolanensium Archiepiscopus.

Mittit Proceres suos, vt reliquias obtineat.

Apparatus pro reliquijs recipiendis.

Rex, loquit Oldradus, *Sacris reliquijs obuiam procedens, solenni habitu, tanquam in die Solennitatis ac lætitiæ suæ, iuxta agrum Derthonensem apud Sabinarensem villam vna cum vniuerso Nobilium, Procerum ac Prælatorum comitatu in oratione & vigilijs, maximâ reuerentiâ erga SS Reliquias excubauit. Aurora verò sequentis diei illucescente, cùm Ticinum iter tenderent, ecce nullatenus sanctum corpus loco mouere valuerunt. Quod cum omnium mentes in admirationem raperet, Rex desiderio suo frustratus, dolore oppressus regiam conscidit vestem, vultũ dilacerans, præter Regium decorem in terram prostratus. Accessit tunc libere Regem Gratianus Nouariensis Episcopus Sanctitate ac doctrinâ conspicuus, indicans Deum non moueri indignatione, & desperatione, sed votis ac precibus, quod videns Rex in se reuersus votum vouit, quod si B. Confessor ex illo loco se tolli permitteret & transduci Papiam; Villam cum omnibus appendicibus eius concederet seruientibus ipsius, perpetuò possidendam. Existimabat enim Rex ille se tantum non posse donare ministris, qui custodiebant corpus B. Patris, quod opinioni & voluntati suæ penitus satisfaceret. Placuit Deo votum, ac tunc feretrum inuenit leuissimum, vt nullo vlterius onere impediente, corpus beatissimum, quod prius nec moueri poterat à pluribus, modo non prohiberetur deferri.* Ex quibus colligitur, custodes adfuisse corpori quibus tam Rex destinabat sustentationem, qui sine dubio erant ex Religiosis Eremitis à S. Fulgentio in Sardinia relictis: non enim credibile est, quod illi sancti Patris sui Sacrarium reliquerint, aut quod pijssimus Rex illos tanto bono priuarit,

Miraculum in translatione.

varit, tam dulce pignus Parentis à veris filijs auulserit, illudque sæcularibus custodiendum reliquerit.

Omni rationi conuenientissimam hanc coniecturam confirmat certa historia Bernardi Sacci lib. 10. probantis Regem Luitprandum non ita pòst Ecclesiæ S. Petri à serenitate aëris in cœlo aureo dictæ, vbi S. P. Augustini corpus à fidelibus venerabatur, & miraculis clarescebat, monasterium adiunxisse, quo extra vrbis mœnia Fratres qui ex Sardinia accesserunt excipiebantur, custodiæ & ministerio corporis deputati: quod Monasterium, vt narrat idem author, non ita pòst barbarorum incursu fuit destructum & religiosi rursus ad vnum omnes enecti, donec nouâ affulgente luce Christianæ religionis à PP. Benedictinis idem locus fuerit excultus, ac Cardinalis cuiusdam commendatarij fidei commissus, à quo eundem locum Canonici regulares Frisonarij migrantibus Benedictinis ad locum S. Saluatoris, obtinuerunt; quamuis & hi circa Ann. M. D. VIII. sub Iulio. II. locum suum cesserint Canonicis Lateranensibus habitantibus in eadem ciuitate Papiensi apud S. Epiphanium. His verò antiquiores sunt apud eandem Ecclesiam Eremitæ S. Augustini, de quorum restitutione par. 3. c. 11. aliquid addemus.

Non infirmum argumentum huius fundationis pro Eremitis S. P. Augustini, sub ipso erectionis Ecclesiæ initio, colligitur ex diuersis & antiquissimis picturis, tum in eadem Ecclesia, tum in frontispicio Ecclesiæ existentibus, etiam ante recentiorem Eremitarum S. Augustini reditum ad eandem Ecclesiam appositis, in quibus S. P. Augustinus semper nigro habitu Eremitico apparet depictus, quæ nec in hodiernum diem aut iniuria temporum aut hominum malitia potuerunt deleri, deletis archiuijs ipsis & pene sepulta Translationis memoria, etiam tempore Caroli Magni, qui LXX. annis pòst eiusdem Translationis solennitatem regnauit, cuiusque historiam, ne penitus interiret, Petro Oldrado describendam commisit. Quod etiam idem præstitit magno labore & industria magis traditione aliquorum, quam ex multarum litterarum subsidio, quæ vsque ad Carolum magnum raræ fuere, indocto sæculo & turpi inertiæ adscribendum malum. Nec hic prætereundum est Monasterium S. PETRI de Arena iuxta Genuam, vbi S. Augustini corpus ex Sardinia translatum primò quieuit, & à Rege Luitprando sacellum cum residentia Fratrum fuit erectum, nunc in ampliorem formam redactum cum insigni memoria Translationis.

Eremitis S. Augustini fit monasterium Papiæ.

Idem Monasterium destruitur.

Variæ mutationes huius monasterij.

Circa ann. Dom. 1507.

Picturæ Papienses antiquæ.

Fundatio Monasterij Genuæ S. Petri de Arenâ. Strab. cap. 28.

CAPVT XIII.

De fundatione vniuersitatis Parisiensis, & Papiensis per Fratres Eremitanos S. Augustini circa Annum DCC.

CORREXIT indoctum sæculum ac inter arma fere emortuas litteras suscitauit B. Carolus Magnus, qui testibus Crantzio, Genebrardo, & Baronio vndique conquisitis viris doctis, SS. Patrum Sermones, homilias, & Martyrologia obscurata ex socordiæ puluere eruit maximis suis impensis suorumque studio, opera, & industria. Præ cæteris autem animum verè magnum beatæ memoriæ Carolus exercuit in restituendis rebus publicis & scientiarum imperijs construendis, quibus non

B. Carol. Magnus amator litteratorum. In hist. Sax. lib. 2. Lib. 4. Chron. An. 800.

bus non mercimonio sed prudentia diuites redderentur, quibus imperabat: & ne solùm præclara gesta facerent, sed eadem publicis Scriptorũ calamis ad posteros in memoriã & exemplũ transmitterentur. Hoc igitur fine duas celeberrimas erexit Vniuersitates, seu studiorum Athenas, vnam in Franciæ suæ Regno Lutetijs Parisiorum, alteram in antiquissimã Italiæ vrbe Papiensi, quæ Ticinum appellatur. Huc conducti fuerunt ære publico Professores, acciti vndiq; Rectores, & morum bonarumque disciplinarum efformatores.

Erexit Academias.

Fundatio vniuersitatis Parisiensis & Papiensis.

Hoc tempore iuxta Annales Arelatenses & librum de gestis Caroli magni, cuius mentionem facit Henricus Canisius in suis antiquitatibus iuxta B. Antoninum, Vincentium Belluacensem, Martinum Polonum *in Damaso*, Iacobum Tolosanum *lib. 1. Sophol. c. 15.* Chioppinum & alios, duo Religiosi ex Hyberniæ finibus apprimè docti portum Galliæ vnà cum Mercatoribus attigere: Mercatorum autem merces dum explicarentur, & populus nouitate earundem acceitus, satis frequens accurreret, insuetum Religiosorum demirati habitum, sub hoc insueto vestium genere aliquid latere ducentes, etiam ab istis percunctati sunt, an quid mercium deferrent: Religiosi autem isti plenâ voce, sapientiam sese vendere, proclamabant, ad eamque omnes inuitabant paruo pretio erogandam. Excipiebantur primum multorum risibus & cachinnis; quibus spretis, constanter, vitæ maturitate, ingenij & iudicij acumine prostabant & persistebant hi Religiosi, ita vt cessante sibilo, seria multorum succederet attentio, mentium raptus, & curiosa multarum rerum indagatio. Famâ interim crebrescente ad Regis aulam & aurem hæc deferuntur: Rex studijs alioqui deditissimus, vtrumque accersitũ vidէ, & audiuit reperiens verè latere quod proficere se aiebant: eosdem viros vti cælitus suæ intentioni prouehendæ submissos arbitratus, vtrumque amplexus est, & de Sapientiâ inuehendâ suis regnis pacisci volens pretium illos dicere iussit: quibus nihil aliud exigentibus, quàm locum, discipulos, & modicam vitæ sustentandæ commoditatem, eadem ad votum subministrauit. Vnum Clementem nomine studio Parisiensi præfecit: alterum verò, qui in lib. 1. de gestis Caroli magni Albinus dicitur, Papiam ad Monasterium S. Augustini ablegauit, vt ibidem initium litteris faceret, Palladem innouaret, & sopita ingenia excitaret. Hæc dum ab Alcuino adhuc in Angliæ partibus degente perciperentur, re sua composita, in Galliam aduolauit, eandem professionem aggressurus spe honoris ac dignitatis conceptâ, nec vanâ. nam vix ingenij specimen præbuit quin reciperetur in Regiam: Regi consilio, & scribendi officio iubetur adesse ac prodesse, prout fecit, publicam professionem nonnunquam cum prænominato Albino exercens, eamque dirigens. Hactenus Chronica Arelatensia, quæ in Galliæ Regno indubitatæ sunt fidei.

Tom 1 pag. 560.

Duo viri venientes ex Hybernia.

Mercatores Sapientiæ.

Hi duo primum præfuere vniuersitat. Parisien. & Papien.

F. Clemens primus Doctor Parisien sis

Albinus primus Doctor Papiensis.

Duos autem hos Religiosos ex Hyberniæ oris aduenientes fuisse professionis Augustinianæ communis est opinio: nam Ordo S. Benedicti tunc temporis, imò centenis aliquot annis pòst necdum in Hyberniam deuenerat, vt superius ex D. Bernardo dictum fuit; narrat enim in vitâ S. Malachiæ, illo viuente Anno scilicet M C. XXXVII. Hybernos Monachi nomen diebus antiquis quidem audiuisse, Monachum autem non vidisse, quod de PP. Benedictinis intelligit Aimonius, cum ipsis strictum hoc nomen Monachi competat. Maximè cùm hoc de Augustinianis asseri non possit, quorum institutum iam à tempore D. Patritij, Columbani, & aliorum eo deuenerat vt referunt Gocellinus, Stainhurstus, Robertus Richardinus, Martinus Polonus *in Cælestino*, Volaterranus, Baronius & Trullus *lib. 1c. 5. num. 2.*

Duo isti primi sunt Augustiniani.

Lib. 7. de gestis Franc. c. 10.

Lib. 12. Annal. tom. 3. an. 432.

Accedit

Accedit & aliud argumentũ quod indicat hos duos Religiosos Augustinianos nam statim in primo accessu feruntur S. P. Augustini libros prælegisse, præcipuè eos quos de Ciuitate Dei inscripsit, eosque ita Carolo magno impressisse, vt eosdem etiam ad mensam legendos adhiberet & quod amplius est adeò S Augustinum Carolo magno commendarunt, vt is singulari cultu erga eundem Sanctum exardesceret, vt doctè prosequitur Antonius Yepes. *tom.3.cent 4. An. DCC. XCI.*

Crantz. tom. in hist. Saxon. lib. 2. c. 8.

Affectus Caroli magni erga S. Augustinum.

Deinde Albinum studio Papiensi præfectum, illiusque primum Professorem fuisse Monachum Augustinianum constat ex ipsius Papiensis studij initijs, apud quos certa hæc traditio, quod ab Augustinianis vniuersitas cœperit; vnde & S. Augustinum pro Mæcenate & Tutore colunt semperque in florentissimo illo studio frequentes Augustiniani professionem Theologiæ & Doctoralem Lauream obtinuerunt, hodieque obtinent.

Albinus fuit primus Professor Papiæ.

Tandem conuincitur Albinus ille professione Augustinianus fuisse, ex eo quod à Carolo magno literarum professioni destinatus ad Monasterium S. Augustini transmissus fuerit, eoque donatus ad vitæ suæ sustentationem, & in eo primum literas docuerit, scholas erexerit ibidem, ibidemque è viuis discesserit.

Obtinuit Monasterium S. Augustini.

Ex his autem apparet quàm paruo fundamento Myreus & alij ante ipsam fundationem harum vniuersitatum quatuor Religiosis Benedictinis, Alcuino scil. Bedæ discipulo, Ioanni Scoto, & alijs incognitis adscribant quæ opinio iam passim refellitur: Namnec Alcuinus fuit Bedæ discipulus, vt ex eodem Alcuino deducit Baronius, sed Egberti Eboracensis Archiepiscopi, immò potius Alcuinus fuit Bedæ socius, contemporaneus, & natu maior. Nec Ioannes Scotus, vt Genebrardus affirmat, illo tempore vixit, sed anno DCC. LXXX. quo tempore scripsit Ecclesiasticam Hierarchiam; vnde nec is numeratur inter tales à Zabarella super Clement. 1. *de Magistris q. 5.* meritò etiam Chioppinus & alij hanc vti fabulam eludunt, magisque Chronicis Arelatensium standum esse constanter censent, prout etiam hoc indicat lib. 1. de gestis Caroli magni per Henricum Canisium editus. Religiosas fœminas sub regula S. Augustini fuisse Ratisponæ satis constat ex diuersis manuscriptis, per Marcum Velserum & R. P. Raderum productis. Beatum enim Erardum referunt, Ratisponæ profugum apud illas Sanctimoniales latitasse circa annum Dom. DCCC. LIII. In inferiori Germaniâ secundo lapide à Vesalia extitit anno DCC. LIX. Monasterium Ordinis S. Augustini Mariæ vallis, cuius fundationis illo anno meminit P. *Hieronymus Romanus in centur. fol. 29.* Anno DCC. LXXI. sanctissime vixit, pieque obijt iuxta Carthagioem Hispaniæ, S. Adelardus Genesius Eremita sub regulâ S. Augustini qui cum esset sanguine Regio oriundus, liberius Regem Carolum magnum reprehendens ob repudium vxoris, in eremum secessit remotissimam, fugiens Regis vindictã. sic narrat Doctor Petrus Alcozer in adiuncto tractatu ad historiam Tolet. Sed de hoc Sancto latius in sequenti capite.

Error Myrei. In Præfat. ori. ginum Canonic. Regular.

Tom. 9. An. 778. num. 13. & 14.

Lib 3. de Dom. Franc. tit. 27. num 3.

In Baua 8. fol. 56.

S. Adelardus Genesius Eremita Augustinianus.

CAPVT XIV.

CAPVT XIV.

De statu Ordinis Augustiniani circa annum DCCC.

Circa ann. 800. *Pamphil fol. 18* Sanctimoniales Augustinianæ in Sueuia.

APvd Odilonem Abbatem sub initium huius sæculi vel saltem sub finem antecedentis fit mentio egregiæ pietatis Ducis Adelheidæ, quæ cum esset Sueuorum ducis Hildebrandi, & Serenissimæ Re-gardæ Bauarorum ducissæ filia, ac soror Hildegardis quæ Carolo Magno desponsata fuerat, ac vxor Othonis comitis Caldariensis, post Hunnorum stragem factam per Carolum Magnum, sub qua & maritus & filij militauerant; hæc eadem Adelheida vbi intellexit interitum mariti ac filiorum, omni adhibitâ diligentiâ corpora eorundem requisiuit, ac inuenta honorificè sepeliuit in Sueuia non procul à Constantiâ ædificato Monasterio Buchouiensi, cui etiam Sanctimoniales Ordinis D. Augustini præfecit, easque perpetuas Deo preces offerre iussit. Extat adhuc hodie hoc Monasterium cum titulo Præposituræ ac Ordinis S. Augustini nomine.

Sub annum 817. Martyrium S. Erthinodi Ordinis S. Augustini. *Vide Baroniũ tom. 8 an. 701. nu. 15.*

Inuenio etiam *circa annum Dom. DCCC. XVII.* floruisse S. Erthinodum in Monasterio Sislæ non procul à Toletanâ vrbe, ibique Martyrij coronam paulo post adeptum fuisse; Impius enim Rex Witizza, qui regnare incepit Anno DCC. LXXXI. plures sibi vxores assumpserat, & ad hanc sensualitatis noxam Primates sui regni inuitarat; Sacerdotes ad Matrimonium adigebat, capitalique sententia damnabat, quos Romano Pontifici obedientes inueniret. Hisce sacrilegis statutis dum sese B. Erthinodus Monachus Sislæ opponeret, Martyrio afficitur. Describit autem martyrium Eutrandus Diaconus *Æra DCCC LV.* inquit *id est, Anno* DCCC. XVII. *Erthinodus Monachus Gothus Augustinianus in Sislæ Toletanæ Monasterio sui Ordinis, vt Martyr in pretio habetur.* Idem fere iisdem verbis de S. Erthinodo asserit Ambrosius Morales, & Iulianus in Chronicis Anni DCC. LXXX. inquit *Æra DCCC. XVIII. Erthinodus cognomento Gothus Augustinianus, ex humili loco ad honoratiorem eleuatur Toleti.* Vbi Iulianus agit de translatione illius sancti Martyris, cuius miracula in toto regno Hispaniæ fuere illustrissima. Lego quoq; hoc sæculo in Hispaniâ, vel maximè Maurorum furore plurimos Eremitas S. Augustini occubuisse, passim Ecclesijs ac Monasterijs omnibus Ordinis S. Augustini destructis, cùm ob extremam pauperiem se suaque redimere non possent, prout pleræque Ecclesiæ opulentiores, ac Monasteria RR. Patrum S. Benedicti, quæ vt refert Iulianus Toleti Archipresbyter *cap. 11.* auri & argenti copiâ ab insolenti barbarorum manu liberata & ideo clementius tolerata persistere.

Lib. 12. c. 16.

Anno 867. Monasterium S. Genesij Ordinis S. Augustini.

Memorat etiam Eutrandus Diaconus Ticinensis circa annum Domini DCCC. LXVII. extitisse Monasterium S. Augustini, non procul à Carthagine Spartariæ, quod à quibusdam Gallis ædificatum S. Genesij titulo decoratum fuit, ob reliquias Adelardi Genesij, qui vitam Ereміticam diu egit & pijssimè obijt, post spretas huius mundi delicias, sepultusque fuit in Monasterio S. Augustini, vbi multis miraculis clarescebat: Sic enim ait Eutrandus, Anno DCCC. LXVII. *Quidam Galli faciunt Monasterium S. Genesij apud Carthaginem Spartariam.* Vnum ex miraculis celebre huius Sancti viri refert Doctor Petrus Alcozer supra citatus. Vemente etenim Rolando Heroe nobilissimo huius Adelardi fratre, vt videret locum pœnitentiæ sui fratris & ipsum fratrem superstitem, placuit Deo eundem ex hac luce euocare, at sepulturæ locum visitanti, vt certior redderetur hunc fuisse fratrem, euidens signum præbuit defunctus: brachium etenim extra terram, cui inclusus erat per ipsam petram tetendit Adelardus. quo miraculo plures commoti,

Miraculum S. Adelardi.

Mona-

Monasterium S. Genesij ibidem ædificarunt, socijs S. Adelardi in pœnitentiæ, & pietatis officio permanentibus.

Opinio de S. Adelardo.

Alij putant S. Adelardum Abbatem fuisse Monasterij Corbeiensis, ac post obitum ad hunc locum delatum fuisse corpus. quibus assentitur Iulianus Archipresb. *Anno inquit DCCCC per Monachos Gallos allatum est corpus Abbatis S. Adelardi Genesij.* Conciliantes alij vtriusque partis Authores, S. Adelardum iam olim Eremitam S. Augustini non procul à Carthagine ferunt in Gallias redijsse, ibidemque ad Abbatiæ Corbeiensis regimen promotum aliquamdiu vixisse, morte vero subsequutâ ad suæ Religionis, & pristinæ pœnitentiæ locum delatum fuisse, ac postea miraculosè fratri signum ante dictum præbuisse. Paschasius Ratbertus apud Surium referens epistolam Albini eundem S. Adelardum Ordini sancti Benedicti assignat, præbet tamen alijs ansam nonnunquam, vt Ordo S. Augustini aliquid videatur in eum iuris habere: nam eundem ad instar DD. Augustini & Antonij inquit vixisse: immo vestigia S. Augustini sui Patris dicit eum triuisse. *Erat autem inquit idem, B. Patris Augustini velut pedissequus, operum clarissimus imitator, &c. nec longe dispar.*

Verior opinio

2. Ianuarij. Adelardus est imitator S. Augustini.

Monasterium S. Genesij est fons Monasterij S. Augustini Toleti.

Quidquid sit de professione huius Sancti, hoc vnum certum est, Monasterium suprà memoratum S. Genesij cum Religiosis ibidem habitantibus circa annum DCCC. LXVII. fuisse Ordinis S. Augustini: nam vt testatur R. P. Hieronymus Roman. Societatis IESV Historicus, in sua Toletanâ Historiâ, ex hoc Monasterio S. Genesij fundatum fuit Monasterium Fratrum S. Augustini iuxta Toletum, dictum *de Sonaglia*, assumptis hinc aliquot Religiosis, quorum successores postmodum et exerunt Monasterium Toletanum Ordinis S. Augustini, de quo 3. parte.

Monasterium S. Christophori Ordinis S. Augustini. *Lib. 6. Histor. Eccles. c. 44.*

Circa eundem annum DCCC. LXVII. extitit Monasterium Eremitarum S. Augustini in Lusitanica Prouincia S. Christophoro dedicatum inter Dueram & Mignum iuxta fluuium Vuoga; cuius meminit P. Hieronymus Romanus. In hoc Monasterio postea habitum Ordinis S. Augustini suscepit B. Ioannes Ciritta, de quo inferius, à duobus ibidem sanctitate conspicuis viris Eremitis S. Augustini Regulam profitentibus: quamuis & hoc Monasterium ob aëris inclementiam non ita pòst translatum fuerit ad rupem ferè inaccessibilem iuxta Barosum.

S. Anciradus.

Idem Eutrandus Diaconus Ticinensis supra relatus eodem sæculo circa annum DCCC. L. celebrat S. Anciradum, his verbis: *S. Anciradus Eremita ex Germania venit in Hispaniam Lusitanicam, & in ripâ fluminis Tagi prope ciuitatem Scabilitanam aliquot annis sanctè degit, reuersus autem ad Alpes non procul à Lacu Tigurino vulneribus à latronibus confossus martyrio coronatur.* Agitur eius dies Natalis 4. Februarij. Manent vestigia huius sancti Anciradi in Lusitaniæ oppidis Ataoguiæ & Monardo. Non inficior; Augustinianum fuisse Sanctum Anciradum non exprimit Eutrandus, sed in dictis locis prope Scabilitanam Vrbem extiterunt Monasteria Ataoguiæ & vallis Bolardi, quæ transferunt in Monasteria S. Augustini de Torres, Vedras, & Penna-firme: vti constat ex archiuijs eorundem Monasteriorum, & ex fundationibus non ita post aliquoties innouatis, quando semper vestigia euidentissima Ordin. Eremit. S. Augustini apparuerunt, quæ latius adducit Marquez.

Ex MS. cænobij Dussen.

R. P. Raderus in Bauaria sancta quam scripsit, hoc anno mentionem facit B. Ratkardi, eumque asserit D. Georgio ædem sacram instituisse, eamque S. Augustini sodalibus, adiuncto domicilio dedicasse.

CAPVT XV.

De Eremitis S. Avgvstini *anno DCCCC. & seqq.*

SVb finem octaui sæculi magna Ordinem S. Augustini inuasit calamitas, sæuientibus etenim Nortmannis per Galliam, Belgium, & Germaniam circa annum Domini DCCC. XC. amplius quam trecenta Augustinensium Monasteria periere, & supra decies mille Religiosi morte sublati, ac in fugam versi fuere, acideo rariores fortè ob bellicos illos tumultus hoc sæculo nouas reperio fundationes. Celebris tamen, & patentissima est illa Monasterij Eremitarum S. Augustini Venetijs, in cuius vrbis dignitate Patriarchali constitutus fuit Anno DCCCC. XVII. *Dominicus Dauid Venetus Ordinis Eremitarum*, vt refert *Leander Albertus*, qui etiam eodem sæculo ponit *Bonifacium, Valerium, & Michaelem Carthego, ex eodem Ordine Eremitarum*, ad eandem dignitatem assumptos, quorum effigies adhuc hodie extant in aula Patriarchali, cum habitu nigro, corrigia, & cuculla Ordinis S. Augustini.

Accedit non infirmum argumentum, hos Patriarchas fuisse Ordin. Eremit. S. Augustini; nam vltimus illorum Monasterium Ordinis S. Augustini ad ciuitatem transtulit, quod prius ab illa fuerat nonnihil semotum, illudque commoditatibus, & ædificijs auxit, Ecclesiam sub titulo S. Stephani ibidem in sui memoriam relinquens, vna cum Monasterio, quod anno M. LXXXIX. incendio conflagrauit, teste Ioan. Bapt. Egnatio.

Iordan, Staib. Lancel.

Circa annũ DCCCC. L. Cor. S. August. diuinitus delatum fuit Sigisberto Episc. Lugdunensi, cum iam dudum summis precibus à Deo aliquam partem reliquiarum S. Augustini, quarum erat studiosissimus, solicitasset. Cum autem hoc S. Augustini cor pluribus clareret miraculis, communi populi erga S. P. Augustinum affectu erigi cœptum fuit Monast. Eremit. Lugdunense, quod posteà mirum in modum adauctum fuit.

Lib. 1. c. 5. de prodigijs.

Alterius Monasterij Ordinis Eremitarum S. Augustini meminit Mag. Antonius Yepes tom. 5. cent. 5. Anno DCCCC. L. cap. 3. Quod narrat extitisse illa ætate in pago Neldensi iuxta oppidum Hispaniæ Logrognum, celebratissimumq; fuisse aliquando multorum religiosorum domicilium; sed iniuria temporis ac Maurorum insolentia circa *annum DCCCC. LXXX.* destructum, ac postea à Rege Nauarræ Sanchio Ecclesiæ S. Prudentiæ applicatum, circa annum Domini M. LXIV. Quod ex eiusdem regis donatione impressâ constat.

CAPVT XVI.

De Regulæ S. Augustini propagatione anno M.

FRequenter circa hoc sæculum, tum Regulæ, tum fundationum S. Augustini firmentio apud Scriptores, vel quia pacatiora sæcula, ferentia omnis generis leges inceperunt apparere, vel quia diligentia authorum expressiorem nobis reliquit memoriam. Ac imprimis anno M. XXVII. Canutus rex Angliæ postquam *Romæ limina Sanctorum Apostolorum visitasset, oraturus pro redemptione suorum peccatorum tempore* Ioannis 18. & Imperatoris Conrardi Papiam deuenit, singulari erga S. P. Augustinum adfectu, & cultu easdem sanctas reliquias frequenter veneratus est, ac tandem cum vix ab illis auelli posset, brachium S. Augustini impetrauit, quo pignore pretiosissimo, sibiq; charissimo in Angliam reuersus, plurima Monasteria Ordinis Eremit. S. Augustini ibidem ædificauit. Inter cætera celebre illud Conuentriense; vbi sacratissimæ illæ reliquiæ fuêre dudum conseruata, consecrata Ecclesia per Abelnotum Cantuariensem Episcopum Anno M. XLII. Fratribus S. Augustin.

Canutus Rex fundat in Angliæ Monast. S. August.

Brachium S. August. transfert.

Non

Non ita post in eodem regno, vt scribit Azorius, excitatum fuit cœnobium Eremit. S. Augustini Londineose & Oxoniense, florescente iam tunc in Hispania Burgensi cœnobio: quod quamuis ab Azorio dicatur institutum circa annum *M.C.XXXXIX* constat tamen illud plusquam integro sæculo antiquius esse. nam indubie per historicos Hispaniæ fertur illud extitisse ante annum M. L. quo tempore dicit *Vasæus*, S. Dominicum de Silos ex Monasterio. S. Miglani electum, tuguriolum iuxta Ecclesiam. S. Andreæ de Burgos Fratrum S. Augustini erexisse, illudque pie incoluisse, donec devastato Monasterio S. Sebastiani à Mauris, iussu Ferdinandi Regis, prædictus B. Dominicus ex Burgensi loco euocatus, restaurationi eiusdem Monasterij fuit applicatus, succedente in tugurij illius inhabitatione post plures annos S. Iuliano, qui postmodum ad Episcopatum Cuenchensem fuit euectus, prout scribit Stephanus de Garibay. *S. Iulianus* inquit *plerumque cum Religiosis Eremitis S Augustini Monasterij Burgensis solebat conuersari, ac in Sacello sanctissimi Crucifixi, quotidie celebrare* Vixit autem Iulianus. An. M.C.L.

Londinense & Oxoniense. *Lib 13. instit. c 18.*

Monast Burgensis in Hisp. antiquitas.

S. Dominicus de Silos illud inhabitauit.

Et Iulianus.

Antiquitatem huius Monasterij Burgensis euincit inuentio sanctissimi Crucifixi, quod in Hispania miraculis celeberrimum, infinitis votis, & frequentissima fidelium peregrinatione colitur. Illius etenim miraculosa inuentio ponitur Anno. M. LXXXXIV. à diuersarum Nationum mercatoribus mare illud Oceani sulcantibus, qui lumine resplendentem cistam in medio maris, vndis omnibus superfluentem ac capi gestientē notarunt; illaq; approximata ac aperta, factā non opera hominum, aut ex vsitata materia crucem illam repererunt, eamque vt testantur annales Burgensium quinque fratribus Eremitis S. Augustini conseruandam, addito suorum laborum nonnullo stipendio, consignarunt. hoc idem testantur Epitaphia. Celebris extat adhuc hodie inter Congregationes Ord. Eremit. S. Augustini, Congregatio illecitana, à Licetano Monasterio inter medios ilices, nō procul à Senensi ciuitate fundato nomen desumens, quæ circa hæc tempora fuit innouata, ac plantationem suam extendit ad ciuitatem Senensem vbi Ordo habet antiquissimum Monasterium. Eius initium ponit hoc anno M. L. *Franciscus Thomas Senensium Chronographus*, & post eum *Aub. Mireus in Canon. Reg origine cap. 4.*

Inuentio S. Crucis de Burgos.

Episcopus Sebastiensis Rodisquez.

Antiquitas Monast Senensis.

Non ignotum fuisse hoc Eremitarum S. Augustini institutum in Germania hoc sæculo patet ex Historia Bohemica in qua Bertislaus Bohemorum Dux *anno M. XL.* vel vt Æneas Syluius scribit an. M. XXX. de Henrico tertio Imperatore triumphans, Monasterium amplissimum ad limites Hyrciniæ syluæ Deo, B. Virgini, ac S. Augustino Eremitis S. Augustini exædificasse legitur pro sua suorumque militum qui in hoc conflictu ceciderant fideli sepultura, iuste ac religiose de resurrectione cogitans. Illud Monasterium vna cum Ecclesia consecratum fuit paucis annis post à Seuero Episcopo. Constat idem certissime ex plerisque non solum Conuentuum, quæ domesticam tantum facerent apud aliquos fidem, sed etiam publicarum ciuitatum ac regnorum Archiuijs. Irrefragabiles etenim Bohemici regni tabulæ An. M. LXXXVI. meminere Conuentus. S. Thomæ Pragensis, quod & nunc, & tunc erat Eremit. S. Augustini: nam illo anno iuxta easdem tabulas Vaoteck de Blasao protestatus est se vendidisse hæreditatem suam in Postreiseo, vndecim sexagenis grossis annui census cum curijs rusticalibus Cooueotui Eremit. S. Augustin. S. Thomæ in minori ciuitate Pragensi.

Hagetius in historia Bohem.

Antiquit. Monast. Pragensis.

Milens. in alphab. littera P. & S.

Imo aliquot annis ante scilicet M. XLV. non caruit Rheoana Prouincia plerisque fuodationibus Eremit. S. Augustini quorum opera vtebaorur Episcopi vt populum ad veram Christi fidem conuerterent, conuersos ve-

to in eadem fide seruarent. Sic legimus apud Petrum Gregorium, quod Spiræ hoc anno Concionator Augustinianæ professionis quendam Satrapam aulæ Regiæ; & cum illo plurimos ad fidem Catholicam perduxerit. Hoc eodem sæculo circa annum M. LIX. in Regno Castellæ iuxta Carauacum extitit Monasterium Eremit. S. Augustini, S. Engraciæ nominatum, eo quod hæc sancta Engracia persecutione proprij parentis fugata, ac iuxta montes Carauacenses reperta, ab eodem suo parente fuerit ibidem capite truncata, ac corpus in proximum Eremitorium Fratrum S. Augustini delatum, vt exprimit latius *liber 1 Primatia Archiuy Braccarensis*. dum S. Benigni, & Ausberti Archiepiscoporum vitam recenset. Vaseus in Chronic. huius anni P. Hieronymus Romanus & alij historici.

Capvt XVII.

De resuscitatione Canonicorum Regularium hoc sæculo sub Regula S. Augustini.

Clerici Regulares restituuntur.

Hoc etiam sæculo Canonici Regulares S. Augustini; quorum hactenus ab anno Domini CCCC. nullam fere in authoribus inueni mentionem, inceperunt in publicum prodire, ac nouam Religionis suæ faciem in melius restitutam extollere; vt inferius ex Vrbano II. deducam, magno Ecclesiæ commodo, & Regulæ S P. Augustini incremento. Illis etenim à Gelasio I. in Lateranensem ædem inuectis, ac à Gregorio III. amotis, nescio quo fato hoc institutum tam laudabile ac pium videbatur, si non perijsse, saltem ab emissione votorum substitisse, & vitam communem ac habitum vniformem, simul cum Regula neglexisse: nam vt constat ex relationibus Conciliorum, tempore Pelagij I. tum ex Concil. Turonensi, tum scriptis S. Gregorij, Canonici quidem vocabantur, sed iam tunc vel paulo post non secundum Canones viuebant, regulamque S. Augustini reliquerant: tempore enim Caroli Magni in Conc. Cauillonensi mentio fit Regulę S. Benedicti, & pro Canonicis relicta mentione Regulæ S. Augustini, sanctorum Patrum Canones illis præscribuntur (teste Aimonio) vt vita illorum ad primam institutionem Clericorum Regularium reduceretur. Sic de Imperatore Ludouico Pio anno DCCC. XVII. legitur quod in Concilio Aquisgranensi proposuerit Patribus Concilij, *monendo, vt quia Canonicorum vita sparsim in sacris Canonibus, & in sanctorum Patrum dictis erat indita, propter simplices quosq, minusque capaces aliquam ex eisdem sacris Canonibus, & sanctorum Patrum dictis institutionis formam, pari voto, pariq, consensu exciperent.* Vbi exprimitur satis clarè, vnde deducatur forma viuendi Canonicorum, scilicet *ex Sanctorum Patrum dictis*, quod etiam insinuant Patres Concilij in responsione ad hanc Imperatoris instantiam. *Ex Canonica authoritate & SS. Patrum dictis velut ex diuersis pratis quosdam flosculos carpentes hanc institutionis formam excipientes & Canonicis obseruandam conferentes.* & in alio Concil. Aquisg. determinatur; *Vt Canonici secundum id quod continetur in libro qui de eorum vita collectus est, religiose conuersentur, Monachi vero secundum Regulam à S. Benedicto traditam*, &c.

Viuunt secundum Regulam SS PP.

Cap. 22.

Lib. 5 de gestis Franc. c 10.

Propositio Ludouici de clericis.

Ann. 833. c. 15.

Circa annũ Dom. 1050.

Vno fere tempore ab Alexandro II. iuxta Lucam, ab Iuone Carnotensi in Galliâ, & ab Arnulpho Lugdunensi iuxta Lugdunum, & à pijs viris præcipue opera Conrardi Abensbergens. Archiepiscopi Salsburgensis in Germania hac fuere restituti Canonici ad normam Clericorum S. Augustini, qui duo illa coniunxerat, vt admirabili connexione Clerici & Monachi simul essent.

De Alexandro. II. Sic scribit Onuphrius in Cbron. *ad annum M. L XII. Alexander. II. Papa Lucensis Episcopus ordinem Canonicorum regularium fouit ac restituit Romæ, Lucæ & alibi in Italia.* Floruit sub initium huius restaurationis. S. Frigidianus. Post S. Frigidianum sanctitate & miraculis celebris anno M.LXXX. floruit B. Bernardus in Italiæ finibus Augustæ Prætoriæ in Salassis ortus ac in plerisque Monasterijs Ordinis Canonicorum regularium educatus, sub regula S.P. Augustini, sanctissimeq; obijt in Monasterio S. Vrsi, de quo latius Philippus Ferrarius in suo Catalogo SS. Italiæ. De Iuone autem ita refert Vincent. in spec. hist. lib. 26. cap. 51. *Ordo Canonicorum qui primo ab Apostolis postea à S. Augustino fuit institutus, cœpit florere in Ecclesia S. Quintini Bellouacensis sub Ven. Iuone eiusdem Ecclesiæ Præposito.* Hoc idem confirmat S. Antoninus. *part. 2. historiár. tom 9 c. 8. § 2. & 3.* De tempore huius restitutionis satis conuenit inter authores, cum plerique imo fere omnes assignent *annum M. LXXX.*

De Arnulpho autem Abbate, & postea Episcopo Lugdunensi narrat Nauclerus *2. volu Cbron. generat. 37.* quod circa eadem tempora egregiam operam impenderit in ecclesiasticorum reformatione, ac præcipue in suæ familiæ clericali reductione, *quos* inquit *S. Augustini regulis adstrinxit.* Putat etiam hic author vti plures cum eo, quod ex tunc Domini Canonici Regulares hoc nomen inceperint obtinere, ad differentiam Canonicorum sæcularium, qui nullis certis regulis obstricti, solum sanctorum Patrum & conciliorum regulis initiabantur.

Non multo post peruenit Regula S. Augustini ad Canonicos Regulares Germaniæ: primam enim illius mentionem inuenio in bulla Vrbani II. confirmante fundationem Monasterij de Raitenbuech sub Vldarico Præposito factam, non *anno MC L XXXV.* vt Myreus per errorem ponit, sed M. LXXXX. quando adhuc Eremitæ ibi viuebant. Ante hunc annum, in plerisque Monasterijs, & in alijs etiam adhuc diu post hunc annum, vitam quandam canonicam vocatam, id est regularem communem, viuebant pauperculorum fratrum, in tanta simplicitate, vt tum viri, tum mulieres sub eodem tecto exciperentur, familiari quadam, pia tamen & domestica conuersatione, vt videre est in fundatione S. Nicolai Passauiensis, in Rantzhouio, in Pollinga, & alijs eiusdem instituti celeberrimis Monasterijs. Hoc autem anno resuscitata fuit Regula S. Patris Augustini pro fratribus Canonicis, quæ hactenus à solis Eremitis quamuis dispersis fuerat in pretio habita: datumq; nomen Regulare Canonicis à Regula S. Augustini desumptum, quod illa Regula antonomastice Canonicam vitam degentibus accederet. Hoc indicat ipse Vrbanus II. in bulla cit. his verbis. *Duæ ab Ecclesiæ sanctæ primordijs institutæ sunt vitæ: vna qua infirmorum debilitas retinetur, altera qua fortiorum inter beata perficitur, &c. Hæc autem quæ à terrenis diuino fauore deuertitur, in duas vnius pene eiusdemque propositi diuiditur, portionem, scilic. Canonicorum, & Monachorum, harum secunda per diuinam misericordiam frequentia facta est in sæculo vniuerso Prima verò decalescente feruore fidelium iam pene omnino defluxit, hanc Pontif Vrbanus instituit, hanc Augustinus suis Regulis ornauit, &c.* Ante hunc annum plura huius instituti Canonicorum Monasteria instituta fuere in Belgio inter quæ celebris extat adhuc Præpositura hodie Loo dicta, ac alia demolita iuxta Brugas, quæ à quercubus nomen obtinuerat ædificataque fuerat an. M. L. imo Aroosiæ Monasterium ponitur à Myreo anno M. exstructum, quamuis non ita post, illius originem integro sæculo recentiorem faciat illius fundationem: & de his putem idem esse iudicium q; de Germaniæ Monasterijs, quorum licet aliqua ante an. M.LXX. ædificata, ante illum tamen Regulam. S. Augustini non obtinuisse certius esse iudico.

CAPVT XVIII.

De alijs Ordinibus accedentibus ad Regulam S. Augustini post Virginis partum decimo sæculo.

SICVT ardens lucerna inter noctis tenebras maxime fit conspicua, & ita omnibus bonis grata, vt eam vti ducem, ac viæ suæ terminum viatores insequantur; malis vero ita inuisa, vt pro virili suo eandem extinguant: sic Regula S. P. Augustini hoc sæculo in sublimi Ecclesiæ ad instar lucidissimæ facis exposita plurimorum in se rapuit obtutum, ita vt de vita in melius restituenda cogitantes, huic lumini sese applicauerint, sperantes sese cum hoc tam felici lumine illustratos ac directos aliquando posse videre increatum, ac æternum illud lumen, quod tanquam obiectum iustos ac electos omnes beatificabit.

Ordo Grandimontensis. Liber Chron. ætate 6 fol. 215

Hoc certè mouit egregium illum Comitem Auernensem Stephanum, *Anno M. LXX.* sanctitate ac doctrina conspicuum, vt cum sese, suosque socios, ad cæleste illud brauium studeret conducere, pijs religiosisque Eremitarum statutis efformando, mores sæculares immutando, ac Religiosos introducendo, animum & mentem applicauerit ad Regulam S. Augustini, quã Religiosis Grandimontensibus Mureti præscripsit, obtenta confirmatione sui instituti sub Regula S. P. Augustini, à sede Apostolica, in qua tunc Præsidebat Alexand. II. sic latè describit originem huius Ordinis Vincent. Bell. Scio tamen circa annũ M. CXXXVI. Religiosos huius instituti, Regulam S. Augustini occasione controuersiæ cuiusdam, de qua inferius, reliquisse ac eam quam S. Benedictus suis præscripserat, ab Apostolica sede impetrasse, ac locum Mureti in Grandimontensem commutasse.

In Specul. hist. lib. 25 c. 50.

Melitenses Equites sub Regul. S. August.

Hoc etiam sæculo institutus fuit celeberrimus Melitensium Equitum, Ordo à IOANNE eleemosynario Patriarcha Alexandrino primum in Hospitali S. Ioannis Hierosolymæ, approbatusq; fuit sub Regula S. Augustini à Gelasio IV. qui & vestem nigram, cum candida cruce eisdẽ attribuit, idem hoc institutum confirmante, vti & Ordin. constitutiones F. Raymundi Rodij, Honorio II. Initijs huius Ordinis tenuissimis, accessere variæ eleemosynæ etiam Principum, quorum subsidijs innixi feliciter aliquoties in Sarracenos exercitũ duxerunt, liberalitate etiam Clementis V. Rhodi insulam obtinuerunt ac seruauerunt vsq; ad *annum M. D. XXIII* quo eadem à Solymanno victa, illis erepta fuit & adhuc hodie pressa gemit. nunc autẽ Melitensem occupantes, diuisi in octo linguas seu Prouincias, quibus singulis præest Prior vnus, & his omnibus Magister supremus Ordinis, cum Principis titulo, maiestate & opibus magnis Principibus par, fortuna, industriâ, & magnanimitate aut æqualis aut superior.

Tarraconenses Equites,

Nec hic mihi prætereundus est Ordo Clericorum Regularium S. Antonij Tau gerentium quos instituit de consensu Vrbani *circa an. M XCV.* Gasto vir nobilis, eiusque filius Gerindus apud Motam Viennensis dioecesis in Gallia oppidum, ad custodiam corporis S. Antonij; nulli tamen adhuc tunc temporis addicebantur Regulæ, sed solos habebant Patres Ordinis S. Benedicti sibi adiunctos pro missarum celebratione, ac Sacramentorum administratione Quando autem & quomodo ad Regulam S. August. accesserint dicemus inferius.

CAPVT XIX.

De Propagatione Ordinum S. AVGVSTINI sæculo M. C.

FErtilissimum hoc sæculum Religiosis, & gloriosissimum Regulæ, ac Beato P. Augustino magno vtriusque Ordinis quondam in Africa fundati incremento. Etenim hoc anno M. C. Rex discipulos Arnulphi, qui egregius Dei præco fuerat, plurima Monaste-

ria

riâ Canonicorum Regularium S. Augustini in Gallijs fuere excitata, ac institutum tam laudabile mirabiliter per Italiam fuit propagatum. Celebre inter cætera memoratur cœnobium S. Augustini iuxta Valentiam Delphinatus, cuius amplitudinem, opulentiam, beneficentiam, ac Monasticæ vitæ disciplinam refert *Aimarus Falco*. Hac etiam ætate fundata fuere pene omnia Monasteria Bauariæ huius instituti à pijs nobilibusque Heroibus, authore, instigatore, promotore, nec non liberali dotatore Conrado Archiepiscopo Salisburgensi: cuius tanta fuit in D. Augustinum zelus, vt *anno M C.VI.* omnes suæ Cathedralis Ecclesiæ Canonicos Salisburgenses, ad communem vitam, secundum Regulam S. Augustini conduxerit, eamque Ecclesiam ex sæculari regularem fecerit, confirmante & approbante tam pium conatum Paschali. II. duodec. Calend. Nouembris. sub quo etiam instituti fuere Berchtesgadenses, Pampurgenses, ac ad regulam S. Augustini accessere Rantzouienses, Reichersbergenses, Diessenses & alijs satis bono numero, bene dotati, & bonis moribus adhuc hodie condecorati. Præter Bauariæ Monasteria, in sola Germania & Gallia hac ætate vltra 300. Monasteria fuere erecta, & à summis Pontificibus Calixto, Lucio, Paschali, & Honorio sub Regula S. Augustini confirmata.

Canonici Regul. per Armol. phum propagantur.

Fundat Germaniæ quanda & per quem.

Vixerunt etiam inter hos Fratres Regulares S. Augustini plurimi non sine sanctitatis opinione celebres, præcipue in Passauiensi, Salisburgensi, Neoburgensi Austriacorum, & in Cherasensi cœnobijs. inter quos an. M. C.XX. emicabat B. Hartmannus, qui postquam varias Canonicorum Regularium fundationes virtutibus & exemplis irrigasset, ijsque tum in officio Decani ac Præpositi præfuisset, multorum miraculorum patratione sanctissimem Domino obdormiuit.

B Hartmannus.

In Gallia celebrem congregationem S. Victoris. Ord. Canonic. Regul. S. Augustini *anno M C.XIII.* sumpsisse exordium ferunt Historici, quæ non ita post produxit viros eruditione & pietate insignes Richardum & Hugonem à S. Victore, quæque per eiusdem Monasterij S. Victoris alumnos multa alia in Gallijs & Belgio excitauit Monasteria, ex quibus abundantissimi fructus in Dei Ecclesiam deriuantur.

Congreg. S. Victoris Canon. Regul.

Innocentius etiam. II. in Italia non minus piam quam rigorosæ disciplinæ legibus munitam suscitauit Cõgregat. Canonic. Regul. S. Augustini Bononiæ apud S. Saluatorem, & canonicam Eccl. S. Mariæ de Rheno, quorum alumni tunc primum receperunt leges ac constitutiones B. Petri Damiani pro reductione Canonicorum editas.

Reformatio Canon Regul Bononiæ & iuxta Bononiam.

Neque hoc sæculo cessauit pullulare languida pene & emortua propago S. Augustini Eremitica, cuius Coloniæ ac Eremitoria exilia certè (quippe quæ mendicato sustentabantur) in Italiæ, ac maxime Lombardiæ, & Etruriæ partibus reparabantur. Quippe *anno M.C.IV.* Paschalis I. Tuscus concessit Eremitis S. Augustini Conuentum Romæ S. Mariæ de populo, totius vrbis Monasterium celeberrimum. Fuere quondam in hoc loco sub ingenti arbore nucis sepulta ossa truculenti Neronis, solebatq; forte ob hanc causam is locus diabolis esse gratior & familiarior, quem etiam strepitum, responsis & mendacijs suis reddebant solennem, donecà prædicto Pontifice solennissimo exercismo eiecti, ac sancta commutatione Religiosi Eremitæ S. Augustini suffecti fuerunt. Tunc enim Pontifex ad securim manus apposuit & vna cum decem Cardinalibus ac 33. Episcopis arborem vastissimam præscidit, ossa Neronis igne concremari iussit, Deoq; Ecclesiã exstrui, quã Ecclesiam postea summi Pontifices multis fauoribus prosequuti varijs indulgentijs, & muneribus exornarunt.

Eremit S Aug. fundatio. nes.

Fund. S. Mariæ de populo.

Alia fundationes.

Eodem tempore Eremitoria Vallis rosiæ, S. Luciæ, Malleuallis, Montis pruni, Liceti, Papiæ, Veronensis suburbij S. Blasij, iuxta Brittinam S. Antonij in Ardigneto, & Volæ iuxta Mediolanum fuêre restaurata, & pio consilio, communione quadã inter se stabilita varia loca Italiæ *Anno M.CX.* Cõmune suæ Congregationis caput constituere B. Iohannem de Spelunca; de quo scribit Henricus Vrimariensis author ante CCCC. annos celebris, in tractatu de rebus Ordin. S. Augustini. *A tempore S. Patris Augustini multi fuerunt Pastores dicti Ordinis, sed & negligentia scribentium & diuturnitate temporum ignorantur, de quibus tamen, & ex scriptis antiquis, & ex antiquis Patribus hæc habere potui. Circa annos Domini M. CX. electus est Generalis B. Iohannes de Spelunca, qui etiam præfuit tempore Alexandri tertij.*

Anno M. CXXXVI. Eremitæ S. Augustini litem mouerunt Religiosis B. Stephani Grandimontensibus, decertantes de loco Mureti, prope vrbem Venetam, quem Grandimontenses eo quod sub Regula S. Augustini profiterentur & Eremiticam vitam degerent, sibi arrogabant, valide se opponentibus Augustinianis Eremitis, qui vt parem referrent gratiam, aliorum loca inuadebant. cui malè dissensioni vt occurreretur, Religiosi Grandimontenses Regulam mutarunt, & ad S. Benedicti Regulam accesserunt.

Eremitæ Vlyssiponæ.

His annis Conuentus Vlyssiponensis S. Vincentij inhabitatus fuit per quendam Walterum Flandrum & quatuor Religiosos Eremitas S. Augustini, qui sese exercitui regis Alphonsi Mauros debellanti coniunxerant. vt colligitur ex eiusdem monasterij monumentis, quæ adhuc ibidem extant sub cura RR. DD. Canonicorum Regularium, inter quæ extat liber Originis illius loci, vbi fol. 84. refertur, *quod Rex Alphonsus capta Vlixbona & cogitans deponendis Religiosis in S Vincentio, accersiri iussit Gualtherum, & alios duos fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini & voluerunt ibi manere.* Tunc euocauit Canonicos S. Augustini; Eremitæ vero ad locum S. Genesij migrauere, vbi habitauit primo Frat. Odotius, qui *anno M. CXC.* subscripsit admissioni FF. S. Dominici.

B. Iohannes Ciritta.

In eodem Lusitanico districtu floruit hoc sæculo B. Iohannes Ciritta, Eremita Augustinianus, inhabitans monasterium S. Christophori Foes: cuius meritis ac precibus Lusitania obtinuit Regem & successorem regni. nam, vt scribit F. Hieronym. Roman. lib. 9 historiæ Ecclesiasticæ cap. 44. Comes Henricus parens primi Regis Lusitaniæ Alphonsi Enriquez matrimonio coniunctus fuit filiæ Regis Legionensis Domicellæ Theresiæ, cuius liberalitate in dotem acceperat partem Regni Lusitaniæ, quam non ita pridē Mauris ademerat, atque vt illius excitaretur animus additum erat quicquid deinceps posset à Mauris, strenuitate ac marte acquirere. Erant ramen

B. Iohannis Ciritte precibus 1. proles Lusit.

selectissimi hi coniuges sine liberis, immo sine liberorum spe, vnde piorum preces implorandas iudicarunt præcipue F. Iohannis Ciritte Ordin. S. Augustini Eremitæ, cuius tunc erat fama sanctitatis maxima, quem vt adijt Rex Alphonsus eundem interpellaturus, vt apud Deum pro fœcunditate intercedat, obtinuit à B. Iohanne certam spem futuræ prolis, & suo tempore prolem masculam, quæ Alphonsi nomine primo Lusitaniæ regni coronam gestauit, eam que hoc regnum B. Iohanni Ciritte libenter debuit.

S. Bernard. fu't familiaris B. Iohanni Ciritte. Religiosi Eremitæ S. Augustini fiunt Bernardini.

Huic B. Iohanni familiares litteras scripsit S. Bernardus, eique per easdem sui instituti Patres, tunc primum in Lusitaniam transmissos commendauit, sub annum Dom. M. CXX. has litteras edidit non ita pridem ex certis archiuijs monasterij S. Christophori Foes. R. P. Bernardus Britto Ordin. S. Bernardi scriptor, in sui Ordin. monumentis lib. 2. cap. 2. & 3. vbi etiam continetur commendationis effectus, ac diligens promotio transmissorum fratrum à B. Iohanne Ciritta Augustiniano, qui dictis Fratribus S. Bernardi proprium locum concessit, & ad illorum institutum transiuit cum Fratre Pe-

tro,

tro, Pelagio, Aluaro, Andrea, Lupo, Hernando & Rosindo, qui omnes pr us ex Ordin. Eremit. S. Augustini fuerant, vt idem P. Bernard. Brito. c. 14. suæ historiæ fatetur.

At ne coriculas in Africa videar velle inuenire, in Germaniam propero Vbi teste Azorio erectum fuit Monasterium Eremit. S. Augustin. Coloniense, Anno M C LXIII. & aliquot annis ante illud Confluentinum, & prius adhuc Spirense, vt supra vidimus. Coloniensis etenim fundatio hoc anno est certior: nam illa originem sumpsit à trium Regum translatione. illa enim corpora Coloniam fuêre translata per Vindolfum Archiepiscopum Mediolanensem, & iam ante professione Eremitâ Augustinianum. quod late describit Illescas lib. 5. Histor. Pontif. cap. 26. Mart. Polonus in Friderico Anno M. C L I I. P. Hieron. Rom. cent. 8. in Chron. nostri Ordin. ponit fundat. Monast. Coloniensis, anno M. C L X V. ab Illustr. Principe Archiepisc. & Electore Rudolpho factam. Idem asserit Azorius & Pamph. Immo iam his annis non procul à Ratispona extabat Eremitorium Fratrum S. Augustini, ex quo desumpti fuere Religiosi pro Monasterio intra Ratisponensis ciuitatis mœnia anno M. C C L X. extructa Capella quæ modo adhuc Ordini manet, tempore Guidonis Prouincialis, qui vno anno Religiosos misit Ratisponā, in Seemanshausen, in Vallem speciosam, Pivoniam, ad Insulam S. Mariæ iuxta Pragam, & ad alia loca. quod facere non potuisset, nisi diuersa in diuersis locis habuisset sui Ordinis Eremitoria, ex quibus Religiosos euocasset.

Fundament. Monasterij Coloniensis.

Eremit. S. Augustin. Ratisponæ.

CAPVT XX.

De Origine & Ordine Præmonstratensium accedente ad Regulam S. Augustini.

EATEMVR hoc anno M. C XX. incredibilem & indubitatam gloriam accessisse Regulæ S. Augustini per candidissimum Ordinem PRÆMONSTRATENSIVM à D. Norberto institutum. D. Norbertus etenim, cum zelo Dei incensus Romam deuenisset à Gelasio Papa in Gallias missus, Laudunensi Episcopo Bartholomeo sese adiunxit, ac multorum precibus inuitatus, locum vitæ suæ iuxta Præmonstratum sibi delegit. Cameraci itaq; reti euangelico intendens 13. ac paulo post quadraginta sibi socios acquisiuit, quibus dum de Regula porrigenda cogitaret D. Augustinum videre visus est, qui & auream Regulam offerret, his verbis: *Quem vides, Augustinus ego sum, Ecce habes Regulam, quam ego conscripsi sub qua si bene militauerint Confratres tui, filij mei adstabunt securi in iudicij extremi terrore.*

Habet hic Ordo peculiare quod in omnibus fere Orbis partibus, Pastoratibus deseruiant maximo certe animarum fructu, dum ex Monasterijs, tanquam ex scientiarum, ac bene viuendi seminarijs, probatiores ad Præpposituras, & Pastoratus dimittuntur, in ijsque Religiose, castissime, sub obedientia Prælati, ac sine proprio viuunt, cum socio, singulis annis suæ fortunæ ac vitæ rationē exponentes Prælato omni cum synceritate, ad illius etiā nutum amouibiles: prout ipse didici experientia, cum *anno M. DC. XII.* in partibus Rhenanis nomine sedis Apostolicæ, eadem fultus authoritate, pleraque Monasteria visitarē, in quibus plura inueni quę imitarer, quā quæ corrigerē.

ORDO PRÆMONSTRATENSIVM.

Apparitio S. August. facta S. Norberto.

Surius in Vita D. Norbert. Chron. Cap. penbur. Stem. Lauretz. Stemfeld. Knechsted. Arnstein. Romersdorf. &c.

Vno anno post hunc etiam celebrem ramum insitū Regulæ Augustinianæ, alius sub eadem, surculus exercuit in Gallia, *Ordo fontis Ebraldi* dictus, à Calisto 2. sub Regula S. Augustini approbatus, ac in Ecclesiæ Romanæ patrocinium assumptus. Institutus autem fuit hic Ordo à Roberto Abrucelis maxime in partibus Suessionum. Vbi etiam adhuc hodie radices illius sunt, quamuis Regulam solo nomine obtineant, & à sæcularibus magis quam à Religiosis inhabitentur Monasteria, huic Ordini quondam adscripta.

ORDO FONTIS EBRALDI. *Anno 1121.*

Insignem

CONGREGAT. CANONIC. S. SPIRITVS. *Anno 1144.*

Insignem Congregationem Canonicorum Regularium sub Regula S. Avgvstini excitauit hisce annis in eadem Gallia *Guido Montispessulanus* titulo *S. Spiritus Hospitaliariorum*, quibus infirmos commisit, vt eisdem tum temporalia tum spiritualia subministrarent. in quem finem, vt à ceteris presbyteris secernerentur huic pietati destinati, voluit vt cruce alba dupliei ligno transuersa in pectore insignirentur, quo signo illis & Christi, & proximi Crux infigeretur. Huic Congregationi locum & officium idem, dedit Romæ in Saxia ad S. Spiritum *Innoc. III.* ædificato hospitali amplissimo, vbi nonnunquam mille quingenti infirmi curantur, vbi orphani & expositi vtriusque sexus pueruli educantur, vbi mirabili omnium studio, & industria pauperibus, diuitibus, iunioribus & senioribus, nobilibus, ignobilibus, infirmis & sanis ad necessitatem prouidetur ex medijs hospitalis, quæ opulentissima sunt ad inuidiam exempli.

Hospitale S. Spiritus Romæ.

CAPVT XXI.

De admirabili pœnitentia S. Guillelmi Eremitæ sub Regula S. Augustini.

Diuersi Guillelmi extitere.

Maxima inter Historicos ratione huius S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ exorta fuit, hodieque durat controuersia. Quam vt à nomine auspicemur sepositis Guillelmis, qui virtute & sanguine fuere illustres, quorũ vnus Dux Aquitaniæ, & Comes Prouinciæ extitit circa an. DCCC. VI. quem *Petrus de Natal. cap 61.* Religiosum facit Benedictinæ familiæ, post debellatos Sarracenos. Alter teste Chiopp. fuit Guillelmus Scotiæ Regis filius, Acacij Regis frater qui post strenuam operam militarem Carolo Magno impensam, plures domos Benedictinæ familiæ ædificauit in Germaniæ & Italiæ oris. Tertius Guillelmus dictus Pius, Dux Aquitaniæ circa ann. Dom. DCCC. LXXIX. fundauit Monasterium Cluniacense. Quartus Guillelmus Dux Normandiæ, Longi gladij agnomine nuncupatus erexit Abbatiam Lumiacensem circa an. DCCCC. XXX. quẽ an. DCCCC. XLII occidit Baldouinus Comes Vermandorum. Quintum Guillelmũ reperio Ducem Aquitaniæ, Comitem Pictau. & Auerniæ, agnomine Capitis imbellis, quem abauum huius nostri fuisse existimant Authores. Sextum etiam Guillelmum adducit Genebrard, natione Anglum, quondam Ordin. Grandimont. ac postea Cisterciensis. Septimum tandem Guillelmum habemus contemporaneum huic nostro, etiam catalogo Sanctorum inscriptum Vercellensem, institutorem Ordin. montis Virginum, cuius dies agitur 25. Iunij. His inquam omnibus omissis, nos tantum instituimus sermonem de S. Guillelmo V. Duce Aquitan. filio Guillelmi IV. Ducis dicti Geofridi, quem Philippi Hispaniarum Regis faciunt authores merito auum decimum septimum. Filiam enim reliquit Leonoram, quæ primis nuptijs Ludouico VII. Franciæ Regi iuncta iterũ iuncta fuit Henrico Angliæ Regi. Leonoræ filia Leonora, Alphonso Regi Castellæ. horũ filia Blanca Ludouico Regi Franciæ, deinde S. Ludouicus Margaretæ Aragoniæ. horũ rursus filia Blanca Emanueli Regi Castellæ, qui Ferdinandum habuere coniunctum Ioannæ. hi rursus Ioannam filiam dedere Henrico. Henricus Ioannem filium Regem Castellæ & Legionensem Isabellæ: quorum filia Isabella nupsit Ferdinando Regi Aragoniæ & Siciliæ, qui filiam Ioannam coniunxere Philippo Archiduci Austriæ Duci Brabantiæ & Flandriæ Comiti, parenti Caroli V. qui iunctus Isabellæ habuit Philippum II. qui cum Isabella Franciæ infante Claram Eugeniam Isabellam genuere, hodie Belgicarum Prouinciarum Dominam, ex 4. nuptijs cum Anna Austriaca Philippum III. qui nostra ætate Margaretæ iunctus, Philippum

Lib. 2. Monast. Hector Boeth. in ann. Scot. Ioan. Leslens. lib. 4. rerum Scotia.

Thomas Costus Baron. martyr.
S. Guillelmi posteritas.
Garibay in fine histor. Reg. Franc. Laur. lib. 2. c. 18

S. GVILELMVS EREMITA AVGVSTINIANVS.



Quis docuit solum te visere lustra ferarum?
Vir te monte ferox assimulare feris?
Absit ab hoc animus: tenero quia mitior agno
In sylvâ recubas à feritate procul.

Dive nimis felix! hæc est mutatio dextræ
Excelsi, dextrè qui sua quæque mouet.
Olim qui Proceres fidei ferus oppugnasti:
Nunc tecum pugnas; vince: triumphus erit.



pum hodie regnantem vna cum Elisabeta Borbonia, nobiles ramos à tam nobili trunco S. Guillelmi, qui in sua familia numerant hodie præter S. Guillelmum 17. Sanctos à sancta Ecclesia Romana declaratos. Sigismundum regem Burgundiæ Martyrem 1. Maij. S. Arnulphum Ducem Mosellannum, 15. Iulij. S. Pipinum Ducem Brabantiæ. S. Vegam huius Pipini filiam. S. Clodulphum Arnulphi filium. S. Carolum Magnum 28. Ian. S. Mechtildem vxorem Imperatoris Henrici I. 14. Martij. S. Helenam Principi Russiæ iunctam. S Olaum Regem Noruegiæ Martyrem. S. Ladislaum Regem Vngariæ. 27. Iunij. S. Malcolmum III Regem Scotiæ vna cum vxore S. Margareta. S. Leopoldum Marchionem Austriæ 15. Nouemb. S. Ludouicũ Regem Franciæ, 24. August. S. Vinceslaum Regem Bohemiæ. S. Isabellam Reginam Lusitaniæ 4. Iulij.

Sancti ex quibus Originem ducit Rex Hispan.

De hoc ergo Guillelmo sermonem mihi facturo videntur illius res apud posteros plus famæ habere, quam fidei, ob insolitum pœnitentiæ modum: Suspecta enim est huius sancti viri historia Baronio maxime si dicatur vsque ad annum M. CLVII. vixisse, scisma contra Petrum Anacletum fouisse, Eremitam egisse, ac Religionem aliquam professum fuisse. Legit enim ille apud Siguerium Abbatem, Guillelmum Ducem Aquitaniæ Anno M. CXXXVI. iter in Hispaniam instituisse, ac apud Iacobum Galliciæ interijsse: quod etiam videntur scripsisse Paulus Æmilius, & Aimonius nobiles scriptores rerum Gallicarum, qui nullã huius S. Guillelmi mentionem faciunt post hunc annum M. CXXXV. quamuis frequenter agant de filia eiusdem Ducis Guillelmi Leonora Ludouico VII. Regi Galliæ nuptui tradita, ac repudiata.

Lib. 5.
Opiniones de S. Guillelmo.

Alijs etiam incredibile videtur hunc S. Guillelmum Ordinem, seu Regulam S. Augustini professum fuisse, vel aliquem Ordinem sub illa Regula instituisse, at potius volunt illum Eremitico, & diuerso habitu instituroque omnino vixisse: prout satis splendidis verbis videtur conijcere Sampson Haijus, & Renatus Chioppinus, qui etiam recentiores aliquot inuenirent asseclas: vnum legi Myreum, quem miror Gallica facilitate seductum Ordinis nostri grauissimos historicos inculpantem, quod nimio Ordinis sui amore abrepti, minus vera scripserint.

Errores aliquorum de fundationibus S. Guillelmi.

Vtrumque tamen verissimum putem, & facillime posse probari, contrariaq; argumenta non ita difficulter posse solui, vt quilibet nisi obstinatus, nostro instituto inimicus, & gloriæ S. P. Augustini inuidus sibi persuadeat S. Guillelmum Ducem Aquitaniæ post conuersionem egisse pœnitentiam in habitu Eremitico, ac normam S. Augustini sequutum fuisse.

Primum testatur Theobaldus D. Guillelmo fere coætaneus in vita eiusdem Sancti cap. 8. 9. & 10. Petrarcha lib. 2. de vita solit. tract. 3. c. 13. *Hic enim ætatis florem cum terrenæ militiæ dedicasset, in deserto senescere maluit & mori, vltimis vitæ fructibus cælesti militiæ consecratis.* Sabell. Ænead. 7. lib. 9. Panuin. ann. M. CLX. Pineda lib. 22. Monarch. cap. 22. §. 8. de Natalib. cap. 2. Molan. Morig. lib. 1. c. 22. Azor. lib. 12. c. 23. q. 5. Volaterr. lib. 21. Anthrop. Berg. lib. 9. Baro. ipse ponit epist. S. Bernardi ad Guillelmum in cuius fine inquit: *Hæc Bernardus, nec quidem frustra, siquidem idem Princeps vere pœnitens austerissimum vitæ genus arripuit, & Christianæ perfectionis verticem attigit.* Idem sentit de vita Eremitica S. Guillelmi Villeg. Sampson Hayus, Chioppinus, Sorbus, Bellarm. de Ascens. mentis in Deum. cap. 4. grad. 6. Et vt pluribus supersedeam, hoc colligitur ex Testamento S. Guillelmi cuius talis est tenor. *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis quæ est vna Deitas, hoc est Testamentum quod ego Guillelmus DEI gratia cum D. Guillelmo Episcopo facio in honorem Salua-* *toris*

S Guillelmus fuit Eremita.

Martyr. 10. Feb n. 3 in not, ad mart. 10. Feb. & tom. 12. Annal. Anno 1135. Comprnd, primel princ. Anno 1136.

toris mundi, & Beatorum Martyrum, & omnium Confessorum, & Virginum, & maxime Virginis Mariæ, cogitans de meis innumerabilibus peccatis, quæ suadente Diabolo temere perpetraui, & timens iudicij tremendi diem, videns bona, quæ videmur tenere, sicut fumum in aere inter manus nostras euanescere, nosmet etiam in hac peregrinatione sine peccato vna hora non posse viuere, & satis paruo tempore manere, & omnia quæ putamus possidere caduca & suis possessoribus grauamen adferre, commendo me Deo, quem relictis omnibus sequi volo. Filias meas Regis Domini mei protectioni relinquo. Eleonoram collocandam cum D. Ludouico Regis filio, si Baronibus meis placuerit, cui Aquitaniam & Pictauiam relinquo. Petronilla vero filiæ meæ, possessiones meas, & castella quæ in Burgundia, vt proles Gerardi Ducis Burgundiæ possideo. Et ne videar degenerare, sed imitari sancta vestigia parentum meorum in bono opere commendans me Deo, & sanctis eius, & in bonis operibus societatem seruorum Dei, volens benedictionem accipere, de omnibus Monasterijs Dominationis meæ mille libras, terra distribuendas, prout Baronibus meis placuerit. Et quicunque hoc nostrum Testamentum disrumpere tentauerit excommunicatus à Deo, & hominibus existat, qui vero in hoc adiutor fuerit sit omnibus particeps, Signum Guillelmi. S. Eleonoræ. S. Comitis Auernensis. S. D. de Theartio. S. Richeldi Baronis. Sign. Brocardi Comitis.

Testamentum Guillelmi apud Baron. tom 12.

Filiæ Ducis Guillel.

Examinatur Testamentum S. Guillelmi.

Quis non videat testamentum non fuisse conditum à Duce Guillelmo morti vicino, cum dicat *se relictis omnibus velle sequi Christum*, in fine enim vitæ hominis, homo non relinquit diuitias, sed ab ijs relinquitur. Deinde hoc exprimit S. Guillelmus cum dicit se testamentum hoc facere, *quia videt bona quæ videmur tenere, vt fumum euanescere, omnia caduca esse, ac possessoribus grauamina* quibus verbis satis insinuat se statuisse Deo seruire; vt vero tanto liberius possit, nudum se nudum velle sequi. Ac tandem hanc spiritualem mortem quam ingrediebatur sponte sua S. Guillelmus, designant subsequentia verba: *Ne videar degenerare, &c. statui commendare me Deo & sanctis eius, & in bonis operibus societatem seruorum Dei, & benedictionē accipere*, proprie enim viuentes participant merita bonorum operum.

Conditum fuit ante infirmitatem corporalem.

Parisijs Anno 1535. Occasio erroris multorum est ficta mors S. Guillel.

Veram mortem S. Guillelmi tunc non successisse verissime constat *ex Annal. Aquitan. à Ioanne Buchето editis*, in quibus *3. part. cap. 2.* fertur D. Guillelmum circa annum Domini M.CXXXVII. cum aliquot paucis nobilibus venisse peregrinationis ergo ad ædes D. Iacobi de Gallitia, & ibidem pio astu morbum simulasse, Ecclesiæ Sacramenta suscepisse, illiusque suasu diuulgatam fuisse veram mortem, quæ vt certior esset, mandauit fidis suis quibus hoc suum consilium patefecerat, vt præparatū sarcophagum iusto pondere impletum, funebri panno coopertum exponerent, ac terræ demandarent, cum Epitaphij erectione, prout etiam factum fuit: Solenni enim ritu sarcophagus lapidibus impletus, ante summum altare fuit terræ commissus, & lapidi super imposito incisum, *Hic iacet Guillelmus Dux Aquitaniæ*. Memorant eidem Annales, S. Guillelmum interim sese occultasse, ac postmodum assumpto vno ex conscijs socio, Ierosolymam perrexisse dissimulato habitu, quo factum fuit, vt omnes crederent S. Guillelmum vere obijsse. Hæc eadem ita refert, eisque consentit *Sampson Haijus, lib. de veritate vitæ S. Guillelmi*.

Tandem indicat Eremiticā vitam S. Guillelmi nostri Theobaldus, cum dicit de hoc S. Guillelmo, quod, *Appropinquante hora exitus sui, subito primus pallor qui ex cilicio, ferro, squallore, ac inedia corpori eius obrepserat, totus abscessit, vultuq; clarificato, ac lætis oculis minisus antea color accessit*, &c. Quibus verbis indicat Theobaldus magnam, diuturnam ac mirabilem pœnitentiam egisse D. Guillelmum vere propriam tali militi, qui eisdem armis quibus peccauerat, volebat pœnitere: *Vt medelam ferret inde, hostis vnde læserat.* Si enim S. Guillelmus mortuus fuisset eodem anno vel sequenti quo fuit finitum scisma Petri Leonis seu Anacleti, quod fouerat S. Guillelmus contra Innocentium II. vt vult Baron. loco citato; quomodo potuit tantam pœnitentiam fecisse S. Guillelmus? Quomodo tantus pallor ex cilicio, ferro, & squallore potuit corpori eius obrepsisse

repsisse

repsisse tam parua pœnitentiæ mora? quæ ante finem schismatis immo non nisi aliquot mensibus post incepit, nam prius hæsit S. Guillelmus aliquot mensibus cum S. Bernardo, deinde pro absolutione missus, Hierosolymam profectus fuit, ac in patriam rediit, vbi testamentum suprapositum fecit, ac peregrinationẽ instituit ad S. Iacobum. quæ omnia certa in historia S. Guillelmi, tantillo temporis spatio vix fieri potuissent.

Verosimilius igitur est S. Guillelmum post fictionem de obitu superius ex annalibus Aquitanicis positam, Ierosolymam secundo profectum fuisse, vbi & nouennio integro Eremiticam vitam duxit, acerrimũ inediæ, frigoris, tolerantiæ, miseriæ, infirmitatis ac iniuriarum pondus sustinendo, donec putat et sepultam vbique sui memoriam: tunc in Italiam reuersus cæterum vitæ suæ, in Conuentibus Liualliæ, Montis-Pruni, & Stabulo-Rhodis, in Eremitico habitu transegit, prout plerique Authores citati & mox citandi attestantur, quod & ipse Baronius postea agnouit.

Quod vero Theobaldus ab aliquibus arguatur quasi immemor talis fictionis, ac ideo dicant fictam mortem S. Guillelmi esse mere fictitiam, nescio an iusta conclusione hoc inde inferatur: nam Theobaldus vel potuit illam ignorasse, vel illius oblitum fuisse, cum fateatur maxime adultam ætatem & pœnitentiam S. Guillelmi solum à se recitari, *cum ipsius infantia*, (vt ipse fatetur) *parum illi cognita fuerit*, & cum pleraque alia testamentum, quæ res est præcipua omiserit; vel potuit ob varias causas de industria subticuisse fictionis detectionem, ne superuiuentium, ac consentientium, patientium, vel scribentium incurreret inuidiam.

Notis ad Martyr. 10. Feb.

Et si rursus aliquis obiiciat mirum videri quod simul cum Theobaldo nullus Franciæ historicus illius ætatis, tam rarum pœnitentiæ genus prædicet in tanto viro, dicam solere hoc cõtingere Deo sic disponente: res enim notissimæ & maximæ admirationis vix describuntur, maxime si ab vno fatis fuerint expressæ. Probaticam piscinam solus describit S. Ioannes, eamq; silentio prætereunt Gentiles omnes alioqui satis accurati, immo quod maxime mirum, cæteri tres Euangelistæ illam omiserunt; vel adhuc dicam Scriptores illos cum Siguerio, aliisque deceptos fuisse, cum id historicis maxime contingat, qui prima quæque credunt, si nullam inueniant gestorum aut scriptorum Apologiam.

CAPVT XXII.

De S. Guillelmo quod fuerit Ordinis S. Augustini.

ALTERVM antecedentis capitis membrum promittebat probationẽ huius assertionis: Quod S. Guillelmus Eremita fuerit S. Augustini, seu quod sub Regula S. Augustini vixerit. quod eosdem habet assertores, immo multo plures ac rariores impugnatores; paucis etenim exceptis omnes qui D. Guillelmum scribunt superuixisse vsque ad annum M.CLVI. in eremo inter Religiosos, simul asserunt eundem inter Augustinianos vixisse, eorumque Regulam sequutum fuisse. Immo horũ aliqui, vti Genebrardus, Volaterranus, & Nauclerus, putant S. Guillelmum Ordinem S. Augustini Eremitani instituisse, ipsosque à S. Guillelmo formam ac habitus normam primum recepisse, post S. Augustini sæcula, ita vt institutio Eremitarum S. Augustini, qui adhuc hodie extant, D. Guillelmo debeatur. Alii etiam coniecturando vlterius dicunt S. Guillelmum primum Eremitas ad ciuitates conduxisse, quasi ille plurima Monasteria in ciuitatibus ædificari curauerit, cum prius ante ipsum habitarent in syluis. Sic ferunt Monasterium Parisinum ab illo ædificatum fuisse, & in huius opinionis cõfirma-

S. Guillelmus fuit Eremit. August.

Volum. 2. Generat. 41. anno 1215.

Æneas Sylu. in comp. Chron. Merg lib. 1. c. 22. Illescas lib. 5 c. 24. Bergom lib. 12. anno 1154.

firmationem asserunt S. Guillelmum facultatem Apostolicam habuisse, Adriani IV. & Anastasij IV. Alij denique volunt S. Guillelmum particularem Ordinem instituisse, ac propriam Regulam aliquamdiu Religiosos illius instituti sequutos fuisse; donec Pontificis decreto ad Regulam S. Benedicti fuerunt admissi, quam etiam vsque hodie profitentur. Negat autem Hayus S. Guillelmum vnquam sub habitu aut Regula S. Augustini fuisse, cum nec constet sub quo habitũ receperit, vbi habitauerit, cuius obedientiæ in continuis peregrinationibus subfuerit, immo fingit alios Guillelmitas Ordin. S. August. quondam fuisse, qui à D. Guillelmo restituti, postea in vnione Generali Patribus Augustinianis fuere coniuncti. hæc vt persuadeat plurimas profert Summorum Pontif. Bullas Innoc. IV. Alex. IV. Clem. VI.

Hayus de Gente Vita. Chop. ptom 2. lib. mon. Myreus in orig. Bened. lib. 2. c. 15.

Inter tot diuersarum partium studia & sententias probabilissima est eorum qui D. Guillelmum putant, cum à Gallitia recessit Hierosolymam, Anachoretam fuisse, inde vero in Italiam venientem circa Pisanos montes in Monasterio Malleuallis ac Montis-Pruni Eremiticum habitum à loci illius habitatoribus, ac Regulam S. P. Augustini suscepisse, sub eaque congregationem instituisse, quæ quidem Guillelmitarum nomen obtinebat: donec eadem cum cæteris ad Ordinem S. August. tempore Alexand. IV. accessit, paucis conuentibus exceptis qui huic vnioni se opposuerunt, ac hoc impetrarunt, vt liberi manerent, sub suis, quibus ante vnionem erant superioribus: ne vero amplius inquietarentur à Patribus Augustinianis, quorum Religiosi nonnunquam adhuc alios Guillelmitas recipiebant, ac sic paulatim Guillelmitarum Ordinem viris doctis & aptis eneruabant, talem transitum volentes impedire à sede Apostolica impetrarunt post diuisionem suorum Conuentuum, vt deinceps sub Regula S. Benedicti possint degere. Tunc etiam, & non ante cingulum aliqua Monasteria dimiserunt quo magis ab Eremit. S. Augustini habitu recederent, qui iam à Regula decesserant, quæ omnia in sequentibus, tum rationibus, tum authenticis instrumentis docebimus cum doctissimo Marquez infinitæ lectionis viro, ne tam facile moderni ab Hayo seducti titubent.

Ita docet Guill. Caualcanti, & Roger. Gyrard. in vita S. Guill.

Probat S. Guillel fuisse Eremit. August.

Ac inprimis S Guillel fuisse sub Regula ac Ordin. S. Augustini, ex Theobaldo colligitur. Is enim vitam S. Guillelmi Prouinciali Ordin. S. Augustini Prouinciæ Franciæ inscripsit, quod euidens est argumentum D. Guillel. fuisse Ordin. S. August. cum non facile contingat Religiosam vitam extraneo dedicari, præcipue à maiori. Impertinens enim esset, si S. Bonauentura vitam S. Francisci in gratiam Benedictini alicuius scripsisset. Inscripsisse autem Theobaldum vitam S. Guillel. Prouinciali Ordin. S. Augustini; constat, quia Patres Guillelmitæ, qui eam sibi inscriptam asserunt, nunquam habuerũt, nec adhuc habent inter sui instituti Fratres officium Prouincialis, sed officium Generalis, & Visitatorum: cum è contrario Patres Augustiniani, semper præter Generalem, Prouinciales habuerint. Hanc satis manifestam differentiam colligere licet ex vtriusque Ordin. constitutionibus, & ex diuersis Pontificum Bullis ac rescriptis, quibus semper Patribus Augustinianis inscribitur hic titulus: *Dilectis filijs Priori Generali cæterisq. Prouincialibus Prioribus ac Fratribus.* Ordini, vero Guillelmitarum hic titulus; *Dilecti filijs Priori Generali cæterisq. Prioribus & Fratribus*; quæ ita vera sunt, vt vlteriori probatione non sit opus, constabunt enim ex ipsis Bullis, nec contrarium vnquam probari potuit per eos, qui maximè hoc conati fuerunt, nisi quod adducant Concilij Basiliensis rescriptum vnicum, quo titulus Prouincialis eorum Ordini attribuatur: at vix creditur talem inscriptionem emanasse, nec ea tanti ponderis esse potest, cum Concilia stylo communi fere omnes Ordines tractent, nec ita differentias attendant singularum. Idem etiam scribit Author Chroni-

Guillelmitæ non habent Prouinciales.

Chronici Generalis *in 6. ætate fol. 227.* his verbis: *Guillelmus à S. Bernardo sufficienter edoctus, spretis sæculi huius pompis in vastam Eremum secessit & ibidem sub D. P. Augustini Regula perfectus Christi seruus esse cœpit.* & paulo post inquit: *hanc ob rem non solum homines sæculares, verùm etiam eiusdem Ordin. Religiosi ad eum confluebant, & tanquam bonum Patrem Ordinisq; instauratorem paruo adhuc sub tugurio obseruabant.*

Accedit tum recentiorum tum priscorum Pontificum clarior decisio, ex indulgentiarum & facultatum Bullis, in quibus semper S. Guillelmum Ordin. S. Augustini solent indigitare. Greg. XIII. die 25. Iulij. M.D.LXXVI. concedit indulg. plenar. omnibus & singulis vtriusque sexus fidelibus qui futuris temporibus domos & Ecclesias Fratrum Eremit. S. August. dicti Ordin. fundatoris, ac S. Nicolai & S. Guillelmi dicti Ordin. professorum, diebus, deuote visitauerint. Eodem modo Clemens VIII. loquitur in Bulla 2. April. Anno M.D.XCIX. Ego ipse sanctissimis pedibus Pauli V. felic. record. pro-uolutus indulgentias impetraui in festo S. Guillel Ordin. nostri pro Conu. Leodiensi, à quo parum distant PP. Guillelmitæ, qui Bullam ac decisionem hanc viderunt & legerunt. At ne videar hodie nata producere, libet proferre omni fide dignum testimonium Innoc. IV. exprimentis anno M.CCL. fratres S. Guillelmi, esse Ordin. S. Augustini his verbis: *Innocent. Episcop. seruus seruorum Dei, dilectis filijs Priori & Fratribus Eremitarum Vallis S. Guillelmi Ordin. Eremit. S. Augustini Lingonensis Diœcesis salutem. Deuotionis vestræ precibus benigne impertientes assensum, vt de blado, vino, lana, lignis, lapidibus, & alijs quæ aliquoties pro vestris vsibus emere vos contingit nulla pedagia, vuernagia, roagia, vel alia quæ pro eis à sæcularibus exiguntur soluere teneamini, vobis præsentium tenore concedimus, &c. Dat. Perusij. Anno Pont. nostri 9. tertio Kalend. Martij.*

Bullæ Pontif. expresse ferunt S. Guill. fuisse Ordin. S. Augustini.

Breul. in antiquit. Paris. fol. 895.

Scio Hayum aliquot Bullis Apostolicis inniti, Gregorij IX. Innoc. IV. Lugd. anno M.CCXLVIII. & Alexand. IV. quas etiam Bullas ex eodem Authore ponit *Myreus*, quibus videntur hi Pontifices consentire, vt Religiosi Guillelmitæ viuant sub Regula S. Benedicti. At putem Bullas has omnes, saltem illã Innoc. IV. & Alex. Greg. enim IX. nulla extat, esse falsitate cõspersas: pro libitu enim suo Hayus has Bullas fabricauit, substituendo verba opportuna suis scriptis; quod pace bonorum facile colligit Marquez, tum ex nimia Patrum Guillelmitarum Parisiens. Archiuij sui occultatione, quod ne quidem publico scriptori rerum Parisiensium homini non suspecto, patere voluerunt; quamuis & coram testibus hunc accessum, & ad paruulam morulam tantum petijsset, omni humanitate, quam apud omnes alios expertus fuerat, quod non tantum inurbinitatis sed infidelitatis non paruum est argumentum. Infidelitatem etiam deregit ipse contextus Bullarum, nam in Bulla Alexand. videntur aliqua omissa, conclusio enim narratiuæ quæ fere nulla est, non correspondet: Solent enim Pontif. difficultates exortas cum responsis hinc inde referre, ac sic quieti consulere, damnoque occurrere; quod in his omissum. In illa autem *Innoc.* aperta parer falsitas: ibi enim insinuatur, *Ordinem Monasticum, qui secundum Deum & B. Benedicti Regulam in Domibus PP. Guillelmitarum dignoscitur esse institutus, perpetuis ibidem temporibus debere obseruari.* Quæ verba falsum enarrare conuincitur ex ipso Hayo docente, *Ordinem S. Guillelmi non esse institutum sub Regula S. Benedicti, sed prius ordinatum fuisse à Gregorio I X. vt omnes deinceps illius Ordinis professores S. Benedicti Magistram sequantur Regulam.* Mutuata itaque fuere hæc verba, & mutata mala fide, qua laborauit non semel ille Sampson Hayus: quem si innocentem norint Parisienses Guillelmitæ, edant originalia, vel authenticas copias patiantur, vel ad minus collationem eorundem, ne bono viro, & bonæ causæ aliquid dimatur. Verùm ad S. Guillelmum reuertamur.

Respondetur Bullis Pontif. citatis.
Supra cit.

Conuincitur Hayus falsitatis.

Tertium argumentum quo mouemur, vt S. Guillelmum Ordini S. Augustini adscribamus est habitus exterior. *Amictus hominis annunciat de eo*, inquit *Eccles.* Euidens est, vtriusque Ordin. esse nunc cum cingulo eundem habitum nigrum, olim natiui velleris, quem lana dabat, nullo colore superaddito, vt ex Bullis inferiùs ponendis constabit. Habitum domesticum habent Patres Guillelmitæ differentem, sed eundem quem olim laici Ordin. S. Augustini gestabant, quem etiam Patres Guillelmitæ sibi retinuerunt in memoriam S. Guillelmi, quem laicum fuisse absque vllis Ordinibus sacris probabilissimum videtur.

De habitu S. Guillel. qui fuit Augustinianorum

Insuper S. Guillelmum inter Augustinianos Eremitas vixisse, illorumq; institutum restaurasse, ita in confesso est apud omnes, vt vix vllum sciam hoc negasse. Ipse Sampson alioquin infensissimus ore rotundo fatetur fol. 11. 12. & 21. lib. de vita S. Guillel, illum inter nostros vixisse, multa bona illis præstitisse. quâ confessione nobiscum cogitur sentire, S. Guillel. Augustinianum fuisse, nam si S. Guillel. inter Eremitas S. Augustini vixerit, illorum mores reformarit, verbo & exemplo illis præluxerit, quis credat eundem hoc fecisse, nisi & habitu & professione membrum homogenium Ordinis fuerit? Absurdum enim est quando in hanc messem alienæ falces immittuntur, & sæpius infeliciores inde proueniunt successus. nam præpostera & heteroclita illa media sunt, quæ plus timentur, quam amantur; plus deterrent & offendunt, quam alliciunt & prosunt.

S. Guillel vixit inter August. & illos reformauit.

Maximum argumentum instituti S. Guillelmi colligitur ex loco vbi degit, & vbi obijt. nam certâ traditione constat, quod post peregrinationem in Galliciam, post visitationem Ierosolymæ, ac mansionem diuturniorem ibidem, in Italiam rediens hæserit vsque ad vitæ suæ terminum; in Mallaualle, Monte-Pruno, vbi sub P. Petro Priore professus fuit in & Stabulo Rodis, quæ loca semper fuere, & adhuc sunt Ordin. S. August. absque vllâ possessionis interruptione.

Locus habitationis S. Guill. est August. & fuit semper.

Tandem conuincit omnes socius S. Guillelmi, B. Gaisius de Burgo S. Miniati, illi coætaneus & conuictor, vt plures referunt; vel ad minus successor, cuius corpus habitu Eremitico nigro repertum fuit integrum in Eccles. S. Columbani iuxta Lucam, anno M.CCL. cum hac inscriptione.

Hoc Eremitarum tumulo, pie condite Ghasi
Iamminiatensis, Christoq; beato fidelis
Protege prace tuos Lucanos, ac Patriotas.

Prætereo hic de industriâ B. Albertum & B. Reginaldum, quondam S. Guillelmi famulos: Secretarium enim egerat Albertus, & alter medicum, cùm Ducatu potiretur. hos refert Author vitæ S. Guillelmi toto vitæ suæ tempore compunctos Ducem Guillelmum quæsiuisse, inuentumque visitasse, ac eodem vitæ genere eidem adhæsisse, illius vestigia pressisse, ac in eadem cella post aliquot pœnitentiæ annos piè obijsse miraculis claros.

Guill. Caualcanti nob. Florentinus.

Author supplementi additi Petro de Natalibus. c. 2. sic scribit de S. Guill. *Et tandem multos perpessus labores in agrum Tuscum & Pisanum deueniens, in Insulà quæ Lualla dicitur, solitariè commoratus est, vbi familiariter coniunctus heremitis S. Augustinorum mores edoctus, nigro habitu sumpto, & pellicea zona, locellis eorum per totam Etruriam deuote visitatis, Centumcellas applicuit, vbi B. Augustin. librum de Trinitate peregit: istis locis perlustratis Romam & inde Ariminum ad S. Mariam de platano eiusdem Ordin. locum peruenit, à quo fratres qui prius Eremitæ S. Augustini vocabantur, Guillelmitarum nomen sumpserunt.*

CAP. XXIII.

CAPVT XXIII.

De varijs fundationibus sub Regula S. Augustini eodem sæculo.

FERTILE valde fuit Anglicum solũ viris Ecclesiasticis, & maximè Religiosis, quorum opera in pietatis exercitio continerentur probi, improbi verò ad benè rectèque viuendum prouocarentur; in quem finem solet Deus excitare congruis temporibus homines congruos, prout hisce annis suscitauit quendam Gilbertum, qui clericos collegit, eosque in humilitatis, orationis, aliisque pietatis exercitijs instruxit, maximè vt proximis prodessent docendo, concionando, animarum consolationi, infirmorum visitationi (prout PP. Societatis hoc sæculo in officio est) insistendo: Eis autem Regulam S. Augustini præscripsit, suique instituti sub hac Regula confirmationem impetrauit ab Eugenio I I. & maximum in Anglia progressum fecit, ædificatis ipso Gilberto adhuc in viuis existente vltra viginti collegijs, quæ etiam post obitum mirabiliter fuere aucta ac vsque ad hæc defectionis tempora in Anglia conseruata.

Anno 1144. Ordo Gilbertinorum. Confirmatur sub Regul. S. August. Anno 1160.

Eodem ferè tempore quo in Anglia Clerici Regulares oriebantur, Canonici Regulares S. Augustini de Rheno sub Innocentio II. partim illius, partim submissorum virorum ex Rauennatensi loco, vbi non ita pridem Petrus Damianus vixerat, opera, reformati fuerunt apud Bononiam, constitutionibusq; ipsius præfati Damiani ita firmati, vt tamẽ à Regula S. Augustini non recederent. *In crastinum (inquit Vitriacus) non cogitabant, nullis reditibus ditati, solis eleemosynis victitabant, & ex his adhuc tantum quantum sobria sua vitæ ad arctam necessitatem posset sufficere sumebant, caterum vel alijs colligebant, vel colligendum relinquebant, tribus diebus in hebdomada carnes extra non recusabant, alijs diebus ieiunio vacabant.* Ex his circa annum M. C X L V I I I. ingentibus miraculis clarui Christi confessor S. Guarinus, qui Canonicus Regularis S. Augustini in loco de Mortara ingenti Spiritus feruore, & Diuinis desiderijs plurimum profecit, ita vt breui tempore ad regimen Monasterij S. Frigidiani, ac non ita post, ad Papiensis Ecclesiæ infulam raperetur quamuis inuitus à Lucio II. Hic Guarinus etiam in Episcopatu vigilijs, precibus, & ieiunijs noctedieque incumbens piissime obdormiuit in Domino, in cuius transitu clarissima lux totum conclaue vbi iacebat, impleuit, plurimaque alia miracula sanctitatem viri contestata sunt, immo nonnullis post obitum diebus solo contactu sepulchri plures possessi ab immundis spiritibus fuere liberati, coliturque adhuc hodie illius memoria.

Reformatio Canon. Regul. S. August. S. Guarinus Canon Regul. Sur. ex S. vit. Mense Febr. Baron. adnot. Martyr. 6 Feb.

Anno M. C L X I X. Ordo Cruciferorum olim à Cleto Pontif. institutus Regulam S. Augustini sibi assumit, fauore Alexand III. ad instantiam Gerardi, Prioris S. Mariæ Bononiæ, illius Ordinis restauratoris. Solebant enim hi Patres hospitalibus peregrinorum maximè deseruire, & postea vna cum nobilibus, ac Principibus ad bellum proficisci, crucem præferre, eosque animare ad patientiam, tolerantiam, & crucis exaltationem. His bellis contra infideles cessantibus Monasteria aliquot parauerunt, ac deinde Monasticum habitum cæruleum impetrarunt à Pio I I. ac in signum crucis prælatæ, adhuc argenteam crucem manibus gerunt.

Anno 1169. ORDO CRVCIFERORVM ITALIÆ. Onup in Chron. nota Eccl. Platin vit. 2.

Tunc etiam temporis ne solis precibus decertaretur contra Catholicæ Religionis hostes, placuit Deo aliquot præclaros militares Ordines propagare, ex quibus tanquam ex equo Troiano Duces ac milites non minus pietate, quam robore ac consilio insignes, contra Mauros, Turcas, aliasque barbaras nationes prodirent, qui Ecclesiam Dei contra insurgentes turbines defenderent.

EQVITES TEVTONICI.

Felicissimo igitur auspicio *Anno Domini M CXIX.* ortum habuit Ordo Equitum Teutonicorum habito albo, & cruce nigra cum fimbrijs albis insignitus, atque circa *annũ M.CXXXVI.* ad Regulam S. Augustini accessit, magnaque deinde incrementa fecit, ita vt præter duodecim Prouincias, quas in Germania adhuc hodie obtinet, vtinam Catholicas omnes, sub magno Magistro Archiduce Carolo, aliquando Prussiam integram, gloriosè possederit, nunc à Brandeburgico Caluiniano detentam contra omnes fas. Albertus enim illius familiæ Ordin. magnus Magister à Polonorum Rege passus est sese Ducem Prussiæ creari, & mutata Religione, contra ius Diuinum, voti vinculum soluit ductâ vxore Dorothea, Friderici Regis Daniæ filia, ita vt Prouinciam quam antea Ecclesiastico tantum beneficio, ad vsufructum possidebat, iure proprietatis ad hæredes transmiserit sacrilegijs abundans. Sacerdotes habet hic Ordo & Equites eiusdem professionis ac voti. Equites tamen Sacerdotibus imperant, magna modestia, ac pace, prout vidi, Generosam ac Strenuam Prouinciam Belgicam Iuncetanam sub directione Generosi Domini Edmundi ab Amstenraidt Traiecti residentis florentem, virtute, ac diuitijs claroque sanguine.

EQVITES S. IACOBI DE SPATA. *Anno 1160.*

Paucis annis post in Hispaniam irrumpentibus Mauris, & deficientibus pijs ac zelosis militibus, qui ijsdem resisterent, Petrus Ferdinandez, multiq; alij nobiles vno spiritu ducti, vnam instituerunt societatem militarem, cui omnia sua bona & se ipsos ingenti fortitudine deuouerunt ad extrema pericula subeunda, pro extirpatione infidelium sese obligantes, ad nutum & imperium vnius capitis, quem suæ societatis Magistrum appellabant. huic voto, vt melius Deus faueret, ad castitatem coniugalem, & ad vitam sine proprio traducendam, non secus atque ad obedientiam solenni voto sese obstrinxerunt, videntesque animi sui successum perennaturum, confirmationem ab Alexandro III. sub Regula S. Augustini impetrarunt. Habet hodie hic Ordo vltra 200000. D. redditus annuos, numerosas Commendatorum domos, quibus bene meritos solent donare, quarum præcipuæ sunt Villobos, Monteillia Crescentiæ, Quiomilla Barriæ, Lentamo S. Saluatoris Estrama Monteal, Penagar, S. Mariæ de Pinel, Veles, Alfarella, Orella, Mora, Morauela, &c. Nouitiatum habent in primario domicilio de Veles, quod ad minus mensibus aliquot, præter obsequium triremium debent incolere, tum vt Ordinis ceremonias, tum vt militarem praxim exerceant. Vbi tamen non habent Commendas sui Ordinis, subsunt disciplinæ, ac instructioni Fratrum Eremitarum S. Augustini, in quorum manibus profitentur, Nouitiatu aliquot mensiũ peracto ex dispensatione: quorũ etiam Ecclesias tenentur certis diebus solennioribus frequentare, ibidemque coniunctim sacra synaxi refici, qui etiam Fratres hæredes sunt corporum horum Equitum, si ab intestato discedant, eisque competit, vt illa honesto loco sepulturæ demandentur. Habitum habent albi coloris cum cruce rubea ad instar gladij quam etiam thoraci, aut chlamydi aut Venereæ conchę in signum Ordinis appositam deferre debent. Triplicis generis personas hic Ordo comprehendit, Sacerdotes milites sanctimoniales. Alia quæ ad hunc Ordinem spectant in subsequentibus nonnunquam tangam.

Anno 1175. 3. Non. Iulias.

Vide constitut. huius militiæ sub Philipp. 2. & Anton. moral.

Eidem equites sexennio post adeptam Ordin. sui confirmationem, post diuisionem regnorum Castellæ ac Lusitaniæ, nouam Coloniam in Lusitaniam traduxerunt, ibidemque eundem fere stylum quem antea in Castellæ Regno viderant, obseruarunt: caput Ordinis Palmeram constituere, atque ab obedientia Magistri Castellæ sese subduxere procurante Rege Dionysio.

Circa hos annos sub Regula S. P. Augustini fundata est Societas sanctissimæ Trinitatis, seu de Redemptione captiuorum per Ioannem Mattha, sub

Anasta-

Anastasio I V. & Adriano I V. quorum officium in eo versatur, vt eleemosynas colligant, ac cum Mauris, Turcis, aliisque barbaris de lytro conueniant, seruata semper paritate ac iustitia inter miseros captiuos. Hi albam deferunt vestem scapulari & caputio rotundo humeros tegente, episcopali mozzetæ non absimilem; cœruleam rubro intermixtam gerunt crucem perampliam ante pectus, illisque hoc proprium, quod proprios redditus in tres partes annuè partiantur; vnam partem captiuorum redemptioni, alteram pauperum necessitatibus, tertiam vero suæ sustentationi impendendam. Hos confirmauit primum Adrianus, deinde Innoc. III. Anno M.CXCVII. Pontif. sui Anno primo.

ORDO SS. TRINITATIS.

Habuerunt & hi Patres à paucis annis reformatos in Hispania secundum primum viuendi rigorem, qui ouuissime fines suos in Galliam, ac deinde ad ipsam vrbem ad villam Ducis Sforzæ limites suos extenderunt.

Reformati eiusdem.

Libet rursus sub finem huius memoriæ RR. DD. Canonicorum Regularium S. Augustini, quorum institutum piè reformatum fuit in Angliæ & Hyberniæ partibus hoc sæculo, floruitq; in Hybernia inter reformatæ vitæ professores pietate ac religione insignis D. Laurentius, D. Dominicus & sanctus quidam Guillelmus miraculis clari, ac ob probitatem vitæ venerabiles.

Anno 1181. Vid. Sur. tom. 6. Baron. in notis ad Martyrol.

CAPVT XXIV.

De incremento Ordin. Eremit. S. Augustini per B. Ionem bonum & alios.

DVm Regula S. P. Augustini tam prosperè, apud diuersi generis ac sexus professores dilataretur, non subsistebant Eremitæ, quin & ab hominū consortio remoti colonias suas extenderent. Alexander etenim II. Senensis Pontif. sui anno V. concedit Ordini Eremitarum S. August. Oratorium cum Monasterio Surriani, quod oppidum est Patrimonij, expedita desuper bulla, quæ in eodem Conuentu reseruatur; illiusque loci primus inhabitator fuit Ven. P. Guido, accepta possessione anno subsequenti Kal. Februarij.

Monast. Eremit. S. August. Surriani. *Anno 1164.*

Triennio post iuxta Bononiam Eremitorium S. Augustini fundare cœpit Venerab. vir Dei Philippus Dexter, Ampuanus, in quo cùm adiunctis sibi paucis socijs sanctissime viueret, tanto odore ciues Bononienses (quorum frequens erat ad illos Eremitas accessus) excitati, eosdem ad ciuitatem euocarunt, eisque locum quem adhuc hodie inhabitant, dimissum tunc tuguriolum, assignarunt, vbi Philippus in honorem S. Iacobi Sacellum extruxit ac breui tantum ibidem profecit, vt amplum Monasterium exererit, præsagium certe futuræ amplitudinis ac splendoris. Certat enim hoc Monasterium hodie cum celeberrimis totius Italiæ, ac in nostra Religione facilè principem locum obtinet.

Anno 1170. Monaster. S. Mariæ iuxta Bonon.

Extabat circa idem tempus locus S. Iacobi de Aquauiua in Lucana diœcesi Ordinis Eremit. S. Augustini, cuius incolæ cum omni sanctitate ac simplicitate procederent, plurimosque exemplo arctioris vitæ mouerent, Gregor. VIII, sub initium sui Pontific. particulari breui expedito, tum Priori, tum ipsius Ordio. Confratribus facultatem facit concionandi, confessiones excipiendi, Ordinisque deuotos in cæmiterijs nostris sepeliendi. authenticum exemplar huius bullæ extat in Monasterio Lucensi.

Anno 1180. Monast. Eremit. S. August. Aquauiuanum. *Anno 1187.*

Sub finem huius sæculi notabile incrementum Ordini Eremit. ac Regulæ S. August. accessit per B. Ioannem Bonum, patria Mantuanum, qui anno M.CXXX. circiter natus, post transactos adolescentiæ annos in omni libidine

Natiuitas & decursus vitæ S. Ioan. Boni Mantuani.

dine & voluptate, voto facto, patre & matre defunctis, circa annũ M.CLIX. vt testatur Iacobus Gualterius; vel aliquot annis post, vt vult Genebrard. ac Bergom. Mantuâ discedens ad partes Romandiolæ deflexit, ibique ignotus primo lapide à Cæsenensi ciuitate constructâ casâ, cum adiuncto oratorio mirabilem inuenit pœnitentiæ modum, in quo cum per plures annos solitarie degens perseuerasset solus, non paucos inuenit asseclas tanto exemplo commotos; quorum numerus cum iam post annos XXV. ibidem transactos excreuisset, de legibus ac Regula cogitans, eam quam S P. Augustinus suis Eremitis præscripsit, elegit, eamque ab Innocentio III. Anno M.CXCVIII. impetrauit; fueruntque ex tunc illius socij, ipso præside; *Eremitæ Ioannis boni Ordin. S. Augustini vulgariter appellati.* Quare sic de illo scribit S. Antoninus. *Circa annos Dom. M. CC. tempore Innoc. III fuit vir magnæ sanctitatis nomine Ioannes Bonus de Mantua oriundus, solitariam agens vitam, qui nimia ac insueta abstinentia, claruit miraculis multis.* Et Sabellicus loquens de electione Innoc. III inquit: *Per id tempus Eremitanus Ordo instauratus est, cum temporum iniuria pæne ad interitum perductus esset, instaurationis eius Author fuit Ioannes Bonus, Mantuæ natus, eiusdem vir professionis.* Pontacus quidam, historicus Italus B. Ioannem Bonum non instauratorem Eremitarum, sed simpliciter Authorem facit, quasi antè illum nullus fuisset Ordo Eremit. quod constat vanum esse ex superius adductis. Alius quidam nullius nominis historicus morbo inuidiæ, aut rabie laborans B. Ioannem Bonum, nec Beatum, nec Religiosum fuisse patitur, sed sæcularem quendam ac liberum Eremitam, nulli Regulæ aut Ordini subiectum: ãt cum paucissimis sentit, vel vt melius dicam, nullum huius suæ temeritatis habet ille Authorem, vnde neque vllam fidem promeretur. Constans enim omnium scriptorum est doctrina B. Ioannem Bonum, verè esse Beatum: infinita enim miracula, in vita, & post illam operatus est iam à 400. annis, eaque adhuc non rarò operatur. Colitur etiam solennissima illius dies annua, cum missa & officio Mantuæ, in octaua Resurrectionis Domini: erecta sunt in illius honorem passim altaria & sacella; etiam in ipsa Vrbe, ibique publice inter Beatos exponitur. Deinde Innoc. IV. Canonizationem, solennem illius intendens, Episcopo Mutinensi mandauit, vt vitæ illius decursum authentico scripto compilaret, Romamque in finem Canonizationis, illum transmitteret vt constabit ex 3. parte. Successisset etiam Canonizatio solennis, nisi Innoc. IV. morte præuentus fuisset. Tandem beatificatus est communi populi consensu, qui non solum à 400. annis illum pro tali habuit, sed ipsi Pontifices, Innoc. & Clemens; quoties mentionem fecerunt illius, eundem *Beatæ memoriæ virum* appellant, vt patebit in producendis infrà bullis.

Primus locus b. Ioan boni.

Regula S. Augusti deuenit ad B. Ioan. Bonum.

Ænead 9 lib 5

D Ioan Bonus est restaurator Ordin. FF Eremit. S. August.

B Ioannes Bonus vere est beatus.

Celebratio festi illius.

Perpetuâ etiam & constanti Historicorum sententiâ B. Ioannes Bonus dicendus est Eremita Religiosus, & quidem sub Regula S.P. August. nam sic loquuntur de illo summi Pontifices citati. Religiosum illum describit S. Antoninus. Augustinianum vero Iord. *lib. 7. cap. 8. & 9.* Bergom. Volater. Sabellicus, *Ænead 9. lib. 5.* Molanus *in Martyrol. 23. Octob.* Morigia *lib. 1 cap. 22.* Azot. Chioppin. Rodriquez *tom. 1. qq Reg q. 2. art 4.* Bzouius *tom 13. Annal. anno M.CCXLIX.* § 10. Iacob. Gualt. *Chronic sæculo 12. M CLIX. Author libri Chron. Generalis ante CC. annos scribit 6. ætate fol. 231. Ioannes Bonus Ordin. Eremitarum D. Augustini instaurator, natione Mantuanus his temporibus in Flaminia & Vmbria vitam religiosissimam duxit, multa Monasteria ibi erexit.* & Gregorius IX. decennio circiter post obitum Ioannis Boni Pontifex in Bulla infra citanda habet hæc verba, quibus adimitur omne dubium: *Dudum apparuit Religio in partibus Lombardiæ, cuius professores vocati Eremitæ fratris Ioannis Boni Ordin S. Augustini, succinctas tunicas cum corrigijs, & baculos in manibus portantes, &c.*

B. Ioannes Bonus verè fuit Religiosus.

Lib 13. anno 1298.

Lib 21 Anthropologia.

Instit. Moral. lib 12. c. 23

Lib. 4. Monast. tit 1. anno 1252 in marg.

Si quis

Si quis adhuc obstinatior dicat B. Ioannem Bonum nullam habuisse Regulam, sed successores tantum vnitos fuisse Regulæ S. Augustini, eundem non minus facile conuincam, ex alijs Bullis inferius producendis, quibus constabit; quod superius dixi, B. Ioannem sub initiũ suæ conuersionis duxisse vitam Anachoreticam at vbi socij accesserunt, quod circa annum XXV. vitæ suæ Eremiticæ contigit, tunc vixit regulariter sub Regula S. Augustini, præfuitque aliquamdiu congregationi quæ ab illo denominabatur Ioanni Bonitarum sub Regula S. Augustini, in qua postea etiam aliorum obedientiæ subfuit. quæ omnia ad oculum vera ex ijsdem Bullis doctissimè collegit R. P. Marquez, cui Deus benedicat. Hæc etiam ante illum ita describit Iordanus de Sax. his verbis: *Erat quidam frater magnæ sanctitatis vita & nomine Ioan. Bonus, qui primum apud Budriolum, Cæsenaten. diœces. domunculam quandam de consensu diœcesani construxit. Cumq; fama conuersationis crebresceret, plurimi ad eum conuersi sunt, inter quos B. Franciscus, qui Ordini Minorum Fundator fuit. Crescente autem merito, & numero istorum conuersorum, Religio illa per eos in diuersis partibus in quibus construxerant, est satis propagata. Cum autem ijdem Religiosi aliquam de approbatis Regulam non haberent, Ordin. Eremit. S. Augustin. de mandato sedis Apostolicæ sunt vniti, sicq; vir iste sanctus qui prius sine Regula vixerat, postmodum sub Regula S. Augustini militans peramplius Domino seruiuit. Tandem vero vt liberius*, &c. vt infra.

B. Ioan. Bonus fuit Generalis suæ cõgreg.

Lib. 1. cap. 9.

CAPVT XXV.

De ingenti triumpho Regulæ S. AVGVSTINI *anno M.CC. quo sub illa Ordinem suum fundauit S.* DOMINICVS *& sub eadem vixit S.* FRANCISCVS.

CONCEPERAT multis anteactis annis (Deo sic disponente) Regula S. Augustini vberrimum ac vtilissimum fœtum, quem tandem hoc sæculo enixa est, cum per illam Religio S. Augustini, mater facta est celeberrimarum Religionum totius Ecclesiæ Catholicæ; mater scilicet Ordinum SS. Dominici & Francisci. Sic loquitur Carol. Tapia celebris Iurista & Theologus *lib. de Religiosis rebus verbo Monast.* cap. 18. cum de Ordin. Augustiniano agit. *Fuit hæc Religio aliarum etiam mater, ex ea namq; vt diximus S. Franciscus Ordin. Minorum fundauit*, &c. Postea etiam idem asserit de Ordine S. Dominici.

S. Franciscus vixit sub Regula S. August.

Marquez profunde, vt solet; mysteria huius tam felicis partus explicans, inquit, hoc factum esse, vt duo illi Ordines *in concordiam irent, tanquam ex vna radice florentes quo perpetui essent fratres*, quod de primo mundi matrimonio dixerat Theodoretus. vel vt rami tam sancti quales sunt hi Ordines, & tam proficui, sanctam haberent radicem, iuxta illud Apostoli: *Si radix sancta & rami.* Addam ego hoc factum, vt quilibet horum Ordinum per se esset murus fortis & ciuitas munita. *Frater enim qui à fratre adiuuatur, tamquam ciuitas munita.* Hinc bene de illis potest dici: *Hæc est vera fraternitas quæ numquam potuit violari certamine.* Certamina aliquando doctrinæ inter illos fuerunt, *sed fratres egregiè concordes semper fuerunt, certaminibus inconcussis* vna mens, & vnus spiritus, & vna fides, quâ Ecclesiã Dei illuminarunt, mansit in eis. *Sunt duo candelabra*, in quibus lux cõtinua ad repellendas tenebras ignorantiæ, & hæreseos. Sunt duo luminaria, luminare maius Ordo S. Dominici, qui prius cõfirmatus, vt prædicatione sua preesset diei: luminare minus Ordo S. Frãcisci, vt per humilitatẽ preesset nocti; per orationẽ, meditationẽ, abstinentiã præluceat

q. 43 in Gen.
Rom. 11.
Religio S. August. fuit mater Religionum SS. Fran. & Dom.

Apoc. 11.

ceat omnibus tenebrosis hominibus exemplo. Sunt denique duæ oliuæ, ex quarum radice processerunt flumina sanctitatis, ac pietatis, quæ per oleum lætitiæ propriè significantur. Scio quidem primam originem huius lucis, luminarium, fluminis, ac flaminis tam abundantis, à Deo esse, scio mediante Iesv Christo Saluatore nostro, eadem Ecclesiæ sanctæ obuenisse; sed si causam immediatam, & puram aliquam creaturam, tantæ fertilitatis & felicitatis inquiramus; inueniemus illa omnia ab vno S. Augustino nata. Sub illius Regula vixerat S. Dominicus, sub illius Regula S. Franciscus professerat. S. Augustini doctrinam loquitur S. Dominicus, S. Thomas, S. Vincentius, S. Petrus Martyr; & quotquot excelluere, S. Augustini zelum & spiritum hæreditaruut, S. Franciscus, Bonauentura. Paduanus, Bernardinus & innumeri viri Dei qui ex Cæsenatica eremo, & ex schola S. Ioannis Boni prodiere. Incipiam igitur à S. Francisco, de quo maior est controuersia, cumq; Regulæ S. Augustini subfuisse demonstrabo: quod tanm liberius facio, cum sciam ad nullius Ordinis detrimentum, dedecus, aut opprobrium hoc fieri, sed potius ad laudem, honorem & gloriam omnium, maxime, vt veritate destâ, dicant hi duo Ordines quod R. P. Henricus Sedulius, vir pie doctus; *Eo nomine D. Augustino, sanctissimoq́, eius instituto & gratias esse agendas, & charitatis vinculo arctiori fœdus cum ijs esse ineundum*: vt sit funiculus triplex, qui difficillime rumpi possit.

In Commen. ad vitam S. Francis. c. 1. §. 1.

S Franciscus sub Regula S. August. *Anno 1206. vel 1207.*

Postquam B. Ioannes Bonus circa finem præteriti sæculi, relictâ Anachoreticâ vitâ ob concursum aspirantium ad Euangelicam perfectionem, ad Cœnobiticam transijsset, pluresque sibi socios adscripsisset, circa initium huius sæculi, in quo versamur S. Franciscus postea Seraphici Ordinis institutor à parentibus recessit, illisque coram Fulginate Episcopo etiam vestes renunciauit, pastoris pecorum, quam pauloante emendicauerat, vel cum pretiosiore veste mutauerat, tunicam assumpsit, per diuersa loca quærens viros quorum institutioni sese traderet. Tandem iuxta Cæsenam ad B. Ioannem Bonum peruenit, à quo donatus habitu Eremitico & corrigiâ præcinctus, sub eiusdem B. Patris obedientia ac disciplina biennium vixit, loca sancta visitans aliquando, mendicans, & Eremitoria iuxta Assisium reparans: quod scribit D. Bonau. his verbis: *Solutus exinde mundi contemptor à vinculis mundanarum cupiditatum, ciuitate relictâ securus & liber secretum solitudinis petijt, vt solus, & silens superne audiret alloquutionis arcanum.* paulo ante dixerat D. Franciscum, *in humilitate & obedientia fundatum, iussumq́, reparare Damiani Ecclesiam tanquam verum obedientem Assisium rediysse, vt saltem mendicando voci Diuinæ pareret.* Ex quibus verbis non obscurè colligitur S. Franciscum statim à recessu *Eremum petijsse*, quæ potuit esse locus B. Ioannis Boni, cum quo sese *in humilitate & obedientia* exercuit, ac ex eodem loco, sub obedientia tamen B. Ioannis Boni, Assisium redijt, nonnunquam ad solitudinem Cæsenaticam reuertendo, ab eaque rursus stipem colligens recedendo; donec altiori spiritu afflatus, audiens ex Euangelio Christi seruum non debere habere duas tunicas, neque sacculum, vel peram, eadem sibi dicta existimans, altiori paupertati sese deuouit, Deoque sic inspirante, nouam perfectionem excogitauit, quam assumptis aliquot socijs, statim executioni mandauit.

In Vita S. Francis. c. 2

S. Francis. vixit sub obed. Ioan. Boni.

Hæc ita contigisse scribit Philippus Bergom. his verbis: *Franciscus Seraphicus, Italus ex Assisio Vmbrorum ciuitate oriundus, D. Ioann. Boni Mantuani Eremitæ discipulus, vir vtique Diuinus, ac Minorum Ordin. Pater, & Dux, hoc anno terrena omnia despiciens Christum in omni vita sequutus est. Hic quippe cum Religionis habitum à Ioanne Bono suscepisset, & in manus ipsius professionis votum sub Regula S. Augustin. emisisset (vt hoc etiam tabellæ Chirographo authentico comprobatur) & aliquando pedibus calceatus, & corrigea cinctus incessisset, sententia*

Lib. 13. anno 1206.

Domi

Dominica memor dicentis. Qui venit ad me, & non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus, atq; illud quod discipulis suis, ad prædicandum mittens præcepit, vt neque aurum, vel argentum possideant, aut ne peram, vel sacculum, neq; virgam sine calceamentis, aut certe duas tunicas haberent, abiectis omnibus tunicam incultam, & contemptibilem fune præcinctam induens nouum Ordinem constituit.

Idem omnino docuit Cardin. Ægidius Viterbiensis, inquiens: *Hoc tempore Ioannes Bonus Mantuanus, quem Flaminia Cesenæ Deo se ita deuinxit, vt sui sæculi gloria diceretur, ascitus Diui Augustini Eremitis, vt enim olim Guillelmus in Gallia, ita ipse Ordinem numero Fratrum & Monasteriorum adauxit in Italia, & ad humanarum rerum contemptum, & diuinarum amorem mirum in modum inflammauit. Habeo Authores qui scribant huius viri sanctitate ac fama illectum Franciscum Assisium, magni Ordinis minorum Authorem, habitum induisse, baculum gestasse, Eremitam egisse, calceis vsum fuisse: Quam rem nec Vincentius quidam scriptor Historiarum accuratissimus inficiatur*, &c.

Idem probatur testimonio Card Ægidij. in lib. 20 sæculer. dedicato Leoni X. anno 1092. 13. 6. 18.

Hos duos Authores esse magni nominis testantur alij omnes Historiographi. Geneb. vocat Philippum *Historiatorem celeberrimum.* Choppinus dicit, *illum esse Clarissimum Ecclesiæ lumen, sacrorumq; voluminum Authorem venerandum*, & Tritemius de illo scribens inquit: *Philippus de Bergamo historicus insignis.* Elogium Cardin. Ægidij magnificentissimum scribit Iouius pag. 159. vt postea anno M. DXXXII. licebit videre. Quia tamen vterque Author posset dici recentior & Augustinianus, ac ideo minus fidei illis attribuendum, cogor implorare testimonium externorum, & antiquiorum, quorum fides omni exceptione maior: & Primus sit.

Lib. Chron. anno 1492. lib 1. Mon tit. 1. c. 15.

Polydorus Virgilius *Franciscus*, inquit, *humanitatis plenus à principio Aurelij Augustini, vt quidam scribunt, Regulam professus, calceatus, zonaq; scortea cinctus, aliquando conspectus fuit.* iisdem penè verbis idem scribit Sabellicus. Carolus Tappia loco superius allegato, dicit: *Fuit iste Ioannes, S. Francisci præceptor, quem ab eo Religionis Augustinianæ habitum suscepisse, & in ea professum esse affirmant plures Authores* Paulus Morigia, Gonzalus, Illescas, lib. 5. histor. Pont. cap. 33. in vita Innoc III. Villeg. in vita S. Franc. Supplem. Italicum & plures alij idem attestantur disertissimis verbis, quos libens prætereo in re tam clara. Præterire tamen non possum quod scribit Baptista Egnat. vir tum in Ecclesiastica, tum in sæculari historia accuratissimus, & omniscius, is in lib. exempl. vir. illust inquit, *Prætermissis Paulo Eremiticæ vitæ Authore, Antonio, & Hilarione, innumerisq; alijs, qui diu celebres in Ægypto vixere, præcipuè paupertatis amatores, Franciscum vnum Assisiatem recentioribus sæculis editum huc inseram, qui obluctante patre, paternasq; opes sæpius ostentante, Ioannis Boni Mantuani intra Italiæ fines Eremiticam vitã profitentis, authoritatem sequi maluit, à quo edoctus vnam paupertatem amplecti sic diuino spiritu afflante postea claruit*, &c.

Lib 7. de rerum invent. c. 14.
Ænead. 9. lib. 6. in principio.
Lib. de origin. Relig lib. 3. anno 1209.
Testimon. Egnat.

Ex antiquioribus habemus S. Antoninum, qui quamuis non dicat S. Franciscum fuisse Ordin. S. August. dicit tamen hoc implicite, quando describit illum cum tali habitu quali vtebantur soli Augustiniani. *Hic Beatiss Pater per duos annos* (inquit S. Anton.) *honestum habitum, & Eremiticum gerens, portando baculum in manibus, accinctus corrigia, & calceatus incedens pedibus, per ciuitatem Assisij mendicando, nunc latebat in Eremis, nunc Ecclesiarum reparationibus insistebat deuotus.* Hoc idem ita scribit Vincen. Bellou. Nec multum variat historia S. Francisci, quæ à tribus socijs illius Leone, Ruffino & Angelo dicitur conscripta. *Vilem*, inquiunt, *habitum & Eremiticum per duos annos portans baculum in manibus, cinctus corrigia, & calceatus incedens, accipiens eleemosynas*, &c. Item sic loquitur Bartholomæus Pisanus: *Per duos annos ante Ordinis institutionem mendicando cum parapside vt pauper victum quæsiuit.*

S. Francisc. primo gestauit cingulum & calceos.
3 p tit 24 c. 7.
Authores conformes.
tit 24. c. 28.
1. Lib confor. mit S. Franc. fol. 50.

Agmen

Agmen borum antiquiorum claudat, ex cæterorum numero, quos sponte omitto, S. Bonauent in vita S. Franc. c. 3. vbi describit quomodo S. Franciscus religiosas vestes Ordin. S. August. reliquerit ad vocem Euangelij. *Quod audiens & intelligens, ac memoriæ commendans Apostolicæ paupertatis amicus, & solutus protinde calceamenta de pedibus, deponit baculum peram reijcit, & pecuniam execratur, vnaq; contentus tunica, reiecta corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, & Apostolicæ rectitudinis Regulæ per omnia se coaptet.* Quibus verbis S. Bonau. occurrit argumento illorum, qui forte possent causari S. Franciscum hic prius Apostolicam Regulam sequutum fuisse, & facillam S. P. Augustini antenon seruasse, cum & illa sit Apostolica, quamuis nō ita perfecta, nec tantæ paupertatis amica, tamque strictè rectitudini Apostolicæ sese coaptans. Aliud argumentum ex S. Bonau. colligi potest, quo probetur S. Franciscum iam fuisse religiosum alterius Ordin. quando Ordin. suum instituit, nam S. Bonau. de Pontifice ita loquitur: *Approbauit Regulam illius, dedit q; de pænitentia prædicanda mandatum, & laicis Fratribus omnibus, qui seruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei libere prædicarent.* Vbi non facit mentionem coronę S. Francisci, quam iam ante habebat, indicium vitæ religiosæ ante traductæ, quæ per coronam designabatur: vt docet D. Dionysius, Beda, Turonensis, &c. S. Augustin. de opere Monach. c. 31. & 32. Expressius B. Iordanus etiam antiquus Author iam à 300. annis scripsit & habitum, & professionem, & Regulam S. Francisci nec non præceptoris sui Ioannis Boni: vt videre licet cap. antecedenti in fine.

Regula S. Augustin. esta Apostolica.

Lib. 1. Vitas fratr. c. 9.

Ex quibus satis constat, quam verè Pamphilus aliique æui huius Authores scripserint, *Citra Alpes Ioannem Bonum incredibili feruore Augustinianum Ordin. in Italia reparasse, multosq; viros obeius sanctitatem Religionis disciplinam ab eo suscepisse, & præsertim Seraphicum Franciscum.* Et quanta iniuria moderni Scriptores aliquot impatienter ferant, vbi vident S. Franciscum inter Augustinianæ Regulæ alumnos connumeratum, cum tamen nulla ratione euidenti possint contrarium euincere.

Pamph. Chron. fol. 25.

ORDO POENITENTIVM IESV CHRISTI.

Circa hæc tempora putat Marq. ortum fuisse Ordinem Pœnitentium Iesv Christi sub Regula S. Augustini, nam in quadam Bulla Bonif. VIII. continentur hæc verba: *Licet autem dictus Ordo FF. Pœnitentiæ IESV Christi, post Generale Concilium institutus per sedem Apostol. confirmatus esse dicatur.* Et anno M.CCXIX. inuenit Conuentum huius Ordin. Cæsaraugustæ: ac sic necessario inter M.CCXV. & M.CCXIX. dicitur originem sumpsisse. Ego autem puto hunc Ordinem multo antiquiorem, nam Ordin. Pœnitentium fuere conuentus in Italia, Gallia, & Belgio etiam ante Concilium Lateranense, vt inferius demonstrabo.

CAPVT XXVI.

De Ordine S. Dominici, aliisq; approbatis sub Regula S. Augustini.


Vndante iam Ordine S. Francisci circa annū Domini M.CCIX. B. Dominicus cuius fundatio aliquot annis præcesserat, magnum in Ecclesia Dei fructum perceptibiliter faciebat: hinc de sui Ordinis confirmatione cogitans, ac de Regula eligenda, vel retinenda, ea, sub qua fuerat, maluit eandem Regulam S. August. retinere, in eaque tanquam in firma petra superædificare constitutiones aliquas. Sanum itaque suum consilium Sanctiss. Innoc. III. tunc in Cathedra Petri præsidenti aperuit: quem difficiliorem expertus, assiduis precibus suum conatum Deo cōmendans, causam que iustā feruenter proponens, Dei sensit miracula, ac tandem

B. IOANNES BONVS OPTIMVS AD PERFECTIONEM INSTRVCTOR.



Intima Francisci tetigit Seraphicus ignis,
Et sua difficilem iussit habere patrem
IOANNI pia vota BONO profitetur, et atrâ
Viuit Eremites Zoniger in tunicâ.

Franciscum penitus violentior ignis adussit,
Et sua IOANNEM iussit habere BONVM.
Discipulo bene Praeceptor dicitq; facitq;
Quò virtus, Fili, te tua rapiat, abi.



dem Ordinis sui confirmationem ab eadem sede tempore Hoorij III. non difficulter impetrauit anno M.CCXVI. Romæque duo ad minus Monasteria instituit, alterum virorum, mulierum alterum; non sine incredibili fructu totius Catholicæ Ecclesiæ: nam præter Doctores innumeros, Episcopos, Cardinales ac Pontifices, habuit hic Ordo Beatos plurimos & sanctos caoonizatos fere duodecim, estque per totum terrarum orbem dispersus adhuc hodie, ac refertus viris doctissimis, qui tum publicis vniuersitatibus, tum collegijs, & maxime sacro Inquisitionis officio laudabiliter præsuot, vnde & officium Magistri sacri Palatij in Romana curia hic Ordo suis meritis ac doctrinis promeruit & curam sacram Pœnitentiæ apud S. Mariam maiorem. Saluam quoque & integram plerisque in locis seruat disciplioam, in duas tantum congregationes diuisus, quarum vna est Lombardiæ, altera non ita pridem Reformatorum in Gallia, quæ tamen vni parent Generali perpetuo & absolutè. Estque hic Ordo sub Regula S. Augustini fere maximus, immo instar omnium. Præter Monasteria virorum plurima per totum orbem terrarum habeotur huius Ordin. Mooasteria monialium, pari disciplina & vigore conseroata, quorum etiam admioistratio, tam temporalis quam spiritualis Ordinarijs Ordinis superioribus vt plurimum subest, eodem iure quo virorum.

ORDO PRÆDICATORVM.

Eodem anno quo Ordo S. Dominici approbationem obtiouit sedis Apostolicæ, in Belgio nec infrequens, nec obscurus Ordo Fratrum Crucigerorum fundatus fuit; qui eodem etiam habitu vtuntur, quo FP. Laici Domioicani; hoc solo discrepantes ab ijsdem, quod crucem albi & rubri coloris scapulari nigro adsutam gerant, sacris interim initiantur & officia celebrant. Primam huius Ordinis originem ad Canonicos Embriceoses referuot Authores, è quibus duo zelo piæ ac Regularis vitæ permoti certom viuendi ritum Card. Vgoni per Germaniam Legato obtulerunt, sub Regula S Augustini, à quo etiam vti postea ab Innocen. IV. confirmati fuere.

Anno M.CCXVIII. sub Honorio III. Ordo dictus S. Mariæ de Mercede io Aragonia auspicijs Iacobi I. Aragoniæ Regis, & Petri Nolasti de coosilio S. Raimundi Pennafortij Dominicani incepit. Iacobus enim præfatus Deo nec gratius, nec amplius obsequium putabat se posse præstare; quam si remporales diuitias in extinctionem infidelium conferret, vnde Eqoites instituit in honorem glorios. Virg. Mariæ, cuius etiam suasu addidit Religiosos Sacerdotes; quorum operâ hi Equites vel etiam alij captiui à barbaris possent redimi. quo in officio egregiam adbuc hodie diligentiam adhibent hi Patres incredibilibus expensis, quamuis nec desiot studijs in Hispania, vbi & concionatoribus, & lectoribus Scholasticis abuodant magno booo Ecclesiæ. Romæ apud S. Adrianum non ita pridem ædificauere, habitum gerunt totaliter album, ac in pectore insignia Regni Aragooiæ cum cruce, Geoeralem habent Sacerdotem Equitibus ac Monachis communem.

ORDO S. MARIÆ DE MERCEDE.

CAPVT XXVII.

De varijs Ordinibus Regulæ S. Augustini annexis post Lateranense Concil.

Circa Lateranẽse Concilium frequentes ac varij Ordines sese prodiderunt, vnde etiam pro maiori Ecclesiæ bono in eodem Concil. statutum fuit, ne vlli amplius Ordines, aut piorum societates in communi viuentium admitterentur, nisi consultâ Romanâ sede, atque ab eadem obtentâ approbatione, quæ huc vsque penes Ordinarios locorum fuerat, vt colligitur ex cap. *Ne nimis, de Religios. domib.* cui etiam addebatur præceptum, Religiosam domum fundare volentibus, vt Regulam & institutionem acciperent de approbatis aliquam.

ORDO VALLIS SCHOLARIVM. *Anno 1218.* *Genebrard in Chron.* *Chopp. tit. 1. n. 23. lib. 2.*

Hinc non solum Cruciferi, Patres de Mercede Aragoniæ, PP. S. Dominici, sed ferè decem Ordines fuere eodem tempore ad Regulam S. Augustini admissi. Circa annũ M. CCXVIII. Gullielmus, Richardus, & Euerardus, Theologiæ aliarumque disciplinarum professores, natione Angli tum considerantes mundi in maligno positi vanitatem, sæculo renuntiauerunt, sibique de consensu Episcopi in Gallia Campaniæ locum solitariũ elegerunt, moxq; ab Honorio III. sub Regula S. August. facultatem viuendi in tali societate, nec non eandem ampliandi obtinuerunt, nomen & titulum à Scholis relictis assumentes, fundationem suam Ordinem Vallis Scholarium nuncuparunt. Fuit is Ordo paulo post in Burgundiam, Belgium, & Angliam perductus, atque in aliquot locis Belgij adhuc hodie perseuerat, honestâ fortunâ dotatus: qua etiam dilatatus, Priores seu eorundem fratrum Rectores, Prioratus suos in Abbatias conuerterunt, vt videre est Læodij, Montibus Hannoniæ, & Geronsartij.

ORDO EQVITVM S. MARIÆ.

Ad Regulam S. August. tunc etiam accessit celebris Ordo Equitum S. Mariæ in Hispania, suamque confirmationem â Greg. IX. non ita post impetrauit, maximè quo gloriosissimum nomen Virgin. Mariæ à Saracenis, Gentilibus, Paganis, ac Hæreticis impetitum redderetur intactum.

ORDO SERVORVM S. MARIÆ. *Anno 1232.*

Anno M. CCXXXII. Initium sumpsit Ordo Seruorum B. Mariæ à septem ciuibus Florentinis, qui eodem spiritu tuendi gloriosissimum nomen Virgineum accensi, eius famulitio, in festo Assumptionis Deiparæ, dum sacris interessent, sese dedicarunt: quem spiritum peracto officio dum quisq; socio communicaret, & omnino eundem apud semetipsum expertus fuisset, communicato consilio cum Episcopo Ardingo, particularem Dei inspirationem sibi factam agnouerunt, vnde depositis vestibus sæcularibus vili tunica sese contexerunt, & vna processerunt Episcopum salutaturi, benedictionemque accepturi. Quo etiam tempore, ex ore infantium & lactentium hi septem viri, Serui B. Mariæ fuerunt proclamati, & ne quid deesset mirabile in tali institutione, sacratissima Virgo Maria, noctu, multis Angelis comitata, nigra veste induta, tum illis deuotis seruis, tum Ardingo Episcopo apparuit, præcipiens, vt filij hi congregati nigra veste, in memoriam acerbissimæ passionis Christi, luctus ac viduitatis Deiparæ, vestirentur, & sub Regula S. Augustini viuerent. Qua visione commotus Episcopus, sole illucescente ad locum in quem sese receperant hi Dei serui, perrexit, & iuxta sibi factam apparitionem eosdem fratres Seruos B. Virg. appellauit, & vestiuit, eisque Regulam S. Augustini præscripsit. Horum etiam cum Innoc. IV. certior redderetur à Priore Generali Bonfilio, eundem Ordin. Bononiæ confirmauit anno M. CCLXI. Cæterum viget adhuc hic Ordo in Italia, habens celeberrima Monasteria in præcipuis ciuitatibus; Romæ apud S. Marcellum & apud

Apparitio D. Virginis indicantis Regul. S. August.

& apud S. Mariam in via, Florentiæ apud Annunciatam, Rhegij apud Virginem miraculosam. Floruit in hoc Ordine sanctitate & miraculis illustris B. Philippus Benitius V. huiusce Ordinis Generalis, sub quo mirifice auctus ac in Germaniam propagatus est. Coluntur etiam septem illi primi institutores apud eosdem Patres, quorum corpora sub ara maiore in templo Montis Senarij sepulta iacent, non sine maximis indicijs sanctitatis. Nostra etiam memoria ij Patres huius Ordinis rigidiorem vitam aggressi, eundem Ordinem reformarunt sub Regula S. Augustini, cui rigidissimas addidere constitutiones, pleraque etiam obtinent Monasteria, vnum vidi non ita pridem Oeniponti, quod ante biennium conflagratum restauratur, alterum in monte Quirinali.

Bonfilius, Bonaiuncta. Manettus Vgucio. Alexius. Sostheneus. Amadeus

REFORMATI SERVITÆ.

Eodem fero anno, vel vno ante horum Fratrum initium, Congregatio Canonic. Regularium S. Marci de Mantua, à Gregor. IX. fuit confirmata, postquam decennio integro fuisset probata: cui congregationi nomen dederunt postea alij & alij Religiosi Regulares erecto Monasterio Mantuano, quod hodie fere totius Italiæ celeberrimum existit.

CONGREG. CANON. REGVLARIVM MANTVÆ.

CAPVT XXVIII.

De Ordine Eremitarum S. AVGVSTINI *eodem tempore restaurato.*

CVRAVIMVS hactenus tum ex authenticis scriptis, quæ legimus, tum ex probatis Authoribus deducere qualiter Fratres Ordinis Eremit. S. Augustini in illo interuallo temporis, scilicet à dispersione sua de finibus Africæ, vsque ad tempora Concil Lateranensis vixerint, quidue egerint, hocque vnum certum esse quod illa sancta propago sancti Augustini non omnino extincta fuerit, sed in aliquibus bonis Fratribus in quadam sancta simplicitate viuentibus perdurasse vsque ad *annum Domini* M. CC. circa quod tempus regnauit *Innoc. III.* ac maiori postmodum nomine effloruisse; quod maiori deinceps certitudine deducemus cum & Religio adultior, & plures habeat Authores. Notissimum enim est quod Innoc. III. circa *annum M. CXCIX.* mandauerit cuidam mulieri, vt separato thoro, ex quo 4. proles susceperat, reuerteretur ad Monasterium, *eo quod in manibus cuiusdam de Fratribus S. Augustini votum emisisset, & in eiusdem Ordinis habitu, biennio permansisset.* Vbi agi de Ordin. Eremit. S. Augustin certissimum est, cum dicatur fuisse professio facta in manibus *Fratris S. Augustini.* Nulli enim hunc titulum habuerunt simpliciter, nisi soli Eremitæ Augustiniani: Canonici enim, non appellantur Fratres S. Augustini, sed vel Clerici dicuntur, vel Fratres Canonici, hinc glossa Ordinaria hunc Fratrem vocat *Monachum*, & Claudius Spenceus, inquit, *Restat Augustinianum fratrem habuisse potestatem incorporandi Monachismo.* Nauarrus ait hunc *Monachum vixisse in Monasterio*: & Azorius expresse docet, *hunc Monachum fuisse Eremitam S. Augustin.* Quamuis putet hos Eremitas alterius fuisse generis, quam modo sint Eremitæ Augustiniani: quod verum est, si accidentalia quædam consideremus, tunc enim non habitabant tam frequenter in ciuitatibus, tunc Ordo non erat ita ampliatus, nec vnitus sub vno capite, sed in multas congregationes diuisus, hi album, hi nigrum, hi cineritium gerebant habitum, hi absolute dicebantur Ordin. S. Augustin. alij Guillelmitæ Ordin. S. Augustin. alij Iohani-Bonitæ Ordinis S. Augustini, alij etiam alijs nominibus appellabantur.

Cap Insinuante, qui Clerici.

Lib. 4. de cont. cap 11.

Consil. 14. de stat Monach.

Lib. 1 2. instit. c 23. q. 5.

Differentiæ inter FF. Eremit. S. Augustini olim & modernos.

Lib. 1 Epist.

Ante idem Concil. Lateranens. Innoc. III. mandauerat Priori cuidam Augustinianorum, vt declararet excõmunicatum Archiepisc. Cantuarien. eo quod Priorem Ordin. S. August. post appellationem ad sedem Apostol. excommunicationi subiecisset. Qui certe textus non aliter quam de Fratribus Eremit. S. August. explicari potest. Canonici enim non habent Priores, sed Præpositos & Decanos, si qui verò sint Priores sub Abbatibus, illi sunt recentiores, & de his non potest intelligi hic textus: non enim commisisset Innoc. Priori excommunicationem Archiepisc. omisso Abbate, nec Archiepiscop. egisset contra Priorem, sed contra Abbatem, nec etiam Prioris erat appellare ad sedem Apost. sed Abbatis.

Ordo Eremit. S. August. præcessit Concil. Lateranens.

In Honor. III.

In confirmationem huius antiquitatis possem adducere centum Authores qui omnes fatentur Ordin. Eremit. S. August. ante Côncil. Lateranen. exstitisse. Author Fasciculi temporum inquit: *Quatuor Ordines Mendicantium, videl. Prædicatores, Minores, Carmelitæ & Augustinenses confirmantur ab Honorio.* Naucler. & Trullus dicunt: *Ordo Eremit. sub Innocentio & Honorio, sub titulo Frat. Eremit. & appellari, & nominari iussus est. Non quod illi celeberrimi Ordin. demum huius Pontif. ætate sua initia acceperint,* inquit Seu. Binius, *sed quod ex obscuris Asiæ & Africæ latebris erumpentes magis innotuerint, ac in Italiam, aliasq; Europæ partes felicius increuerint sub Apostolicæ sedis clientela ac patrocinio constituti.*

Volum. 2. Gen. 41. anno 1281. Lib. 1. de Ord. Canon. Reg. c. 8. Tom. 3 Concil. 2. p. in vita Hono. IV.

Habetur in libro de fatris alt.

Parem interpretationem habet Coclæus in epist. ad Ferd. Regem Rom. quando scribit de Innoc. III. *Ipsius auspicijs alij quoq; instituti sunt Ordines, vti Fratres S. August. Eremitæ, Fratres S. Mariæ Carmelitæ, Crucigeri, Guillelmitæ, quorum Ordines sub hoc Pontifice aut à nouo sunt instituti, aut in melius restituti.* Bellarm. putauit hunc Ordin. S. August. tempore Innoc. III. titulum Eremit. accepisse. *Ordo* inquit *Eremit. S. August. ab Innoc. III. hoc nomen accepit, cum antea Guillelmitæ dicerentur.* Ludou. Miranda Ordin. S. Francisci dicit Ordinem Eremit. etiam cum hoc titulo longe ante floruisse. *Multis retro sæculis per omnes mundi partes diffundebantur, profitentes se esse ex Eremitis D. Augustini:* Loquitur de tempore Alexan. IV. Eodem modo loquitur Possiuinus, Ribadeniera, & diu ante illos Iordanus: Ex quibus omnibus quamuis inter se diuersis, hoc saltem constat, tempore Innoc. fuisse Ordin. Eremit. S. August ante Lateranense Concil. qui non fuit extinctus, sed auctus. Hoc euidentissime etiam fatetur Concilium Lugd. verbis illis tam claris, quæ continentur in cap. *Religionum de Religiosis domibus in 6.* vbi Conc. inquit: *Ceterum Eremitarum S. August. & Carmelit. Ordines quorum institutio dictum Generale Concil.* (Lateranense) *præcessit, in suo * solido statu volumus permanere.* In quæ verba dicunt S. Anton. & Iord. *Quod Ordo iste illud Lateranense Concil. præcesserit, exprimitur in textu Decretalis, extra de Religiosis Dom. cap. Religionum lib. 6.* Et paulo post. *In eodem Concil. quia ibi de Ordinibus singulis tractabatur, Ordo Fratrum Eremit. S. August. registratus fuit, & annotatus absq; tamen solennitate confirmationis, &c.* & Azorius ijsdem pene verbis idem scribit asserens. *In cap. Religionum. § sane, de Religiosis domibus in 6. aperte dicitur Ordin. Eremit. S. Augustin. ante Generale Concil. Lateranense sub Innoc. III coactum, institutum fuisse, cum tamen Dominicanorum & Francisc. Ordin. aut post illud Concil. aut saltem sub id temporis fuerint constituti.* Eodem modo explicant hoc capit. Dominicus de S. Gemin. Chioppinus & Cassaneus. Post Concilium Lateranense statim apparuerunt Fratres Augustiniani in maiori numero, ac præ cæteris Ioannis Boni Eremitæ, qui paulo ante sese Regulæ S. August. coniunxerant, maximum incrementum fecerunt numero & locis multiplicatis. Locupletato nunc supraque modum adaucto Fratrum numero, cum ad decrepitam ætatem peruenisset. B. Ioannes Bonus Generalatui renunciauit, ac P. Matthæum suæ Congregationi præficiendum Episcopo Cæsenatensi proposuit ac impetrauit, quo liberius Deo vacaret. Quod cum ciues Mantuani intellexissent, eundem

Descrip. Eccles. anno 1241.

In Manuali Prælatorum. q. 4. art. 6.

Testimonium Concil. Lugd.

** solito.*

Lib. 12. c. 83. q. 3. §. Quart.

In cap. Vnic. lib. 1. Monast. tit. 1. num. 49. In Cathol. G. M. 4. q. conf. 77.

dem B. Ioannem, cuius sanctitatis fama per totam Italiam sparsa ferebatur, inuitarunt, eique solitarium locum iuxta Mantuam designarunt. Vt scribit Iordan. de Saxon. his verbis: *Tandem vero vt liberius orationi & contemplationi vacare posset, de licentia Prioris Generalis apud Mantuanam ciuitatem locum solitarium elegit, ibiq; deuotissime Deo seruiens in pace vitam finiuit, & multis miraculis claruit.* Contigit autem hic obitus *Anno M.CCXXII.* postquam fere triennio semotus à turbis fuisset.

Lib. 1. cap. 8. In Congreg. Eremit. Ioan. Boni eligitur Gen. P. Matthæus.

Narrat hanc B. Ioan. Boni cessionem, ac P. Matthæi promotionem plenius Cardin. Guillelmus tituli S. Eustachij, huius Cōgregationis Ioannis-Bonitarum Protector in confirmatione Generalis electi, quam inferius ponemus, vnde etiam pleraque alia totum decursum huius Congregationis concernentia licebit colligere.

Mortuo B. Ioanne Bono, cum Deus per illius merita plura operaretur miracula, cœpit corpus esse magnæ venerationi, pluresque ad Ordinem accurrere magno bonorum applausu & auxilio, ita vt plura per agrum Mantuanum, ac Mediolanensem excitarentur cœnobia.

Obitus B. Ioan. Boni eiusq; sanctitas.

Extabat tunc celebre monasterium Romanum, in quo frequentes nouitij educabantur. Epitaphium vnius tempore Xysti. 4. repertum fuit, illudque adhuc hodie in memoriam tantæ antiquitatis extat, in hunc tenorem. *Anno Domini M. CCXXVI hic iacet corpus F. Ioannis de Ordin. FF. Eremitarum S. Augustini, qui vixit pro Ordine annos duos, menses quatuor, dies duodecim.*

Monasterium Rom. S. Mariæ de populo.

Epitaph. Eremitæ Augustiniani

Anno 1224.

Immo hisce annis tanta erat Eremitarum S. Augustin. sub Ioanne Bono congregatorum frequentia in Lombardia, illorumque habitus tam diuersus, vt maximè ad habitum Fratrum Minorum accedentes, illis essent similimi: quare & populus raro poterat illos à se inuicem discernere, frequenterque his porrigebat eleemosynas, dum illis easdem addixisset nō sine aliqua confusione: quare Pontif. Gregor. IX. sub initium sui Pontificatus hac de re monitus eisdem Eremitis, & cucullas, & corrigias, cæteraque sui habitus signa distinctiua præcepit, eisque obtulit colorem nigrum vel album, vt eligerent, quo magis à Fratribus Minoribus cineritio habitu vtentibus distarent, prout etiam hoc idem aliquot annis post indicauit Episcopis Marchiæ vt ad easdem leges, suos Eremitas Ioannis Boni, adigerent, sub hac forma.

Habitus exterior Eremit. conueniebat cum Minor.

GREGORIVS PP. IX. Venerab. Fratribus Episcopis per Anconitanam Marchiam constitutis Sal. & Apost. bened. Dudum apparuit in partibus Lombardiæ Religio, cuius professores vocati Eremitæ Fratris Ioannis Boni Ordin. S. Augustin. nunc succincti tunicas, cum corrigijs, baculos gestantes in manibus, nunc vero dimissis baculis incedebant pecunias pro eleemosynis aliisq; subsidijs deposcentes, & adeo variantes Ordin. sui substantiam, vt dilectis filijs FF. Minoribus vniformes in derogationem multiplicem ipsorum Ordin. crederentur ijsdem sententibus propter hoc minorem apud fideles in suis opportunitatibus charitatem. Sane cum per Ven. Fratrem nostrum Hostiensem Episcopum, & bo. me. N. tit. S. Sabinæ presbyterum Cardin. tunc in partibus illis Legatione fungentem, huiusmodi præsumptio ad nostram audientiam peruenisset, Nos ne identitas vestium in Ordinibus ipsis confusionem pareret, & inde scandala grauiora consurgerent, ad vtrorumq; quietem prouidimus statuendum, vt Prior, & vniuersi ac singuli Fratres prædicti Ordin. S. Augustini in exterioribus vestimentis, quæ nigri, vel albi debebant esse coloris, quorum altero videlicet nigro tam electo ab ijs, ipsos volumus esse contentos, largas & protensas manicas, quasi ad instar cucullarum, & desuper ipsa ferant peramplas corrigias, patenter omnibus apparentes, ita quod omnes vincti deforis eas vestibus nequaquam contegant, & portantes in manibus baculos quinque palmarum grandium, ac expresse in eleemosynarum petitione, cuius sint Ordin. declarantes, adeo suarum vestium longitudinem temperent, quod à quibusuis ipsorum calceamenta videantur, vt sic habitus confusione

Bulla Greg. IX. pro distinct. habitus.

Anno 1237.

Verus habitus Fratrum S. August.

semota & subsita materia scandali, à prædictorum Ordinum Fratribus possit virtutum Domino liberius deseruiri. Verum cum quidam Eremitæ præfati Ordin. S. August. ac alij Religiosi supradictis Eremitis conformes habitu, in eadem Marchia constituti, formam prædictæ honestatis prohibitam gestare dicantur in eorundem Fratrum Minorum infamiam, & scandalum plurimorum, Fraternitatibus vestris mandamus, vt vniuersis, & singulis Eremitarum ac Religiosorum prædictorum, districtius iniungatis, vt circa præmissa, memoratæ prouisionis statutum inuiolabiliter obseruantes, eum qui monitus non resipuerit, donec redeat ad mandatum, à suo consortio excludere no postponant. Cæterũ quia pietas persuadet, vt ipsi ex obedientiæ studio, præmium honoris & gratiæ consequantur, eos prædictam prouisionem laudabiliter obseruare studentes, curetis benigno fauore prosequi, & tamquam Catholicæ Ecclesiæ filios faciatis ab alijs confoueri. Si vero suæ voluntatis arbitrium præferendo, iudicio vestro contrauenire præsumpserint, in eos excommunicationis sententiam promulgetis, quam per vestras ciuitates & diœceses publicari solenniter, & eosdem tanquam excommunicatos vsque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, arctius euitari ab omnibus faciatis. Dat. Laterani IX Kalend. April. Pont. nostri anno XIV.

Nota Eremitas Ordin. S. August. antè Alexand. IV.

In qua Bulla Pontificia hoc notandum, quod inquit, *dudum apparuit* per quę verba designat hanc Congregationem Ioannis Boni, iam ab aliquot annis comparuisse. Hic enim non loquitur de *Eremitis Ordinis*, qui ab his etiam hoc tempore erant distincti: Ordinis enim Generalem tempore Gregorij IX egit P. Adiutus de Grafano, vti supra demonstraui. Colligitur hoc euidenter ex inito contractu inter Conuentũ Vlyssiponensem & D. Susannã, de quo infra, vbi exprimitur rexisse Prouincialem Laurentium & Generalis Visitatorem P. Paschasium Darera. Ordinem fuisse separatum colligimus ex diuersis fundationibus de quibus 3. p. c. 1. in quibus nunquam fuit facta mentio Congregationis B. Ioannis Boni, sed solius Generalis. Colligitur etiam hos Eremitas Marchiæ fuisse alios ab Eremitis Lombardiæ, hi enim habebant Generalem, erantque Congregat. Ioannis Boni: præerat enim tunc, vel Matthæus vel Marcus Cæsenatensis; alij verò, nec nomen habebant Ioannis Boni, sed Eremitæ S. Augustini dicebantur & nullum forte superiorem agnoscebant nisi Episcopum, nam illis mandatur *vt singulis Eremitarum Religiosis districtius iniungant.* si superiorem habuissent, illi soli sufficisset intimare.

Congreg Ioan. Boni erat separata ab Ordin. S. August. *Anno 1242.*

ORIGO CONGREG. DE BRICTINIS. *Anno 1230.*

Hisce annis inuenio apud Posseuinum floruisse Guilhelmum Durantes Ordin. Eremit. S. Augustini, Episcopum Mimatensem, qui agnomine Speculator dictus fuit, quem ferunt plurimi scriptores Authorem libri, cui titulus *Rationale Diuinorum officiorum.*

Tom. 1 facri app. verbo Guill anno 1286.

Sub prænominato Gregor. IX. decem fere annis ante datam superioris dispositionis Apostol. initium habuit Congregatio de Brictinis Eremit. S. Augustini. Quidam enim Eremitæ arctissimam vitam meditantes ad Eremum Brictinensem, iuxta Fanum conuenerant sola hac Eremo contenti, donec quarto post anno apud Greg. IX. pro confirmatione suarum constitutionum instantes, eandem impetrarunt: *A festo exaltationis S. Crucis, vsque ad festum Resurrectionis Dominicæ, præterquam diebus Dominicis, & grauibus necessitatibus ieiunabant, vti etiam Feria 4. 6. & Sabbato alijsq. temporibus ab Eccles. constitutis. Abstinebant deinde perpetuò ab esu carnium, & condimento sanguinis. Caseum & oua tantum tribus diebus in hebdomada comedebant excepta Quadragesima, S. Martini, ac septuagesimæ solennibusq. Ecclesiæ ieiunijs, in quibus nec iter agentibus illa concedebantur. Singulis annis celebrabant Capitulum, Diffinitores à Prioribus & Visitat. eligebantur, ipsis vero Visitatoribus ac Diffinitoribus potestas erat, tam in capite quam in membra corrigendi & restaurandi secundum Deum & Regulam S. Augustini. In vestibus nec de colore nec de valore debebant contendere, modo viles essent. Lanea vtebantur indumentis, extra Eremum* nullam

Idib. Martij anno 234. Constitutiones rigidissimæ huius Cõgreg.

Ex Bulla Greg. IX. Dat. Perusij.

nullam poterant adipisci possessionem, corrigia amplà cingebantur, caligas & calceos secundum superioris nutum portabant. Nullus nisi Eccles. Prælatus ad ipsorum mensam poterat admitti.

Erant etiam hi Patres ab Eremitis Ordinis diuersi, nam hoc fere anno S. Nicolaus de Tolentino in Monasterio S. Angeli concionatorem Ordinis audiuit nullius Congregat. eique adhærens habitum Ordin. in Monasterio Castri S. Angeli suscepit. Nullus enim Author vnquam illum alicui Congregationi adscripsit Eremit. sed semper Ordinis Eremit. ab Eccles. approbati fuisse testantur omnes.

Eremitæ Congreg. de Brictinis, erant distincti ab Eremit. Ordini.

Anno 1254. S. Nicol. Tolent. erat Ordinis.

Breuiar. lect. 4. Martyrol. 9. Septemb.

Anno M. CCXLII. Nobilis quædam Domicella Susanna, Patribus Lusitanis Ordin. S. August. erexit Ecclesiam in honorem Sanctorum Ordinis, addiditque aream & campum priori loco S. Genesij, certis conuentionibus ac pactis factis cum iisdem Patribus de Monasterij superstructione in eodem loco, vt constat ex tabulis erectis anno sequenti, coram Petro Ferrario Notario.

Secunda fund. seu restauratio August. in Lusitania.

Paucis ante annis aliquot Eremitæ vnionem inter se fecerant in partibus Tusciæ, nulli adhuc Regulæ aut obedientiæ adscripti, quod cum illis ipsis experientia teste videretur iniquum, absque fundamento stabili submiserunt ex sua Congregatione Romam P. Vgonem & Stephanum, vt ibidem à summo Pontif. impetrarent Regulam S. August. cum mandato Ordini sese subijciendi. Quod cum ob Sedem vacantem aliquamdiu esset dilatum, tandem ab Innoc. IV. ad Pontificatum euecto fuit impetratum sub hac verborum forma.

Anno 1237. Vnio Eremit. Tusciæ.

Procuratores vnionis.

Innoc. Episcopus Seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Eremitis vniuersis Tusciæ exceptis Fratribus S. Guillelmi per Tusciam constitutis Sal. & Apostol. benedict. Incumbit nobis ex officio debito Pastoralis, & plantare sacram Religionem & fouere plantatam, & quantum in nobis est vniuersos ac singulos in proposito confirmare, ne si fauore fuerint Apostolico destituti, non proficiant in incepto, sed deficiant potius vel tepescant. Cum enim per Dilectos filios Fratres Stephanum, & Vgonem Eremitas propositum vestrum fuerit nobis expositum diligenter, Nos nolentes vos sine pastore, sicut oues errantes post gregum vestigia euagari, vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in vnum vos Regulare propositum conformantes Regulam B. Augustini. & Ordinem assumatis, ac secundum eum profiteamini de cætero vos victuros, saluis obseruantijs & constitutionibus faciendis, dummodo eiusdem Ordin. non obuient institutis, prouisuri vobis nihilominus de Priore idoneo per electionem canonicam, cui præstetis obedientiam ac reuerentiam: Si vero super præmissis aliquid difficultatis emerserit, ad Dilectum filium nostrum Richardum S. Angeli Diacon. Card. quem vobis Correctorem ac Prouisorem deputamus, recurratis. Dat. Laterani 17. Ianuar. Anno I.

Breue vnionis. Innoc. anno 1243.

Ex hac Bulla Apostol. Innoc. euidenter licet colligere, præter Eremitas hos, quos iubebat Pontifex ad Regulam, & ad Ordinem S. Augustini accedere, extitisse aliquem Ordinem S. Augustini, quomodo enim illum potuissent assumere, quomodo secundum eundem profiteri, & quomodo potuissent condere statuta Ordini S. Augustini non obuiantia, vt ibidem cauetur.

Eremitæ Tusciæ fuere distincti ab Eremit. Ordin.

Neque hic per *Ordinem S. Augustini* intelligi potest Congreg. Ioannis Boni, aut de Brictinis vel alia ex iis quæ erant eiusdem Ordinis, nam tunc Pontifex hoc expressisset, & subiecisset hosce Eremitas Tusciæ Generali Ioannis-Bonitarum, vel alteri superiori, & illis nō reliquisset prouisionem superioris idonei per electionem canonicam, neque alium Cardinalem Prouisorem illis assignasset, quam Cardin. Guillelmum S. Eustachij, Ioannis-Bonitarum Protectorem.

Capitulum Eremit. Ioannis-Bonitarum.

Celebrabatur interim Fratrum Eremit. Congreg. Ioanois Booi Capitulum Ferrariæ renunciante Veo. viro Matthæo, in quo Capitulo putatur fuisse magnus suffragantium numerus: non obstante enim schismate (diuisis inter se Fratribus, dum hi P. Matthæum confirmandum, alij vero ad nouam electionem procedendum esse arbitrarentur) electio progressum habuit, successitque canonicè electus, in officium Prioris Generalis huius Congregationis Ioannis Boni P. Vgo Mantuanus: quam electionem, vt alij qui recesserant à Capitulo intellexerunt, statim Priorem Monasterij de Cæsena constituerunt Fratrem Marcum, cum que vt caput suæ Congregationis veoerati fuerunt, durante Congregationis scissura ad triennium integrum, non ob aliam causam exorta fuerat difficultas, quam quod hi Generalis digoitatem vellent affixam Prioratui Cæsenatensi, alij vero eandem vellent liberam.

Schisma inter Eremit. Ioannis Boni

Progressus Congreg. Eremit. de Bricti ais.

Stante hac controuersia magis & magis aliæ Congregationes proficiebant. Brictinenses hisce annis ab Innocent. impetrarunt Monasterium S. Mariæ Magdalenæ in Valle-Petra, cuius Religiosi Ordin. S. Benedicti fuerant, qui omnes ad Ordinē S. Augustini Congregationis de Brictinis traosierunt, cum hac Innoc. IV. commendatione ac dispositione. Commendatio sic habet.

Transeunt PP. Benedictini ad Regul. S. August.

Innoc. Episcopus Seruus Seruorum Dei dilecto filio I. S. Mariæ in via lata Diacon. Cardin. Apostol. Sedis Legato Sal. & Apostol. benedict. Insinuarunt nobis dilecti filij Prior, & vniuersi Fratres Eremitæ de Brictinis Ordin S. Augustin. quod Prior Eccles. S Mariæ Magdal. in valle de Petra Bononien. Diœc. ad frugem vitæ melioris aspirans de sui Conuentus voluntate, & vnanimi consensu, in manibus dicti Prioris de Brictinis pro se, ac præfato Conuentu saluo per omnia iure Ven. Frat. nostri Bononiens. Episcop. fecit obedientiam manualem, B. Augustini Regulam, constitutiones, ac obseruantias eorundem seruaturum perpetuo pro se, ac suis Fratribus. Cum autem Priorem & Eremitas huiusmodi pro Religionis suæ meritis affectu prosequamur in Domino speciali, dicto Episcopo preces direximus, & mandatum, vt quod in hac parte intentione salubri factum esse cognoscitur, pro Diuina & nostra reuerentia gratum sibi constituens & acceptum, id prout spectat ad ipsum confirmare non differat, & super hoc tibi etiam, cum requisitus fuerit, reuerenter intendat proinde discretioni tuæ per Apostol. scripta mandamus, quatenus eundem Episcop. sicut efficacius poteris, vt mandatum nostrum compleat, exhorteris; nobis quod super hoc feceris & inueneris, scripturus. Dat. Lugd. XV. Kal Iulij Pontif. nostri Anno IV.

Dispositio vero aliquot annis post ab eodem Innoc. etiam renitente Episc. Bononiensi fuit facta, concessa desuper plenaria facultate eidem Cardin in via, *super incorporatione ac vnione præfata procedendi, & contradictores per censuras compescendi omni appellatione postposita.*

Dispositio Canonizat. B Ioannis Boni. *Bzouius tom. 13 ann. 1249. §. 11.*

Idem Innoc. IV. vti probe addictus Eremitis S. August. cuiuscunq; Congregationis, Anno M. CCL. animum applicuit Canonizationi B. Ioannis Boni, vnde Episcopo Mutinensi mandat, vt processum vitæ, mortis ac miraculorum instituat, quo citius posset Sanctus declarari ac publice coli, quod cum diligenter exequutus fuisset Mutinensis Episcop. iamque retulisset mirabilia huius beati viri, Innoc. obijt, ac bonæ suæ intentioni satisfacere nequiuit.

Componitur controu. Eremit. Ioannis Boni.

Sedabatur adhuc ante obitum Innoc. grauis illa cōtrouersia inter Patres Congreg. Ioan. Boni exorta, de qua supra, per Guillel. Cardin. celebrato Capitulo Bononiæ, in quo Lancfrancus Congreg. B. Ioannis Boni Generalis fuit electus, fuitque tum electio, tum redintegratio à Sanctiss. Innoc. confirmata & approbata. Confirmationem antē volui hic appositam, cum plurima inde ad Ordin. Eremit. fundationem spectantia colligi possint, vt in margine notabitur.

Innoc.

Bulla sanctificationis.

Innoc. IV. Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordin. Eremit. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Admonet nos cura suscepti regiminis, & Auctoritas Pontificalis inducit, vt & plantare sacram Religionem, & plantatam fouere summoperè debeamus. Quod vtilius tunc exequimur, si ea, quæ sunt recta, nutrimus, & corrigimus, quæ profectum virtutis impedire noscuntur. Quia verò diuersitas formæ, quam Fratres Vestri Ordin. olim in procedendo, & eligendo sibi Priorem Generalem seruabant, diuersitatem inducebat etiam animorum, & per consequens scandalum generabat: post diuersas electiones, & concessiones factas de Prioribus in Ordin. ipso, & diuersos processus super his habitos: Nos, ad quos spectat errata corrigere, ac nutrire directa, cupientes paci, & tranquillitati vestræ Paterna solicitudine prouidere, Dilecto filio nostro Guillelmo S. Eustachij Diacono Cardin. cui dudum generalem curam Ordinis prædicti commisimus, examinationem electionis celebratæ in generalem Priorem eiusdem Ordinis de Dilecto filio Fratre Lamfranco, Mediolanensi, tunc Priore Domus vestræ Bononiensis, & processuum eorundem duximus committendam. Cum igitur idem Cardin. de mandato, & auctoritate nostra, electione de præfato Fratre Lamfranco, quia eam inuenit celebratam canonicè, confirmata, super professione, ac electione, nec non & nominatione Prioris Gener. ipsius Ordin. faciendis de cætero, ac alijs articulis eadem auctoritate statutum edidit prouidum, & honestum, prout ipsius Cardin. litteris inde confectis plenius continetur: Nos vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardin. super his factum est ratum, & gratum habentes, id auctoritate Apostol. confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum præsentibus de verbo ad verbum inseri faciendo, qui talis est. Guillelmus miseratione diu. S. Eustachij Diacon. Cardin. Religiosis viris, & dilectis in Christo Vniuersis Prioribus, & Fratribus Ordin. Eremit. tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Variam Ordin. vestri formam in profitendo, & in eligendo sibi Priorem Generalem sectantes in variam inter se dissensionis materiam inciderunt. Propter quod necessarium extitit in hac parte vobis, & eidem Ordin. per Apostol. Sedis prouidentiam subuenire. Sanè ad audientiam D. Papæ peruenit, quod Bonæ memoriæ Fr. Ioannes Bonus in Ordin. vestro primam apud Budriolum Cesenatensis Diœcesis de concessione Diœcesani loci eiusdem, domum incepit, & dum fama conuersationis eius per loca vicina crebresceret, & plurimi conuerterentur ad eum, Ecclesiam in honorem B. M. Virginis construxit ibidem: crescente autem numero, & merito einsmodi conuersorum, Religio vestra per eos in diuersis partibus in quibus mansiones construxerant, exstitit propagata. Cum autem ijdem Religiosi aliquam de approbatis Regulam non haberent, quidam ex eis accedentes ad Sedem Apostol. obtinuerunt ab ea B. Augustini Regulam sibi dari, & sic extunc cœperunt in Regularibus obseruantijs instrui, & regulariter se habere. Et quia eorum habitus, qui habitui FF. Minorum videbatur conformis, apud aliquos scandalum quodammodo suscitabat, de mandato, & auctoritate duorum Cardin. qui tunc in partibus Lombardiæ legationis fungebantur officio, nigrum, quem gestatis adhuc, habitum elegerunt. Qui cum iam vocarentur FF. Eremitæ Ioan. Boni Ordin. S. Augustini, nouitij, qui recipiebantur ab eis profitebantur hoc modo. Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ, & tibi Priori FF. Eremit. S. Mariæ de Cesena, tuisque successoribus, vsque ad mortem, secundum Regulam B. Augustin. & constitutiones FF istius loci. In hac verò forma professionis vbi dicebatur istius loci, auctoritate Gener. Capit. eorundem FF. istius Ordin. postmodum dictum fuit. Cumq; dictus Frater Bonus, qui per plures annos Fratribus prædictis præfuerat, & Fratres ipsi eidem tamquam institutori Ordin. ipsorum reuerenter intenderant, cura ipsorum, quæ per excrescentem numerositatem subditorum excreuerat, cedere aspiraret, F. Matthæo, & quibusdam alijs Fratribus suis assumptis ad Episcop. Cesenatensem accessit, qui Episcopus dictum F. Matthæum præsentatum sibi ab ijsdem F. Ioan. Bono, & alijs in Priorem dictæ domus, & per hoc in Gener. totius Ordin. sicut dicitur, confirmauit. Quæ in Religione prædictâ annis plure-

Protector Congreg. B. Ioannis Boni.

P. Lanfrancus primo fuit Gener. Congreg. B. Ioannis Boni.

Initium Congreg. B. Ioannis Boni.

Incrementum eiusdem.

Erant initio sine Regula.

Amictus erat consimilis Fratrum minorum.

Nomen horum Eremit.

Cessio B. Ioannis Boni post longam directionem suæ congreg.

Causa controuersiæ.

pluribus, tamquam Gener. Priore Generaliter ministrante quamplures intrauerunt Relig. eandem, & secundum formam professionis præscripta, quanquam nonnulli ex eis F. Matthæo prædicto simpliciter tamquam Gener. Priori, non tamquam Priori S. Mariæ de Cæsena, se profiteri principaliter crederent, sunt professi. Interea duo FF professionis prædictæ Lugduni ad sedem Apost. venientes, Gener. curam Ord vestri à D. Papa nobis obtinuerunt committi, & Priuilegium quoddam commune, in cuius titulus scribebatur, Priori FF. Eremit. S. M de Cæsen. eiq; subiectis Prioribus, & FF. vniuersis à Sede eadem reportarunt. Prædictus deniq; F Matthæus prudenter attendens, quod in administratione cura, quam assumpserat, sine scandalo diutius remanere non poterat, eo quod ad eandem curam, à quibusdam Fratribus minimè sufficiens haberetur, vocatis Prioribus & FF. omnibus de Ordin. vestro, quorum intererat, Gener. Capit. apud Ferrariam congregauit.

Cessio F. Matthæi voluntaria.

Sed inter ipsum F. Matth & FF. de Cæsena, ac quosdam alios Priores, & FF de Romandiola, super cessione ipsius F. Matthæi antequam eligeret diffinitores Gener Capit. prout secundum tenorem Constitut. sui Ordin poterat, de celebratione Capit. eiusdem contentione suborta, dicti FF de Cæsen & alij contra præceptum eiusdem Fratris, de ipso Capit tandem dissentientes, & contradicentes ne Gener Capit fieret, exierunt. Ipse verò F. Matthæus nihilominus Diffinitoribus electis prædictis in manibus eorum cessit administrationi Gener. quam exercuerat, & iuri si quod in confirmatione sua ab Episcopo Cæsenatensi acceperat, in manibus Nuncij eiusdem præsentis, ibidem publice resignauit. Sicq; huiusmodi cessione, ac resignatione receptis quidam Fratres ex his, qui ibidem aderant, ad eligendum Priorem Gener. assumpti, F. Vgonem Mantuanum in Gener. Priorem totius Ordin. elegerunt.

Habebat iam Congreg. B. Ioan. Boni constitut.

Electio F. Vgonis.

Per illos autem, qui remanserunt, statutum fuit in eodem Capit. vt omnes qui ex tunc in Ordine eorum profiteri deberent, profiterentur hoc modo. Ego N. facio professionem & promitto obedientiam Deo, & B M. & tibi Priori Gener Eremit. Ioan. Bons. Post hac autem, Vir venerabilis Aquilegiensis electus tunc in Lombardia Legatus Apostol. Sedis electionem huiusmodi confirmauit. Fratres verò de Cæsena, & quidam alij de Romandiola cohærentes eisdem, apud Cæsenam conuenientes in vnum, & tam consuetudini, qua Prior FF. S. M. de Cæsena prædicta, per FF Ordin. ad locum ipsum tamquam ad primum & principalem, à quo idem Ordo processerat eligi, & Generalis Prior propter hoc meritò esse, & appellari solebat, quam titulo prædicto priuilegij primò in Ordin ipso obtenti, in quo prædicto Priori de Cæsena scribebatur, principaliter inhærentes, F. Marcum Cæsenatensem in Priorem dictæ domus, & per hoc in Gener. Priorem totius Ordin. elegerunt, ac electionem quam de ipso fecerant, obtinuerunt confirmari per Episcopum Cæsenat Diuersis igitur in Ordin. vestro assumptis Gener. Prioribus, alter in illos, qui obediebant alteri multiplices excommunicationis sententias protulerunt, ex quibus nonnulli celebrauerunt diuina, & excommunicati taliter ad sacros Ordin. sunt promoti.

Confirmatio eiusdem F. Vgonis.

Ijs autem temporibus prædictus F Vgo proprios nuncios ad Apostol Sedem transmittens mutationem professionis prædicta, & id, quod super electione sua per præfatum legatum factum extiterat, prout prouidè facta fuerant, per eandem Sedem obtinuit confirmari. Quoddam etiam priuilegium tunc obtinuit, quod in nullo alio, quam in titulo erat à priori diuersum.

Schisma ob nō intellectam profess.

Cum autem Ordo vester esset in duas partes diuisus, & inter multiplices cōtentiones, & discordias inter ipsos exortas ferè per triennium fluctuaret, tandem Fratres ipsius Ordin cupientes vnitatem, & pacem in eodem Ordine reformari: quatuor ex seipsis procuratoribus constitutis, illos ad curiam Rom. & ad nos specialiter, tamquam patronum sui Ordin. transmiserunt.

Commissarij ad referendum & componendum.

Sed quia tunc eos per nos commodè non poteramus audire, prudentibus viris Electo Paduano, & F. Simoni Mediolanensi Lectori de Ordin. Minorum Capellanis, & Socijs nostris commisimus, vt procuratores eosdem, super his, quæ vellent proponere, diligenter audirent, & prout studiosius possent, Ordin. ipsum ad statum vnitatis, & pacis intenderent reuocare. Dicti verò Electus, & F. Simon statu, & conditionibus Ordin per prædictos procuratores plenius intellectis, quædam in Ordin. ipso pro bono statu eiusdē, super certis articulis, de assensu procuratorum ipsorum pronunciauerunt seruanda, & tandem procuratores ipsos concordes, ad propria remiserunt. Quibus ita remissis præfatus Vgo, & Marcus qui pro Generalibus

Concordia prætendentium.

Priori-

Prioribus se gerebant, & alij FF. qui obediebant eisdem, de communi voluntate omnium, Gener. Capit. apud Bononiam celebrarant. In quo, videlicet Capit. Ordinatione, quæ per prædictos Electum Paduanum, & F. Simonem tradita fuerat, recitata, & lecta, & diffinitoribus Capit. Generalis electus prædictus F. Marcus properauit Cæsenam, & in manibus Episc. Cæsenat. cessit Prioratus loci eiusdem, in quo per ipsum Episc. fuerat confirmatus, & per eundem à cura Prioratus ipsius extitit absolutus: F. vero Vgo, qui per sedem Apostol. confirmatus fuerat in manibus Magistri Bernardini Can. Bonon. D. Papæ Capellani, cui auctoritate Apost. commissum extiterat, quod reciperet cessionem eiusdem, administrationi, & officio successit. Cessionibus itaq; huiusmodi taliter expeditis Priores de ipso Capit. secedentes in partem, prout spectabat ad eos ad tractandum de electione futuri Gener. Prioris in quatuor FF. de ipso Capit. qui deberent Gener. Priorem eligere, concesserunt. Illi autem Spiritus sancti gratia inuocata F. Lamfrancum Mediolanensem, tunc Priorem domus vestræ Bonon. in Priorem General. Ordin. vestri vnanimiter, & concorditer elegerunt. Electio cuius approbata per communem consensum omnium de ipso Capit. fuit ad sedem Apostol per procuratores eiusdem Capit. confirmanda delata, cuius electionis & eorum, quæ superius sunt narrata, processum nobis D. Papa examinandum, & plenius intelligendum commisit: unde nos præmissis omnibus intellectis ea in ipsius D. Papæ & FF. suorum præsentia fideliter retulimus, & recitauimus diligenter. Nos itaq; de speciali mandato, & auctoritate eiusdem Domini electionem prædict. F. Lamfranci, quam inuenimus celebratam canonice, ac ipsum F. Lamfrancum in Priorem Gener. vestri Ordin. confirmamus, eadem auctoritate nihilominus statuentes, vt idem Prior, & quilibet eius successor in perpetuum, qui quidem cum eligendus fuerit, secundum sanctiones canonicas, & statuta vestri Ordin. eligatur, & electionis suæ confirmationem ab Apostol. Sede, seu à Legato ipsius duntaxat recipiat, Gener. Prior Ordin. Erem. siue alicuius certi loci, vel proprij nominis expressione de cætero debeat appellari; & ei tamquam Priori Gener. eorum omnes Priores, & FF. ipsius Ordin. qui & nominentur simpliciter FF. Ordin. Eremit. in omnibus humiliter obediant, & intendant. Prior quoq; S. M. de Cæsena, & alij Priores vestri Ordin. qui consueuerunt in Prioratibus suis institui per diœcesanos locorum, per eosdem instituantur in eis, & tam Prior Generalis quàm alij Prouinciales, & Conuentuales Priores eiusdem Ordin. Episcopis in quorum Diœcesibus degunt, in ijs, quæ ad iurisdictionem Episcopalem pertinent, intendant reuerenter, & respondeant prout debent: ita tamen quod ijdem Episc. contra ipsum Priorem Gener. inconsulto Rom. Pontifice nihil attentent. Fratres etiam qui de cætero in Ordin. vestro debuerint profiteri eidem Priori Gener. vel certo eius nuncio profiteantur hoc modo: Ego N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. M. Virgini, & tibi Priori Gener. Ordin. Eremit. tuisq; successoribus vsq; ad mortem secundum Regulam B. August. & constitut. FF. ipsius Ordin. non obstantibus professionibus, & consuetudinibus quibuslibet vbicunq; in Ordin. vestro hactenus aliter obseruatis, seu priuilegijs, & indulgentijs, ac confirmationibus Apost. cuicunq; loco, vel personæ ab Apostol. Sede concessis, quæ caduca, & vana & nullius esse momenti de cætero auctoritate decernimus supradicta, seu conditione, quam prædictus Episc. Cæsenat. in concessione, quam fecit F. Ioan. Bono de loco Ecclesiæ S. M. de Cæsena prædictæ apposuisse refertur, quod nec ipse F. Ioan. Bonus, nec aliquis eius successor possit locum, & Ecclesiam prædictam alicui loco supponere, vel personæ, aut quod Priores dicti loci fuerunt in eo per eundem Episcop. aliquando pro Gener. Prioribus vestri Ordin. confirmati. Cum illis autem de Ordin. vestro, qui alijs Prioribus Generalibus aliter, siue quocunq; modo in eodem Ordin. hactenus sunt professi, dispensamus auctoritate præfata, & decernimus, quod dicto F. Lamphranco, tamquam Priori Gener. eorum, eiusq; successoribus in omnibus ad obedientiam, & reuerentiam teneantur. In priuilegio quoq; Ordin. vestri huiusmodi titulus de cætero apponatur: Innocentius Episc. &c. Dilectis filijs Priori Gener. Ordin. Erem. & alijs Prouincialibus & Conuentualibus Prioribus, Conuentibus quoq;, ac alijs FF. vniuersis sibi subiectis, & tam præsentibus, quàm futuris Eremit. vitam professis in perpetuum. Ad præmissorum autẽ omnium memoriã, & perpetuã firmitatem præsentẽ paginã fecimus sigilli nostri munimine.

Renunciatio vtriusque prætendentis.

Electio Lamfranci.

Confirmatio eiusdem.

Prior Generalis Ordin. S. August. Congreg. Ioan. Boni.

Erant subiecti Episc.

Forma profess.

Intelligitur Congreg. Ioannis Boni secundum priorem profitendi formam.

mine roborari. Datum Perusij sexto Calend. Ianuarij. Anno Domini M. CCL II. Pontif. D. Innocent. Papa IV. Anno X. Indict. II Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostra Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipot. Dei, & BB Petri, & Pauli Apost. eius, se noverit incursurum. Datum Perusij 17. Calend. May, Pontificatus nostri anno XI.


Electo igitur Generali Congregat. Ioannis Boni P. Lantfranco, iam distincto ab Ordine S. Augustini, idem Lantfrancus cum suis non paruos faciebant progressus, passimque sibi Monasteria in locis abditis parabant omni rigore disciplinæ cõseruator; donec eidẽ Innoc. primũ ac deinde Alexandro IV. visum fuit omnis generis Eremitas ad Ordinem S. Augustini aggregare, omnesque vni pastori Generalissimo subijcere; quo tempore magis studebant Religiosi opera virtutis edere, quam eadem chartis commemorare. & hoc est quod scribit Iord. de Ordin S. August. *Qualiter autem Fratres nostri Ordinis in illo temporis interuallo scilicet à dispersione sua vixerint, quæue egerint scripto authentico non inueni.* Hoc etiam est, quod scribit S. Antoninus. *Et sic illa sancta societas per B. Augustinum instituta, & per eum semper (vt dictum est) obseruata non omnino disrupta fuit, & abolita sed in aliquibus bonis Patribus conseruata; donec nouissimis temporibus illam dispersionem Deus dignatus est adunare, sicut olim dispersiones Israelis congregauit.* De qua congregatione sequenti parte agemus latius.

Lib. 1. vit ff. cap. 14.

3. part. Hist. tit. 24. c. 14. § 1.

MONA-

ORD. RECOLLECTIO/GENERALIVM DESIGNATIO/ELECTIO.



Non-numeros numeros facit qui diuidit ipsos
Qui iungit facit innumeros numeros.
Iuncti orbes Orbem seruant. una Vnio tanti est.
Orbem seuncti dissoluent iterum.

Praesul ubi vidit Tarpeus membra soluta
Aurelij, capiti non bene nexa suo;
E Siluis vocat, et corpus compaginat unum,
Vt decor et membris et capiti redeat.

MONACHISMI S. P. AVGVSTINI

PARS TERTIA
Collectionem & Ordinis restaurationem explanans,

F. NICOLAO CRVSENIO, Authore.

CAPVT I.
De vnione Generali Ordin. EREMITARVM.

TERTIAM ingressurus Regulæ S. P. Augustini ætatem, & recentiora sæcula, eoque clariora, ac vt confido gratiora, eadem decreui ab ipsa Generali vnione Eremitarum, variarumque Congregationum, de quibus supra aliquoties, exoriri: & vt omnis euitetur confusio de anno in annum, seu de Generali in Generalem incrementa Monachismi S. Augustini enarrare, in quibus Lector notabit *Pamphilum* auctum, ac multis in locis correctum fuisse.

Propositũ Authoris.

Vnio illa diuersarum Congregationum *Anno M CCLIV.* facta, per errorem ab aliquibus plus æquo delicatis, putatur fuisse principium Ordin. Eremit. dum eundem post *Concil. Lateranense*, vel dudum post tempora *SS. Francisci & Dominici*, vel quod multo absurdius est, post *Concil. Lugdun.* & tempore *S. Bonauentura* (vt nuper quidam Hispanicè somniauit) putant sumpsisse exordium, cum tamen ex antecedentibus ac subsequentibus fundationibus, ac Bullis fideliter descriptis, satis constet iam tempore Alexandri IV. Innoc. IV. immo Innoc. III. Ordinem Eremit. etiam in remotissimis ac disiunctissimis terrarum partibus extitisse, eique vnitas fuisse tot Congregationes Authore primum *Innoc IV.* deinde *Alexandro IV.*

Vnionis tempus.

P. Daz error.

Vnionis Author.

Innocentio etenim morte præuento, *Anno M.CCLIV. Alexander* cui Deus (apud quem grata est vnio, & ingrata diuisio) calcar addidit apparitione mirabili *S. Augustini*, quem Sanctiss. Pontifex vidit grandi capite, membris exilem, diuisam ac conscissam gerentem vestem, filiosque hinc inde dispersos: qua multorum deliberatione adhibita, intellexit Dei voluntatem esse, vt *Innocentij* opus, Vnionis putà inceptum, prosequeretur, Religionemque exilem, sub tam grandi capite, quale est *S. Augustini* gloria, militantem promoueret, aliasque adiungeret Congregationes, vt tandem aliqualis membrorum cum capite fieret proportio.

Miraculosa apparitio designans vnionem.

Iord. lib. 1.
Pamph fol. 27.
Bull Pontif. qua extat Graff.

Alexand. renom. fact.

Vix itaque Cathedram ascenderat Apostolicam *Alexander IV.* quin huic officio animum serio applicaret. *Richardi Cardinalis*, cui tam multo ante *Ordo S. Augustini Eremit.* commissus erat, consilio vsus, eidem mandat vt diuersarum Congregationum superiores ad se euocet, negotiumque vnionis pertractet. Pontifex interim Priori Generali Ordinis, qui tunc adhuc Eremitas Tusciæ tantum sibi habebat vnitos, cæterisque Prioribus varia priuilegia impartitur; vt ex seqq. Bullis licebit colligere.

Priuilegia Alexand. Ordin. concessa.

Alexander Episcopus Seruus seruorum Dei, Ven. Fratribus vniuersis Archiepiscop. & Episc. præsentes literas inspecturis Sal. & Apostol. benedict. Odore suaui bonorum operum dilectorum filiorum Fratrum Eremit. S. Augustini Ordinis recreati, eos non immerito fauore prosequimur, ea ipsis diligenti solertia procurare studentes, per quæ auctore Domino humilitatis eorum Collegium suscipere valeat incrementum; sed sicut accepimus, nonnulli vestrum in contrarium molientes ipsorum pacem & quietem, sine qua non colitur pacis auctor, perturbant, contra tenorem Priuilegiorum, & indulgentiis à sede Apostol. concessarum pro suæ voluntatis libitu veniendo. Quocirca vniuersitatem vestram rogamus attentius, & adhortamur per Apostol. scripta mandantes, quatenus vestris iuribus manentes contenti, nullam eis, vel ipsorum domibus contra prædictorum Priuilegiorum & Indulgentiarum continentiam inferatis molestiam vel grauamen, quin potius habeatis eosdem pro Diuina, & nostra reuerentia commendatos. Ita quod exinde vobis Deum reddentes propitium, erga Religiosos zelum habere probemini charitatis. Dat. Anagn. Idibus Iulij Pont. nost. Anno I.

Bulla Patrocinij Ordin. Eremit.

Alexander Episc. Seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Prioribus Fratrum Erem. Ordin. S. August. Sal. & Apostol. benedict. Cum ex Apostol. cura teneamur officio circa Religionis augmentum attenti & vigiles inueniri. Nos deuotionis vestræ precibus inclinati, vt volentibus Fratrum Ordin. vestri aggregari collegio, qui suspensionis, interdicti, vel excommunicat. sententijs sunt ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Eccles. impertiri & ipsos in fratres recipere valeatis, ad instar felicis record. Innoc. PP. prædecessoris nostri vobis authoritate præsentium indulgemus, ita tamen quod si aliquis ex eisdem huiusmodi sententijs propter debitum sunt astricti, satisfaciant vt tenentur. Nulli ergo liceat, &c. Quod si quis hoc attentare præsumpserit, &c. Dat. Anag. Kal. Iul. Pont. Anno I.

Facultas absoluendi a censuris.

Concessio Innoc. III.

Alexand. Episc. Seruus seruorum Dei, dilectis Filijs vniuersis Prioribus & Fratribus Erem. S. Augustin. Sal. & Apostol. benedict. Solet annuere Apost. Sedes pijs votis, & honestis petentium precibus fauorem beneuolum impertiri. Cum sicut nobis insinuare curastis, Generalis Prior vester de triennio in triennium eligatur, nec sit vobis facile pro ipsius electionis confirmat. ad sedem Apostol. recurrere: Nos volentes vobis paternæ sollicitudinis studio consulere, in hac parte deuotionis vestræ precibus inclinati præsentium vobis authorit. concedimus, quod idem Prior cum vnanimiter & concorditer electus fuerit, libere administret, dummodo nihil de bonis Ecclesiast. alienet, donec petendi & obtinendi confirmationem à nobis vel à dilecto filio nostro Richardo S. Angeli Diacon. Cardin. vice nostra habuerit facultatem. Nulli ergo, &c. Quod si quis hoc attentare præsumps. &c. Dat. Anag. 16. Kalend. August. Pontif. Anno I.

Confirmatio Generalis ipso facto electionis.

Generalis Ordin. eligebatur sing. triennijs.

Ecce quomodo Ordo Eremitarum S. Augustin. sit antiquior Alexand. IV. nam primo sui Pontif. anno, de illo loquitur vt de Ordine fundato & approbato, immo approbat Priuilegia prædecessorum suorum, fidemque facit iam in vsu esse electionem Generalis de triennio in triennium, quorum certe iam aliqua intercesserant, cum notarent Religiosi incommodum cui volebant occurrere per petitionem quæ in tertia Bulla continetur. Constat etiam has Bullas pro Ordin. S. Augustini editas fuisse ante vnionem generalem Congregationum, quæ successit anno II. Alexandri IV.

Corollarium antiquit.

Plures etiam Ordo Erem. S. Augustin. tunc ita nuncupatus, in diuersis partibus habebat colonias. immo hoc ipso anno vnionis Fratres Ordin. S. Augustin. possessionem accepere in oppido Brugensi, quod nobile Flandriæ est emporium, Sacelli S. Nicolai, cum ante biennium circiter fuissent publico

Fundatio conuent. Brugen. in Belgio. Anno 1252.

blico Senatusconsulto in eandem ciuitatem admissi, primis Religiosis ex Conuentu Mechliniensi descendentibus. Sacellum autem S. Nicolai iure patronatus spectabat ad strenuos Dominos de Gistella, fuitque commodato Fratribus Augustinianis aliquamdiu concessum, ac non ita post in proprietatem donatum, donationem confirmante Martino IV.

Fundatio Iprensis.

Admittuntur etiam hoc anno vel seqq. Patres Eremit. August. iuxta ciuitatem Iprensem, nam paucis post annis F. Petrus D. Eugubio Prouincialis Franciæ transegit cum eiusdem ciuitatis Præposito ac Capitulo, cui conuentioni subscribunt Decanus & Capitulum Morinense sede Vacante.

Translatio Conu. Mechliniens.

Nec segniores in promouenda re Ordinis fuere Patres Mechlinienses, qui admissi iam à decennio, dum in vinea Domini strenuam operam præstant, incōmoda prioris loci sentientes, hoc anno ad nouum locum secessserunt, in eoque iuxta riuulum vrbis sua transtulerunt; translationem confirmante Henrico Lædiensi Episcopo, cui tunc adhuc illa ciuitas in spiritualibus parebat.

Missio Procurat. pro vnione.

Mittebantur tunc etiam ac remittebantur variarum Eremiticarum Congregationum Procuratores, opus vnionis Generalis texentes sub auspicijs Cardin. S. Angeli, qui cum iam per sesquiannum remoras omni conatu soluisset, sub finem Nouemb. indicit Generalem Congregationem Kalendis Martij celebrandam, in qua communitas institueretur, vnumq; caput, quod omnibus præesset: huic autem Congregationi fuit Ordinatus Conuentus Romanus de Populo iam tunc à multis annis Ordin. S. Augustini.

Dispositio ad vnionem.

Hæc vnio vt facilius succederet, declarabat Alexander suæ mentis esse, Eremitas omnes vel saltem plerosque illorum, ad ciuitates & oppida (quo viciniores, maiorem fructū referant concionum, visitationum infirmorum, consolationum afflictorum, exhibitionumque Sacramentorum) euocare; & vt adhuc minor foret difficultas, statuit Pontifex vt omnes vniformem gestent habitum nigrum vel album. Quod ita describit Iord. & Pamphil. *Quia vero post transitum S. P. Augustin. Fratres hinc inde dispersi fuerunt, & tunc creuit deformitas tam in habitu, quam in Diuino officio, & cæteris obseruantijs vsq; ad tempus recollectionis Ordin. memorati: & quoniam tunc inter illos Fratres simplices dubitabatur, quis esset verus illorum habitus; hinc est, quod Sedes Apostolica aspiciens ad primariam originem Ordinis, habitum, superiorem eis determinauit, immo verius dudum per S. Augustinum determinatum declarauit. Statuendo videlicet, quod eorundem Fratrum Ordin. S. August. habitus exterior esset cuculla nigra & non alterius coloris, cum longis ac protensis manicis, desuper corrigia ampla cincta, habitu subteriore sic remanente secundū Ordinis ordinationem authoritate nihilominus ad hoc sedis Apostol. accedente. Et sic illa sancta Societas per B. Augustinum instituta, & per eum semper (vt dictum est) seruata, non omnino disrupta fuit & abolita, sed in aliquibus bonis Patribus conseruata: donec nouissimis temporibus illam dispersionem Deus dignatus est adunare, sicut olim dispersiones Israelis congregauit.*

Euocatio Religios. ad ciuitates.

Lib. 1 Vit. Fr. cap. 14. Pamph. fol. 48.

Mandatur vniformitas vestium.

De euocatione ad ciuitatem ita loquitur S. Antoninus. *Eremitas voluit ad ciuitatem perducere, ad quod quia nonnulli eorundem Fratrum erant difficiles malentes in Eremo, more solito solitarie Deo seruire, quam inter homines mundanos periculo mundani contagij se exponere: Idem Dom. Papa intendens eorum deuotioni satisfacere & nihilominus per Fratres eiusdem Ordin. fructum salubrem in populo producere, sic ordinauit, vt prioribus locis retentis, quicunque deuotionem haberent Eremiticam vitam ducendi, possent secundum dispositionem suorum Superiorum in locis talibus commorari.*

3. part. tit. 24. c. 14. §. 3.

Eremitæ non libenter veniunt ad ciuitatem.

Fundatur interim Eremitis S. Augustin. communi ciuitatis sumptu monasterium Mediolani iuxta sacellum S. Marci, ad placandum Deum, qui graui bellorum ciuilium clade populum tunc grauiter affligebat. Eno-

Fund. monast. Mediolanensis.

cantur huc primum Eremitæ Augustiniani, qui prope Volam oppidum commorabantur; quos Ecelinus fugauerat cœnobio funditus euerso.

Sub initium anni M.CCLVI Richardus Cardin. S. Angeli volens morem gerere mandatis Sanctiss. Pontificis rursus ad se vocatis Procuratoribus ac Superioribus variarum Congregationum negotium vnionis proposuit; omniumque consensum imperauit ac impetrauit, fuitque statutum vt in proximas Kalend. Martij ex omnibus Eremitis ita vnitis Generalis aliquis eligeretur, qui S. P. Augustini vices gerens omnibus æqualiter præesset, & vt sopitis Congregationibus Ordo in Prouincias diuideretur. Kalendis itaque Martijs approximantibus comparuere Procuratores ac Superiores Congregationum.

Congregationes vnitæ, cum Ordine.

Vallis Hirsutæ.	*Erem. B. Ioan. Boni.*
Eremit. Turris Palmæ Firmẽsium.	*De Lupocauo iuxta Lucam.*
Eremit. de Pœnitentia.	*De Brictinis.*
Eremit. S. Benedicti Fabalensium.	*S. Mariæ de Murceto*
Guillelmitarum per Angl. Germ. & Ung.	*Eremit. S. Iacobi de Montilio.*

Qui omnes cum Generali Ordinis, cui tempore Innoc. Anno M.CCXLIII. vniti fuerunt Eremitæ Tusciæ, superatis difficultatibus in conuentu S. Mariæ de Populo coadunati, renunciante officium Generalatus, quod Ordinis nondum vniti gerebat R. P. Philippus Dexter, suffragio communi elegerunt Lancfrancum Mediolanensem, iam ante Generalem Congregationis B. Ioannis Boni, illamque vnionem ac electionem vnanimi conuenientium voto factam coram Richardo Cardinali, vno mense post confirmat, ac laudat Alexand. IV. his fere verbis.

Primus Gener. post vnionem.

Bulla confirm. Generalis ac vnionis.

Alexander Episc. Seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Lanfranco Generali Ordin. Eremit. S. August. & vniuersis Prouincialibus, Prioribus ac Fratribus eiusdem Ordin. tam præsentibus quam futuris Sal. & Apostol benedict. Licet Ecclesia Catholica integritatem corporis sui syncera membrorum diuersitas subministret, & circumamictus species multiplicibus in ea varietatibus decoretur, nihil tamen in ipsa exprimit contrarietas inconcinnum, in qua consensum nutrit concordia charitatis, &c. Hac consideratione commoti, vt ex pluribus cuneis acies vna consurgeret, fortior ad spirituales nequitiæ impetus contendendos: Propterea dudum mandatum Apostolicum à nobis emanauit, vt de singulis domibus vestris, quarum quædam S. Guillelmi, quædam Ordinum S. Augustin. nonnullæ autem Fratres Ioannis Boni, aliquæ vero de Fabalis, aliæ de Brictinis censebantur, duo FF cum pleno mandato ad nostram mitterentur præsentiam, quod nostra circa eos ordinaret dispositio, recepturi. Cumq; fratres huiusmodi ad sedem Apostol accessissent, coram dilecto filio nostro Richardo S. Angeli Diacon. Cardin quem negotio vnionis vestræ præfecimus, sufficientia ad id exhibuere mandata, & in Generali capitulo vestro in Vrbe celebriter congregato, nomine omnium à quibus fuerant destinati, & de communi capituli assensu, vos & domos vestras in vnam Ordin. obseruantiam redigi, vnumq; ex eis ouile fieri Generalis Prioris præsidentia gubernandum, vnanimes consenserunt; Petentes, vt per gratiam vnionis, & conformitatis huiusmodi, eis iuxta conceptum votum paupertatis spontanea possessionum terrestrium abdicatio remaneret, & ipsis baculis vel ferulis deferendi necessitas tolleretur collata in Cardin. eundem prouidendi vobis ea vice de Priore Generali nihilominus potestate. Porro idem Cardin. nostri authen. mandati & capituli concessione suffultus, Te dilecte fili Lancfrance in Generalem Ordin. eiusdem præfecit, ac etiam confirmauit, vos à baculis ferendis, & à possessionibus acceptandis declarans exemptos. Nos igitur præfati Cardin. processum conuenientem cum voluntatis nostræ proposito approbantes, præmissa

Nota quod extiterit Ordo S. August. ante vnionem.

missa omnia grata habemus & rata, ipsaq. authorit. Apost. confirmamus &c. Dat. Later. V. Idus April Pontif. nost. anno II.

Hic fuit annus ille felicissimus quo diuersa flumina, hinc inde late diuisa redierunt ad mare, iuxta illud Ecclesiast. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant.* Tunc diuersa sydera & micantes stellæ in vnam lucidissimam solis faciem transierunt, tunc (inquam) diuersa membra, languida & exilia, iuxta Alexand. I V. visionem, prægrandi capiti vnita nouas vires, nouum robur, & vegetum à tanti capitis iusta influentia, iustum susceperunt incrementum.

Controuertitur apud aliquos, de Saccitis, seu de Fratribus Eremitis pœnitentialibus IESV Christi, an illi per hanc vnionem, ad Ordin. S Augustini transierint. partem affirmantem tenent Iord. Pamphilus, Bergomensis, & alij, decepti, vt putat Marquez, quia Monasterium nostri Ordin. Parisiense quondam Saccitarum fuerat, in quorum sedem nostri deuenere. Contrarium enim videtur ipse Marquez euicisse, cum docuit adhuc Saccitas vsque ad Concilium Lugdunense, immo multis postea annis perstitisse; in cuius fauorem etiam est, quod deducit de Conuentu Saccitarum ciuit. Aconensis in Palæstina nostris Religiosis, ex consensu Sedis Apostolicæ diuendito.

De Saccitis vnitis cum alijs Eremit. Iord lib. 2. cap. 14. Pamph. fol. 30.

Non video tamen, cur à communi Antiquiorum sententia discedamus, cum Iordanus ijs temporibus vicinior, ac non solum rerum Galliæ, sed Italiæ, ac Germaniæ peritus dilucide hoc testetur: vnum vero vel paucos Conuentus superfuisse aliquamdiu post vnionem, non est mirum, scienti, quam rigida apud hos Saccitas fuerit disciplina, quam non ita facile fuit, tam cito in laxiorem transmutare: æmulabantur enim primi nostri Patres perfectionem Fratrum de Pœnitentia, inde potius conabantur, illorum mores & viuendi ritum imitari, quam eundem extinguere, nec vnquam extinxissent nisi à pristino rigore defecissent. Adde quod Saccitæ habitum nigrum S. Augustini, quamuis rudiorem semper detulerint, & quod communi appellatione Eremitæ S. Augustini de Pœnitentia nuncupati fuerint. Priorem etiam Generalem ipsis imperasse constat ex Conuentu Tornacensi, alijsque. Solet etiam vulgus ad sæcula aliquot nomen antiqui loci licet immutati vsurpare. Quod Conuentus Aconensis fuerit Eremitis Augustinianis diuenditus, alij etiam alijs incorporati, non obstat mandatæ vnioni, prima enim resistentia superata, alioque Pontifice regente, Bullis illis Alexandri multum decesserat, malebantque Ordinis Patres nummo difficultates redimere, quam cum Sedis Apostol. fisco litigare.

Soluuntur argum. Marq.

Moueor autem plurimum, vt asseram Saccitas cum cæteris Congregationibus Ordin. S. Augustin. fuisse vnitos, quia inuenio apud plerosque hos Saccitas de Pœnitentia IESV Christi fuisse à B. Ioanne Bono fundatos, cuius Congregationem fuisse vnitam certissimum est. Deinde de Guillelmitis idem dici potest, quod diu post vnionem aliqui perstiterint, & quod illorum Conuentus ad alios deuenerint: hinc tamen non potest concludi, illos non fuisse vnitos.

Sub eodem Alexand. I V. & recte hoc anno vnionis Generalis inoleuit aliud quoddam genus Fratrum *de Pœnitentia in honorem S. Demetrij* sub Regula S. P. Augustini à Pontifice confirmatum. Hi Fratres originem suam *Anno M. CC* habuerunt à viris pijs in Poloniæ ac Germaniæ partibus, qui etiam habitu satis differunt, subrubram enim gestantes cucullam, cum scapulari, cui cor eruci appositum rubro colore est appictum. Hunc Ordinem fere emortuum nostro sæculo vidi Romæ à Paulo V. rursus approbari, ac iuxta institutum Regulæ S. Augustini subijci, adhibita ferula Ordinarij.

ORDO Frat. de Pœnit. S. Demetrij.

Hinc

Fund. conu. Louaniensis in Belgio. *Hist. sacram. mirac. scribit P. Matt. Pauli.*

Hoc eodem anno in vrbe Louaniensi ad mœnia ipsa tum dono Principis, tum oppidi liberalitate, ac ciuium munificentia Eremitis Augustini erigitur cœnobium ad Diliam, primis Religiosis Mechliniâ ac Coloniâ euocatis: quod Monasterium postea auctum, Patribusque sanctissimis repletum, multum fructum in vicinos ciues, & nobiles emisit, estque adbuc modo non solum litterarum, sed obseruantiæ ac virtutum seminarium. Asseruatur in boc Monasterio medietas sacræ bostiæ in carnem miraculose conuersæ, dum ab insolenti, impio & non ieiuno Metello-Burgi in Zelandia sumeretur, quam Coloniâ, vbi altera pars in veneratione est transtulit P. Ioan. Gheest ab *annis circiter CCC.* ratione cuius indies plura contingunt miracula Louanij.

CAPVT II.

De Lanfranco Mediolanensi *I.* Generali *post vnionem.*

Diuisio Ord. in Prouincias 4.

Lanfranco ad Ordinis Augustiniani vniuersi regimen promoto, dimissis singulis Congregationum nominibus, ac superioribus: prima fronte Ordo Eremit. S. Augustini in quatuor Prouincias fuit diuisus, Italicam, scilicet, Gallicam, Germanicam, & Hispanicam. & quamuis posteriores Prouinciæ multis postea annis absque vlla subdiuisione perseuerarint, Italica tamen statim tum ob multitudinem Monasteriorum, tum ob Congregationes frequentes statim fuit diuisionem passa. *Ioannis-Bonitæ* plerumque Lombardiam incolebant; *Turripalmares, & Hirsutani*, Marchiam; *Brictinenses* Romandiolam; *Murcetani* montes Pisanos; *Iacobitæ & Lupocauani* Lucenses agros: quamuis non soli in istis Prouincijs Conuentus Congregationum permanserint, sed cum alijs Religionis Conuentibus statim fuere confusi, vti est verosimillimum.

Subdiuisio in plures.

De vltramontanarum Prouinciarum Prouincialibus.

Certum etiam est ad exteras nationes statim Italos fuisse dimissos, viros zelo ac pietate feruentes, qui ibidem tunc Monasteria erecta dirigerent, noua conquirerent, vnita realiter possiderent. Sic in Germaniam ablegatus fuit Guido Salanus, ac post eum Andreas Senensis: in Galliam P. Marcus Ventonus, ac post illum P. Petrus D' Eugubio: in Hispaniam F. Ioan. Lombardus, & Paschasius Dareta; in Angliam P. Guillelmus Sengham, quorum opera non parum Ordo fuit promotus, cum plerique borum miraculis essent clari.

Impetratio Priuilegiorum.

Laborabat interim Generalis apud Pontificem, vt plenum Ordin. regimen obtineret, ne titulo tenus aliquibus tantum præesset, quod omnino factum fuisset, nisi aliquam saltem exemptionem impetrasset ab Ordinariorum iurisdictione. Concedit itaque primis annis Alexander IV. Fratribus S. Augustini celebrandi facultatem ianuis clausis tempore interdicti. Insuper permittit retentionem bonorum stabilium. Prohibet Fratribus Minoritis, ne audeant Augustinianos professos recipere sine petita ac obtenta venia suorum Superiorum, ac tandem eximit eosdem Augustinianos ab Ordinariorum iure, nisi in casibus atrocioribus, eosque subijcit immediatè Generali, prout constat ex Bullis expeditis Anag. Idib. Iunij, & Kalend. Augusti, Pontif. Anno III. Deinde vt Ordo iam vnitus maius incrementum sumeret & præscinderentur difficultates,

Exemptio Ordin. a iure Ordinarij.

quæ

quæ semper sub initium similium mutationum solent oriri. idem Sanctiss. Pontif. rursum Richardum Cardin. qui vnioni & electioni præfuerat, creauit Protectorem totius Ordin. vnici, sopitis aliarum Congregationum Protectoribus hac forma.

Datur Ordini Protector.

*Alexander Episcop. Seruus seruorum Dei, Dilecto filio Richardo Diacon. Cardin. Sal. & Apostolicam benedict. Inter alias solicitudines quibus assidue premimur, intendere circa ea nos conuenit, per quæ sub Religionis habitu vacantes Diuino cultui in tranquillitate animi sub obseruatione mandatorum Dei delectari valeant, & proficientes de virtute in virtutem Deum Deorum in Sion intueri. Sane meminimus quod fel. record. Innocent. PP. prædecessor noster dudum iniunxit tibi, vt Priores & Frat. Tusciæ Eremitas, quos tuæ curæ, ac gubernationi commiserat, ad tuam præsentiam euocares, circa quorum informationem accedentiam ad Sedem Apostol. de mandato Prædec. diligenter & sollicite institisti. Demum à nobis mandatum Apostol. emanauit vt de singulis domibus Eremit. quarum quædam S. Guillelmi, * quædam S. Augustin. Ordin. nonnullæ autem F. Ioannis-Boni, aliquæ de Fabalis, aliæ vero de Brictinis censebantur, & apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant: duo Fratres cum pleno mandato ad nostram mitterentur præsentiam, quod nostra circa eos ordinaret dispositio, recepturi: Cumq; fratres huiusmodi ad sedem Apostol. accessissent, Tu quem negotio vnionis prædictorum Fratrum præficiendum deputauimus, authoritate mandati nostri viuo ad te sermone directi, ad ad concordiam eorundem Fratrum, & eorum Generalis Capituli, tunc in Vrbe celebriter congregati accedente consensu vniuersas domos & Congregat. prædictorum Fratrum in vnam Ordin. Eremit. S. Augustini professionem & regularem obseruantiam perpetuo counisti, sub Generalis cura canonice instituendi præ alijs Prouincialibus & Prioribus regulariter gubernandas. Nos itaque considerantes, quod ipsi Fratres Te olim in beneuolum Patrem habuerunt, Tuque illos amplexatus fuisti syncera in Deum charitate, quodq; Fratres & Ordo prædicti in tua protectione poterunt Deo propitio salutaria suscipere incrementa; curam, dispositionem, & gubernationem eiusdem Ordin. sic vniti, ac Priorum tam Generalis, quam Prouincialium, & aliorum Fratrum ipsius Ordin. tibi plene committimus, ita quod illam iurisdictionem, potestatem & authoritatem in illos, & in illo Ordin. habeas, quos Rom. Eccl. Cardin. qui præest pro tempore Ordin. Minorum. Præcipientes Prioribus ac Fratribus omnibus Ordin. Eremit. S. August. vt tibi obediant in omnibus, & per omnia sicut General. & Prouincialis Ordin. minorum prædicto Cardinali obedire tenentur, cum post Romanum Pontif. iurisdict. potestatem & authoritatem in eis habeas potiorem. Dat. Lateran. IV. Kalend. Aprilis Pontif. Anno III.*

Breue Protectoris institutı.

Card. Richard. fuerat ante Protector Eremit. Tusciæ.

* Nota prætet Congregat. fuisse Ordinem S Augustini.

Card Richard. est primus Protect.

Authoritas Protectoris.

Inter alias difficultates quæ Generali Lanfranco, sub initium sui officij oriebantur, non erat contemnenda rebellio Guillelmitarum, qui quamuis in vnionem consensissent, per suos legitimos Procuratores, vt patet ex antecedenti Bulla, tamen modestioribus Italis, non parum recalcitrabant Guillelmitæ in Galliæ & Germaniæ partibus, vnioni factæ sese opponentes, Monasteria sua Augustinianis Eremitis occludentes, immo vt remotius ab Augustinianis distarent, & sic minus coalescerent, impetrarunt importuna vel subreptitia instantia hoc anno primum Regulam S. Benedicti, cum huc vsque illam S. Augustini habuissent, vt superius ostendimus.

Opponunt se vnioni Guillelmitæ.

Impetrant Regul. S. Bened.

Part. 2. cap. 12.

Alexander enim, si verum est breue quod adducit Hayus & Myr. inquit: *Licet olim pro vnione facienda inter vos & alios Eremit. tunc Ordinum diuersorum, fueritis ad præsentiam nostram citati: quieti tamen & saluti vestræ paterno prouidentes affectu, præsentium vobis tenore concedimus, vt sub Regula S. Benedicti, secundum institutiones S. Guillelmi remanere in solito habitu libere valeatis, nullis obstan-*

Lib. de Gener. Gr. a S. Guillel. Parif. anno 1558. Lib. 1. orig. S. Benedict. c. 18.

obstantibus litteris,gratijs, vel priuilegijs à sede Apostolica in contrarium impetratis vel impetrandis. Dat. Anag. XI.Kalend.Sept. Pontif. Anno II. Quæ Bulla Pontificia eodem anno fuit data,quo facta,& confirmata fuit vnio; hinc videtur suspecta cum producatur ab Authore malæ fidei: Vix enim credibile est Pontificem tam cito reuocare voluisse,quod ita matura deliberatione fuerat statutum, omnium consensu & applausu. Deinde anno sequenti idem Pontifex factum enarrans in Bulla paulo ante adducta constanter nominat Fratres Guillelmitas vnitos fuisse, ipsque , sicut & alijs præficit Cardin. Protectorem Richardum,quod certe non fecisset si Guillelmitas paucis ante mensibus exclusisset,ac Regulæ S.Benedicti subiecisset.

Suspecta est hæc Bulla.

Hayus bis argumentis conuictus, sibique forte conscius fingit aliam fuisse Congregat.S.Guillelmi Ordini vnitam absque vlla oppositione, suam vero nunquam consensisse vnioni. At ex ipsa Bulla Alexand. ab illo adducta, constat hos eosdem fuisse euocatos, hoc enim indicant verba: *Licet olim pro vnione facienda.* Constabit etiam cum bis eisdem Guillelmitis pluribus annis fuisse litigatum, ac hos eosdem debuisse cedere, ita vt iure meritoque in suspicionem adducantur, iura producta. Parturerunt ipso vnionis anno, omnia Italiæ Monasteria Ordin. S. Guillelmi, nec vllum ibidem extra Generalis ferulam remansit. Vltramontanorum vt remotiores, & sæpius à ciuibus vel Domicellis, aut Magnatibus dependentia diutius restiterunt, donec maturè cunctorum iura discuterentur, vt inferius patebit.

Effugium Guillelmit.

Cōueniuntur esse eosdem.

Hoc eodem anno M. CCLVII. notabile augmentum accedit Regulæ S. Augustini per Ordinem Seruorum S. Mariæ, in Gallia, quorum habitus,non vt Seruorum in Italia niger,sed albus erat, alba etiam chlamyde desuper amicti incedebant, quos Episcopus Massiliensis ex commissione Alexand. IV. sub Regula S. Augustini pridie nonas Ianuarij confirmauit, quorum etiam institutum ac fundationē sub Regula S. Augustini Clemens IV. vti prouide factam ratam habuit, dictosque Religiosos in patrocinium sanctæ Romanæ Ecclesiæ recepit, qui sic approbati plura in Gallia fundauere Monasteria, præ cæteris celebre illud Parisiense, hoc ipso anno inceptū, quod postea à Bonif. VIII. & Philippo Pulchro Guillelmitis traditum fuit, Ordine hoc extincto.

ORDO SERVORUM S. MARIÆ ALBORUM.

In Anglia etiam initium sumpsit hoc eodem anno Ordo Bonorum Hominum Authore Richardo Comite Cornubensi Fratre Germano Regis Henrici tertij, quem etiam Ordinem Alexand. IV. ad Regulam S. Augustini redegit, quā etiam illi viri vsque ad Patrum nostrorum memoriam in Anglia obseruarunt, hodieque vigerent, nisi à Catholica fide Regnum integrum defecisset. in qua Regni secessione plures huius Ordinis Religiosi constantissime martyrium subierunt, vitam simul cum Ordine exuentes. Plures etiam in Galliam vicinam migrantes Ordinem S. Francisci de Paula ingressi fuerunt, tantumque ibidem profecerunt, vt huic Ordini nomen Bonorum Hominum saltem Parisijs remanserit, Massiliense Monast. cessit Patribus Augustinianis.

ORDO BONORUM HOMINUM.

FF. S Franc de Paula dicuntur boni homines.

Progreditur interim Lanfrancus in erectione Ordinis Eremitarum, ac Diuino numine opitulante, omnium vnitarum Congregationum animos lucratus, cum mille & amplius Religiosis in prælium spirituale *tanquam vir bellator egreditur*, adiunctisque sibi Beatissimis viris B. Nicolao Tollentinate, B. Angelo de Fursis, Antonio Rauennate, Ambrosio Florentino, Bartholomæo Palazzolo, Ethinodo de Bota, Vito de Pannonia, Theobaldo Veronensi, qui omnes sanctitatis nota pollebant, in diuersis partibus loca plurima impetrat, in ciuitatibus ædificat Monasteria

Beati qui vixerunt sub Lanfranco.

cum

cum certatim omnes Italiæ vrbes Religiosos complecterentur. Ariminum, Cæsena, Rauenna, Recinetum, Ancona, Tolentinum, his annis Augustinianos recipiunt, vel prius receptos fouent.

In Hispania fundatur Monasterium Augustinianorum Toletanum in loco dicto Sonagha, quem à monialibus S. Clementis, iuxta Eremitorium S. Stephani Rex Alphonsus sapiens emit, & pro duodecim Religiosis ædificium ille ipse Rex præparat.

Initium monast. Toletani. Anno 1260. P. Hiero. Rom. Societ. IESV.

In Germania Patribus Augustinianis admissis ad ciuitatem Ratisponensem designatur locus ad vrbis mœnia, non procul à Patribus S. Dominici: quibus offensis, lite pendente, hinc migrant magistratus beneficio, ad locum quem adhuc hodie incolunt, de quo infra.

Ingrediuntur Augustin. Ratisponam.

Anno sequenti, migrant plerique ex Eremitis Ratisponensibus, & ex vicinis locis ad loca Guillelmitarum Germaniæ, Seemanshausen, Vallem Speciosam, Bisonium, Mindelhaimium, & ad insulam Pragensem, quibus in locis coguntur anno integro iisdem Guillelmitis conuiuere, perferendo ac obdurando.

Anno 1261. Dilatantur August. per German.

Eodem etiam tempore ORDO Equitum militiæ Gaudentium, qui sub Vrbano IV. Bononiæ laudatum initium sumpserat, à Lodaringo Andalio, cuidem Pontifex Regulam S. Augustini præscripsit, magnis exemptionibus, ac præeminentiis decoratur.

ORDO EQVITVM GAVDENTIVM.

Pari fere ætate ac passu cum prius circa annum CCC.LXVI. temporibus Damasi originem Hierosolymis inter lepra infectos, sumpsisset, ORDO Equitum S. Lazari in infirmis curandis, eisque tuendis assiduus, congregationi suæ adiunxit plurimos nobiles, huic operi misericordiæ addictos, quique facultatibus non minus quam virtute vigentes, hoc anno, militiam S. Lazari reformarunt, Regulam S. Augustini amplexantes, quæ etiam militia adhuc hodie superest in Hispania, quamuis in Gallia sit aliis vnita, proucetiam vnita est in Sabaudia Equitibus S. Mauritij.

ORDO EQVITVM S. LAZARI.

Lanfrancus non paruam sensit hoc anno voluptatem ex relatione fructus ingentis, quem per Eremitas S. Augustini variis in locis operabatur Deus. Ex Anglia allapsi, Romã aliquot Religiosi opera B. Guillelmi Senghã ante aliquot annos dimissi attestantur viginti ibidem erecta fuisse Eremit. S. August. cœnobia; alia nonnulla antiquitus ibi existentia fuisse restituta bonisque moribus ornata. Huius Guillel. Sengham mentionem facit Colbius, eumque inter primos spirituales Doctores collocat, laudans eius scripta, de nouitiorum professione, de claustro animæ, de tentationum remediis, editã. De hoc Guill. bene scripsit Poëta modernus Augustinianus.

Anglia repletur Monast. August.

B. Guill Sengham August. Angl. Apostol. Thom. Colb. Episc. V Katerford.

Anglia me genuit, formauit Roma, recepit
Anglia, quo caperet, quæ mihi Roma dedit.

Anastasi. C.

Ante ferias Natiuitatis ab Alexand. IV. in purpuratorum Patrum numerũ adscriptus fuit, ex Ordin. Eremit. S. August. F. Anchorius Francus, qui fertur quondã D. Thomæ & Bonau. fuisse magister, D. Alberti Magni contemporaneus, acerrimus antagonista Guillelmi de amore, cuius liber conbustus fuit.

Ioan. Gonsalez cap. 10. § 3.

Anno M. CCLXII. cum Eremitæ August. multis annis ruri habitassent iuxta Veronam ad portam Episcopi versus montem aureum, intra Vrbis mœnia admittuntur, & assignatũ sibi Parochiale facellum recipiunt titulo S. Euphemiæ, vbi mox ciuium munificentia, magnifica extruitur Ecclesia, ac monasterium ad Athesim peramplum, in quo opere non parum desudauit P. Finus de Boris, & Theobaldus Veronensis, tunc Sacerdos iuuenis, cuius tanta erat in dicendo facundia, vt saxea corda hominũm cõmouere posset, quare & Flexanimi nomen, magnamque dignitatem obtinuit.

Fundatio Veronens. Monast.

Vide infr. Anno 1331. & 1397.

Tumul-

Controuersia Guillelmit. durat.

Tumultuabantur interim adhuc in Germania Religiosi Guillelmitæ cum Augustinianis, quorum monitis ac consilijs parati erant Guillelmitæ morem gerere, nisi Superiorum minas, ac vindictam timentes retardati fuissent. Res itaque tota vt componeretur, postquam Mindelheimenses, Pragenses, Bisonienses, Iserbornani alijque disciplinæ Fratrum Eremit. sese subiecissent pacifice; Seemansbausenses, Vallis-Speciosani aliquantulum duriores Episcopo Ratisponensi sese committunt, apud quem Augustinianis Patribus hi Conuentus Guillelmitarum adiudicantur, hoc testimonio vtrique parti exhibito.

Sedatur in Bohemia.

Anno 1261. Sedatur in Episcop. Ratispo. nensi.

Testimonium Episc. Ratisp.

Vbi tunc erat Bulla Alexand. IV. quã Hayus adducit? illa vti posterior præualuisset.

Leo miseratione Diuina Ratisponensis Eccles. Episc. Vniuersis Christi fidelibus tam præsent. quam futuris Sal. in omnium Saluatore. Vniuersitatem vestram volumus non latere, quod in nostra præsentia constitutis Fratribus scilicet Guidone Priore Prouinciali FF. Erem. S. Augustin. ex vna parte, & FF. S. Guillel. de Seemansbausen, & de Schontal nostra Dioec. ex altera, dum inter ipsos de vnione olim celebrata per Ven. D. Richardum S. Angeli Diac. Cardin. quem tali negotio fel. record. Alexand. PP. præfecerat, vita sua quæstio verteretur: Nos visis vtriusq; partis litteris cum diligenti examine adiudicauimus FF. S. Augustin. authentica, litteris partis contraria præualere, ipsis Fratribus S. Guillel. nostræ Dioec. dando consilium & fauorem, vt se submittant vnioni, & quod hoc facere valent saluis conscientijs nostro iudicio. FF. Prædicatoribus & Minoritis super hac quæstione vocatis, sumus publice contestati. Ne igitur prædicti Frat. S. Guillel. talem vnionem subiisse animi leuitate possint ab aliquibus in posterum iudicari, sed quodammodo inuiti & coacti, ad petitionem vtriusq; partis, præsens scriptum Sigilli nostri munime roboratum, ipsis in testimonium duximus concedendum. Dat. Ratisp. Anno 1263. sept. Idus Febr. Originale huius testimonij extat in Seemansbausen, eratque illo tempore cum concederetur, defunctus Alex. IV.

Fundat. Conu. Vrbeuet.

Hoc eodem anno in ciuitate Vrbeuetana, quæ tum Romanorum Pontif. erat residentia, ipsius Vrbani IV. liberalitate, erigitur Eremitis S. August. cœnobium, eisque mandatur vt semper habeant Patrem curiæ Assistentem, qui negotijs Ordinis superintendat, mentemque Pontificis intelligat. Quod modo officium exequitur Admod. Reuer. Procurator Ordin. penes quem est curiæ Romanæ inuigilare, singulorumque conuentuum ac generalia Ordinis negotia prosequi, vnde & secundum locum in Ordine, & professionem in Collegio publico, & Oratoris Pontificij munus obtinet.

Officium Procuratoris Ordinis.

Fundat. Mellinck. Anno 1264.

In Bohemia 4. lapide à ciuitate Pragensi fundatur Eremit. S. Augustin. monast. Mellinck situ nobilissimo, à Zmilone de Ceroau milite, additis agris, pascuis, molendinis, & naulo prope labentis fluminis, quam donationem confirmat Othackarus Rex Anno M. CCLXVIII. præhabita loci consecratione in honorem S. Laurentij.

Fundat. Mon. Wormat.

Trit. in Chron.

In eadem Germania cum iam Augustiniani multis annis habitassent inter Wormatiam & Spiram, à ciuibus Wormatiensibus eisdem ædificatur Monasterium, consentiente Episcopo Entrando seu Euerardo. extat adhuc hodie pars huius Monasterij, reliquam vero hæreticorum manus destruxit.

ORDO S. PAVLI EREMITÆ. Bzouiu. Anno 1308.

Ac tandem sub finem anni Ordo S. Pavli primi Eremitæ, quondam in Thebaide, ac postea per Vngariam celeberrimus ab Eusebio Strigoniensi restauratus, rursus à Paulo Vesprinensi Episcopo Regulæ S. Augustini submissus augetur, ac constitutionibus pijssimis stabilitur, quem etiam postea Ioan. XXII. cõfirmauit, prout prius Gentilis Legatus & Clemens V. fecerant.

Fund. Conu. Patauiensis.

Sequenti anno odor bonæ vitæ Religiosorũ S. August. Venetijs ac Verona Patauiũ deuenerat; vnde à ciuibus eisdẽ Ecclesia ac Monasteriũ S. Augustini

alia

alia itidem iuxta facellum SS. Philippi ac Iacobi vna cum monasterio Patribus Dominicanis parabatur, ac dum illi Patres Augustinianos præuenissent, patritiorum Pataulnorum fauore Ecclesiam S. Augustini destinatam occuparunt, ita vt nostris Augustinianis alia in honorem Philippi & Iacobi cesserit, quare etiamnum Dominicani ibidem Augustiniani, Augustin. vero Eremitani nuncupantur.

Moritur paulo post Reuer. P. Lanfrancus Primus ampliati Ordin. Eremit. Generalis Mediolani, ac in templo S. Marci à sinistro latere maioris aræ sepelitur, non fine euidenti sanctitatis opinione, Generalatus fuit anno X. ætatis anno LXIII.

Obitus Lanfranci.

CAPVT III.

De GVIDONE, *II. Generali.*

LANFRANCO succedit Guido, qui tunc Senarum Prouinciæ præerat, comitijs rursum Romæ apud S. Mariam de populo habitis. Fuit Guido vir magni iudicij, qui paruo tempore multa expleuit: Clementi enim IV charus, ab eodem diuersa impetrat Priuilegia: exemptionem scilicet à funeralibus, Iurisdictionem vtramque in Apostatas; facultatem celebrandi Diuina cum altari portatili, Indulgentias etiam prope innumeras.

Anno 1265. Priuilegia Guid. concessa.

Rursum Patres Guillelmitæ cum mentem ac factum suorum religiosorum in Germania percepissent, apud Sedem Apostol. potestati fuerunt, ac coram Vrbano IV nec non Clemente IV. tantum egerunt, vt causa illorum ad rigorem iuris discuteretur. quod vt certius fieret, deputauit Sanctiss. Pont. Ioannem Card. S. Mariæ in Cosmedin, coram quo lite contestata aliquamdiu fuit processum.

Controuers. Guill. committitur Card. S. Mariæ.

Vixit tunc B. Erthinodus Gothus Augustinianus, vir orationis ac prophetiæ dono celebris, miraculis plenus, qui aliquando Christum vidit in specie patientis, prout vere sub Pontio Pilato passus, talem etiam saltem in parte, dolorem sensit; nec multo post vidit Christum in gloria resurgentis, doloremque primum ingenti lætitia sensit mitigatum, pluraque alia dono orationis impetrauit, supra naturæ vires, ita vt signa expressa adeptæ felicitatis ediderit.

B. Erthinodus Anno 1265. Iord. de Sax.

Dum maxima sub hoc Generali inijceretur remora Ordini Eremit. S. Augustini à malignis, qui præcipue in Germania longe lateque enascentem Ecclesiæ Dei fœtum quærebant supprimere, ablegantes Eremitas S. Augustin. ad eremum, reijcientes etiam illos ab oppidis ac ciuitatibus; Clemens IV. eorundem Eremit. suscepit patrocinium, scribens Episcopis alijsque fidelibus, tali forma.

Impediuntur August. ab ingressu ciuit.

CLEMENS Episc. Seruus seruorum Dei, Ven. Fratribus Archiepisc. & Episc. ac dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiac. & alijs Eccles. Prælatis, ac Clericis per Aleman. Sal. & Apostol. bened. Hos qui relictis diuitijs & gloria mundi huius, in habitu & spiritu paupertatis se in sui creatoris obsequium conuerterunt, conuenit nos non habere infestos, sed potius fauorabiles ac benignos. Sane dilecti filij Gener. & alij Fratres Erem. S. Augustin. nobis significare curarunt, quod nonnulli vestrum asserentes quod ijdem Priores ac Fratres debent in locis duntaxat solitarijs habitare, eos in ciuitatibus, castris, & villis non permittunt morari, non considerantes vt conuenit quam difficile foret ipsis, quos oportet diebus singulis sustentationis suæ pabulum mendicare, in locis habitare remotis. Quia vero sunt ijdem Priores ac Fratres eo maioris fauoris beneuolentia confouendi, quo non minima paupertate grauati magis dignoscuntur aliorum beneficijs indigere: Vniuersitatem vestram rogamus, monemus

Bulla Clemen. Patrocinij.

Originale extat Ratisp.

Causa adeundi ad ciuit.

nemus & hortamur vobis per Apostol scripta mandantes, quatenus ipsos Priores & Fratres tali pratextu non prasumatis impedire, quo minus ipsi in ciuitatibus, castris, & villis libere possint & debeant habitare, quin potius eis ad hoc ob Christi reuerentiam benigni fauoris auxilium ac pie subsidium impendatis. Dat. Viterbij 3. Kal. Febr. Pont. f. Anno III.

Arbitrii in causa Guillelmorum, *Anno 1265. die Vltima in(?)* …

Cum iam per annum litigatum fuisset coram Cardin. S. Mariæ in causa Guillelmit. à Patribus Augustiniacis, vtraque parte lassata deuentum fuit hoc anno ad arbitros, electique fuere Card. Stephanus Episc. Prænestinus & Richard. Cardin. S. Angeli: quorum etiam opera composita fuit controuersia, & iudicium Arbitrorum à Clemente IV. confirmatum, ex qua confirmatione cum multa ad Ordin. spectantia colligantur, libet eandem hic apponere.

Clemens Episcopus Seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Generali, & alijs Prioribus, ac Fratribus Eremitarum Ordinis sancti Guillelmi salutem, & Apostolicam benedictionem. Ea qua iudicio, vel concordia terminantur firma debent & illibata persistere, & ne in recidiuum conclusionis scrupulum relabantur, Apostolico conuenit prasidio muniri. Exhibita siquidem nobis noua petitio continebat, quod dudum à fel. rec. Alexandro Papa pradecessore nostro mandatum, vt dicitur, emanauit, vt de singulis domibus Eremitarum, quarum quadam sancti Guillelmi, quadam S. Augustini Ordinum, nonnulla autem Fratrum sancti Ioannis Boni, aliqua verò de Fabali, alia verò de Bictinis censebantur, & apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo Fratres cum pleno mandato, ad ipsius pradecessoris mitterentur prasentiam, quod eius circa ipsas salubriter ordinaret dispositio, recepturi. Cumq. Fratres eiusmodi ad Sedem Apostolicam accessissent, dilectus Filius noster Ricardus sancti Angeli Diaconus Cardinalis, auctoritate mandati pradecessoris eiusdem viuo ad eum sermone directi, vniuersas domos, & Congregationes eorundem Ordinum in vnam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem & Regularem obseruantiam perpetuò counitit, idemq. pradecessor ipsius Cardinalis processum approbans illum Auctoritate Apostolica confirmauit, & postmodum vestra volens prouidere quieti vobis Apostolica authoritate concessit, vt sub Regula beati Benedicti secundum institutionem beati Guillelmi possetis in habitu solito licitè remanere, non obstantibus aliquibus litteris gratijs, seu priuilegijs ab eadem Sede in contrarium impetratis, seu etiam impetrandis. Sanè inter vos ex parte vna, & Generalem ac alios Priores & Fratres Eremitarum eiusdem Ordinis S. Augustini ex altera super eo quod ipsi domũ de porta S. Maria de Ibiferbone, *de Corona S. Maria, & quasdam alias domos ipsius Ordinis S. Guillelmi cum Fratribus domorum ipsarum Alemania, & Hungaria Regnorum occasione huiusmodi Vnionis (cui vos non consenseratis) in pradicto S. Augustini Ordine receperant, ac domos ipsas cum Fratribus suis incorporauerant, eidem Ordini S. Augustini in vestrum praiudicium & grauamen, materia quastionis exorta Nos dilectum Filium nostrum Ioannem S. Maria in Cosmedin Diaconum Cardinalem dedimus in causa huiusmodi partibus auditorem, coram quo lite legitimè contestata, factisq. positionibus, & responsionibus ad causam, tandem partes ipsa viam pacis, & concordia amplectentes, videlicet, Frater Ioannes de Lusene Procurator vester pro vobis, à quibus habebat ad hoc speciale mandatum, ac idem Prior Generalis Eremitarum dicti Ordinis S. Augustini pro se ac alijs Prioribus, ac Fratribus, de quibus erat contentio, quorum Procurator erat ante Venerabilem Fratrem nostrum Pranestinum Episcopum, cui cura pradicti Ordinis S. Guillelmi, & personarum ipsius est ab eadem Sede commissa in prasentia nostra, de voluntate & consensu ipsius Ricardi Cardinalis cui curam pradicti Ordinis Eremitarum S. Augustini eadem Sedes commisit, tamquam in arbitrum arbitratorem, & amicabilem compositorem super causa huiusmodi, & omnibus eam contingentibus, altè & bassè sub pœna mille Marcharum argenti compromittere, ac ipsius Ordinationi, definitioni, laude, arbitrio, & arbitratui totaliter se committere curauerunt, promittentes super hoc prastito iuramento se ratum & firmum habituros quidquid idem Episcopus super hoc statueret, arbitraretur, diceret, & etiam ordinaret. Dictus autem Episcopus à partibus accepto huiusmodi compromisso, & à Nobis obtento, viua vocis oraculo,*

consen-

consensu, & licentia super præmissis, ordinandi, statuendi, definiendi, decernendi, & providendi, prout sibi expeditius videretur, super hoc fecit quandam ordinationem providam inter partes, prout in instrumento publico inde confecto, ipsius Episcopi sigillo munito plenius continetur. Nos itaq. vestris supplicationibus inclinati Ordinationem ipsam ratam, & firmam habentes, ac defectum qui erat in procuratione ipsius Prioris Generalis prædicti Ordinis S. Augustini ex eo quod ad compromittendum non habebat mandatum, & si quid aliud in Procuratorijs partium ipsarum extiterat supplentes, de Apostolica plenitudine potestatis, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est. In nomine Domini, &c. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppletionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Viterbij quarto Calend. Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.*

Guillelmitæ moderni fuerunt vniti.

Ex his facile colligitur hos Guillelmitas vnitos esse eosdem, quorum pauca supersunt Monasteria in Gallia ac Belgio, (quod negat Sampf. Hayus) cum illi ad Regulam S. Benedicti confugerint, cum illi sese opposuerint, cum illorum Monasteria fere omnia transierint ad obedient. Eremit. S. August. nam hodie in tota Germania vix duo reperiuntur Guillelmit. cœnobia, in Belgio circiter sex supersunt, in Gallia totidem, ac in his paucissimi Religiosi, immo non ita pridem cladem magnam subiuit Monasterium Parisiense ad interitum illius Ordinis.

3 Locus August. Ratisponæ. *Canonic. ad S. Magnum.*

Anno M.CCLXVII. Cum Patres Augustiniani dudum habitassent extra ciuitatem Ratisponensem iuxta locum Preüll, vbi modo celebris est Carthusia, vocatique primo fuissent intra eiusdem ciuit. mœnia teste Chron. Andreæ Presbyt. post secundam mutationem de qua supra; hoc anno illis assignata fuit Capella Sanctiss. Saluatoris ciuium opera & expensis affabrè, à paucis annis fabricata, quæ tum origine tum progressu erat miraculosa.

Miraculum SS Sacram. Ratisp.

Anno etenim M. CCLV. in festo Deiparæ Annun. Sacerdos deferens Ven. Sacramentum ad infirmum casu infelici lapsus fuit supra pontem Iudæorum, dispersis hinc inde sacris hostijs lutoque oblitis, ad quem casum & homines, & visibiliter Angeli accurrunt, hostijsque per Sacerdotem collectis, eodem in loco noctibus fere singulis Diuina lux apparebat, qua moniti ciues ligneum ibidem parauere facellum, in quo cum placeret Deo plurima operari miracula, mox lapidea successit structura, quæ à Sacerdotibus sæcularibus cum administraretur, suborta propter eosdem controuersia, cum Episcopo ac Magistratu penes quem plenum ius facelli spectabat; idem à Magistratu Fratribus S. August. fuit concessum, expeditæque fuère literæ in hanc formam.

Donatio Capell. PP. August.

In nomine S. ac indiuid. Trinitatis Amen. Vniuersis Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris præsens scriptum intuentibus, ALBERTVS Magister ciuium, consilium & Vniuersitas ciuitatis Ratispon. perpetuæ pacis commodum & tranquillitatem PP. Quoniam misericordiæ & veritatis amator Deus gratiæ ac gloriæ dator à cunctis (Psalm. teste) Dominus fore non ignoratur, Nos Albertus Magister ciuium, consilium & Vniuersitas ciuit. Ratisp. moti misericordiæ visceribus, & pietatis super dilectos filios FF Eremit. Ordin. S. August. nobiscum sub extrema paupertate patienter in aduersis tolerandis, laudabiliter commorantes, Capellam Domini nostri IESV Christi in ponte Iudæorum sitam, quam per emptionem fundi omnibus notoriam, constructionemq. eiusdem ac dotationem, tamquam Veri Patroni, cum omnibus iuribus, appenditijs, pertinentijs, quæsitis, ac acquirendis ad laudem & gloriam nominis Christi ampliandam decentius per ipsorum Religiosam conuersationem, in remissionem peccaminum nostrorum Ven. Patri & D Richar. Dei Gratia S. Angeli Cardin. Diac. præfatorum Fratrum Conseruatori, necnon Engelberto Prouinciali per Regnum Alemanniæ omnibusq. successoribus suis vice totius Ordin. prætaxati contulimus,

Nota PP. Augustinianos Ratisp. ante donationem Sacelli.

O Pietas fidesque Ratisp. quam procul nunc abest à Senatu!

Originalia sunt in Archiuo Ciu.

limus, supradictis iuribus nostris perpetuo fruituris. Præsentibus Alberto de Porta, Henrico de Capella, Carolo & Henrico de Ovve milit. Henrico de Porta, Vlrico de vrbe, Vlrico de Prunlait, totoq; Senatu, nostro etiam affixo Sigillo. Dat. Ratisp. Anno 1267. VI. Kal. Augusti.

Eadem donatio confirmata fuit à Clemente IV. 4. non. Nouemb. eodem anno. De hoc miraculo, nec nó de fundatione huius Monasterij, talis ibidem extat versus antiquus.

Viuificum mystes defert dum corpus ad ægrum,
Labitur infelix, Hostia tangit humum.
Hoc simul ac cernunt, clerus cum ciuibus adsunt,
Sordibus è terra dona tremenda leuant,
Hic altare locant, properant reuerenter ad aras,
Numina Diua colunt, thura precesq; litant.
Ligna parant ciues, memores pietatis auitæ,
Sol vbi ter redijt structa capella fuit.
Istam Albertus consecrat Episcopus vrbis,
Nunc Augustini quam sacer Ordo colit.
Id fit cum titan voluisset mille ducentos
Orbes: dein lustro iungito lustra decem.

Miraculum SS. Crucifixi ibidem.

Eodem etiam fere tempore, in eadem Ecclesia Sacerdoti celebranti ante Altare Sanctiss. Crucifixi, dum nescio quæ mentis dubitatio de veritate corporis ac sanguinis eidem subotiretur, lignea imago Christi crucifixi excusso clauo, & dextro brachio soluto, calicem è manibus Sacerdotis eripuit, eumque aliquamdiu ad confusionem Sacerdotis, & ad instructionem, ac stuporem populi detinuit. extat adhuc hodie hæc imago crucifixi, claretque miraculis.

Refert hoc mirac. Chron. S. Emerami.

Milensis in Alphat. lit. R. Probatio miraculorum.

In confirmationem huius, & alterius miraculi posita fuit fenestra vitrea chori, in ipso fundationis initio, vbi vtrumque miraculum viuis coloribus manet expressum. Extat etiam antiquissimum aulæum, vbi industria artificis manus eadem expressit. ac tandem crucifixi miraculum exprimit crucifixi suppedaneum, in quo characteribus antiquis hæc verba apposita sunt. Einmals da verzweifflet ein Priester am heiligen Sacrament / da er den Kölch auffhub / nam jhm das Crucifix den Kölch. Cætera documenta horum miraculorum odio hæreticorum periere.

Operarij destinantur Viepach.

Ex eodem Conuentu August. Ratispon. *Anno M. CCLXVIII.* assumpti fuere tres Religiosi, qui sanctimonialibus Ordin. S. Augustin. in Viepach præessent, Conuentuique ibidem in honorem B. Mariæ Virg. & S. August. à comite Berengero erigendo, de quo infra.

Consecratio Eccles. Louan.

Anno M. CCLXX. Postquam erecta fuisset Ecclesia Ordin. nostri Louanij in honorem S. Ioannis Baptistę, Ven. Petrus Ortonien. Episc. ac Leodien. Suffraganeus eandem ipso Assumptionis Deiparæ Virg. Mariæ consecrauit solitas concedens indulgentias, quibus addita fuere magna DD. Brabantiæ priuilegia.

Obitus Guid.

Hoc anno etiam obijt Guido Generalis Bononiæ non sine magnæ sanctitatis opinione, ibique reconditur, signato, eleuatoque sacrophago. Indicitur autem capit. Gen. apud Vrbem veterem in annum sequentem.

CAP. IV.

CAPVT IV.

De CLEMENTE AVXIMANO III. Generali.

GVIDONE defuncto *12. Maij*, omnium votis in Generalem præficitur B. Clemens Auximanus doctrina ac sanctitate insignis; cuius opera Ordo Eremitanus magnum incrementum fecit, maxime vbi huius viri sanctitate exciti plurimi Patres, eandem fuère imitari. Florebat enim cum illo in Eremitorio Illecitano Paulus, qui ita Paulum primum Eremitam studuerat imitari, vt vulgariter *Pauli secundi Eremitæ* nomen meruerit obtinere. Vixerunt etiam cum hoc Generali, illiusque virtutes imitati sunt Augustinus Nouellus, Ægidius Romanus, Iacobus Camertinus, alijque maximæ spei adolescentes, quos singulari delectu ad Ordinem suscepit.

Anno 1270. Socij Clement. beati. Ægid. Rom. discipul Clem.

Augustinus Nouellus dictus Matthæus ante Ordin. ingressum I. V. Doctor Regi Siciliæ Manfredo fuerat à consilijs, Manfredo verò manu Caroli sublato cum in morbum incidisset deliberauit mundo valedicere, Deique obsequio sub Religionis S. Dominici disciplina sese offerre. Dimissis itaque famulis Priorem Ordin. S. Dominici accersiri iubet, statuens huic sese addicere. Famulis vero egressis, vt Domini mandata exequerentur, in duos Fratres Eremit. S. August incidunt, eosque Domino suo deducunt. Admiratus Matthæus, culpam in famulos, parum peritos reijcit, mentem suam dissimulat, fratresq; Augustin. honeste dimittens, rursus famulos ad Patres Dominicanos tali habitu, prout eosdē describebat, remittit. quibus rursus Patres Augustinianos adducētibus ipse Dominus indignatus, tertio famulos ad ipsum Monasterium, Dominicanorum locum designans emisit: at cum famuli Angelo duce ad Monasterium Eremit. S. Augustini appulissent, viderenturque Patres Dominicanos inuenisse, tertio Fratres S. Augustini Domino adducunt factumque tale miraculo adscribunt. Quo commotus Dominus Matthæus, sentiens à Deo factum, consilium suum postremis Patribus aperit, diuinæque dispositioni morem gerens, Ordinem Eremit. ingreditur, occultans scientiæ suæ profunditatem, vt tanto melius lateret, ad minima, & vilissima obsequia sese dimittens, ac breui ad Prouinciæ Senensis montes migrans alacriter & diu latendo Domino seruiuit.

Ingressus Augist. nouelli miraculosus.

Aliquot annis ante ferunt aliqui B. Agnetem de monte Politiano vixisse in Monasterio Ordin. S. Augustini de Pœnitentia, quod tunc suberat Ordinario, Episc. scilicet Aretino: immo putant Monasterium in quo illa obijt nō fuisse prima fronte Ordin. S. Dominici, at S. Augustini, quamuis postmodum illa vrgente curæ Fratrum S. Dominici maxime florescentium fuerit subditum. Nisi forte in his Authoribus error sit ex ignorantia styli curiæ, cui hoc est solenne quod omnia Monasteria sanctimonialium, Patrum S. Dominici nominet esse Ordin. S. Augustini Monasteria, sub cura Fratrum S. Dominici: quod cum maxime faciat ad honorem S. Augustini eiusque Monachismi, decreui hic adscribendum.

B. Agnes à monte Politiano vixit inter August.

Sub initium huius Gener. erigitur Conu. Vlyssiponensis in Hispania Lusitanica, vbi Patres relicto loco S. Genesij, transactione facta cum hæredibus fundatorum in alium commodiorem locum migrant, vt constat ex instrumento expedito, *Anno 1271.*

Fund. Vlyssip. Conu. *Marq. cap. 18. § 7*

In Germania tunc etiam Argentinensis Episc. Henricus de Bari Princeps Imperij, Fratres Augustin. Spirâ euocatos liberaliter suscepit, eisque Monasterium sua magnificentia dignum extrui iussit; illique Religiosi non ita post sese Friburgi, Colmariæ, ac Basileæ insinuarunt, ibique benigne recepti fuerunt maximo cum fructu incolarum.

Fund. Argentinensis. *Brusch. tom 1. Episc. Germ.*

Greg. X. commendat, & fauet Conu. Traiecten.

Anno sequenti Gregorius X. speciali Bulla directa Priori Eremit. S. August. oppidi Traiectensis ad Mosam, eundem Priorem, Religiosos ac conuentum commendat omnibus Christi fidelibus, omnes immunitates, libertates, exemptiones ac indulgentias à Prædecessoribus suis indultas cõfirmans, impertita spirituali benedictione opem ferentibus.

Euocantur PP. August. ad Conc. Lugd.

Euocat etiam Gregor. X. tum R. P. Generalem Clementem, plurimosq; alios Patres vniuersi Ordinis Augustiniani ad Generale Concilium Lugdunense, *Anno M. CCLXXIV.* celebratum vbi non paruum subsidium sensit Pontifex à tot Theologis ac viris pijs Congregatis ad Ecclesiæ reformationem; maxime tamen præter Reu. D. Iacobum Episcopũ Mainensem quondam in Ordine Eremit. S. Augustini inter Bohemos professum, hic emicuit P. Placidus Episc. Andrensis ex Ordine Eremit. S. Augustini assumptus; contra Græcos præsente Imperat. Palæologo disputans eosque conuincens.

Anno 1274. Capitulum Generale tempore Conc. Lugd. *1 Orig. constit.*

Durante Concilio Lugd. ibidem per Generalem Clementem conscribuntur Comitia Generalia Ordinis, concipiturq; communis modus viuendi, secundum certas leges ac constitutiones vniuerso Ordini præscribendas. Conabatur etiam in his Comitijs Clemens Generalis, officio sese abdicare, vt tanto quietius Deo seruiret, illudque summis precibus contendit: at preces illius inualidæ fuerunt, omnium namque votis vlterius regimen Ordin. Clementi fuit prorogatum.

P. August. Ancon. specialiter vocatur ad Conc.

Ad idem Concilium Lugdunense, etiam hoc eodem Anno; cum à Gregor. X. missus D. Thomas de Aquino, sol Theologorum & morte præuentus defecisset, futurus vti sperabatur eiusdem Concilij norma, ac gubernaculum: ex Schola, & ex mente D. Thomæ, à Greg. X. in locum D. Thomæ euocatus fuit Ven. P. Augustinus Anconitanus Augustinianus, qui vbi Lugdunum appulit, ad instar oraculi habitus, sublimitate suæ doctrinæ, scientiarum varietate, & vitæ integritate huic Concilio ad finem vsque egregiam operam impendit.

Calumnia Dazæ refellitur.

Ex quibus oculatus quisque colligere poterit, quam falsò, non ita pridem alius scripserit in hoc Cõcilio actum fuisse de extirpatione seu suppressione Ordin. Eremit. S. Augustini, ac omnino supprimendum fuisse nisi S. Bonauentura viam, eundem firmandi inuenisset. Non enim est credibile Ordinem talem, qui plures haberet Theologos, qui celebrabat Capitulum, coram vniuerso Concilio, & cuius opera Concilium plurimum vsum est, extirpari meruisse, potuisse, ac debuisse.

Explicatur mens Concilij de Ordin. suppres.

Scio in hoc Concilio actum fuisse de aliquorum Ordin. extinctione, ne multiplicatio, & diuersitas confusionem pareret. Scio etiam statutum fuisse, vt nouis Ordinibus omnibus suppressis soli antiqui tolerarentur, exceptis tamen Ordin. PP. Prædicatorum & FF. Minorum, qui quamuis noui ac post Lateranensi Concilium inuenti, etiam in hoc Concilio iudicabantur Eccles. Dei proficui: At quis dicat Ordin. Eremit. S. August. tunc fuisse nouum, quis dicat de illius institutione, progressu, firmitate, ac robore tunc fuisse dubitatum, cum Concil. ipsum expresse dicat, hunc Ordin. Concilium Lateranense præcessisse. *Cæterum* (inquit Concil.) *Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines quorum institutio dictum Generale Cõcilium præcessit, in solido statu volumus permanere.* Dixerat paulo ante Concilium, *cunctas Religiones & Ordines mendicantes post Concil. adinuentos perpetua prohibitioni subijcimus, & quatenus processerunt reuocamus.* Attamen excepit Ordin. Eremit. vultque vt in statu solido permaneat.

Vide sup. p. 2. c.

Vix Concilium Lugd. solutum erat quin Clemens oneris impatientissimus de nouo conuocat Patres Ordin. Molariam in agro Tusculano, vbi abdicato Generalatus officio, sese subduxit, nec vlla ratione conduci potuit, vt Generalem vlterius ageret, malens in humili saluari, quam in alto periclitari. Clemens ad desertum Firmanum sese recepit, optata fruens quiete.

CAPVT. V.

CAPVT V.

De FRANCISCO REGIENSI IV. Generali.

Anno 1275. Franc Regien. Gener. studia singularitèr promouet.

ANNO *igitur M. CCLXXV.* habitis Molariæ comitijs Præside Richardo Cardin. vbi Clemens tam importune subterfugerat Generalatum, Franciscus Regiensis in Priorem Gen. declaratur. Professus fuerat is sacram Theolog. iamque eximiæ doctrinæ, ac honestissimæ vitæ præbendo exempla ac monumenta viuebat Bononiæ. Hinc statim à suscepto munere studiorum promotioni inhians, primum Molariæ, deinde Viterbij, ac alijs in locis numerosas iuuenum Religiosorum Scholas instituit, ac inter alios P. Leonardum Viterbiensem virum celebrem ijsdem præfecit Viterbij.

P. Leonardus Viterbius.

Frequentissima Ordin. Comitia Centumcellæ, Tuderti, Viterbij, Arimini, Perusij, ac Patauij celebrari iussit, quibus plerumque præsedit, hoc vnum satagens vt iuniorum Religiosorum delectus, educatio, & studium curæ haberetur.

Florebat *hisce diebus* ad maximum Ordin. honorem P. Guillelmus Anconitanus, Hugoni S. R. E. Cardin. Ordinis S. Dominici familiaris, cuius etiam opera plurimum vsus fuit in commentarijs, quæ in vniuersam Scripturam edidit, quod certe opus, non vnius hominis esse creditur: nec vitio potest alicui verti, si adiutricem manum doctam adhibeat. Idem Guillelmus nomine suo edidit librum de Pœnitentia præclarum sui ingenij ac doctrinæ monumentum.

P. Guill. Ancont. iuuat Cardin. Vgonem.

Anno 1275. Dominus de Gistella dat fundum Brug. *Original. litteræ sunt Brugi.*

Hoc eodem Anno, In ciuitate Brugensi Flandrorum Nob. D. de Gistella confert Fratr. S. Augustini omne ius fundi iuxta Sacellum S. Nicolai, vt ibidem Fratres ædificent Monasterium, suoque ære non paruam illius partem erigit. confirmaturque donatio à Martino IV.

Fund. Aquisgran. & Marienheck.

Aquisgrani etiam admissi Religiosi Augustiniani Traiecto descendentes, hoc anno ædificant cœnobiũ iuxta forum vrbis, exiguoq; adhuc sacello contenti aliquandiu ibi vixerunt. Admittuntur tunc etiam Religiosi August. in Austriam ad Conu. Marienheck & Prucb vnde pleraque Monasteria Vngariæ postea sumpsere initium.

Anno 1277. P. Generalis orationem dicit de eligendo Pontif.

Anno M. CCLXXVII. Vacante sede Romana per obitum Ioan. XXI. Cardinalium Senatus Viterbij adunatus, Generalem S. Augustini vti sæculi huius disertissimum delegit, qui de creando nouo Pontifice peroraret; quod etiam per Franc. Gener. ad stuporem omnium factum, fuitque paulo post electus Nicol. III.

ORDO FRATRVM POENITENT. S. MAGDALENÆ.

Dum etiam Eremit. August. sedulam nauant operam in ampliandis Ordinis sui finibus, exurgit nouus Ordo, seu potius antiquus innouatur, fratrum Pœnitentium S. Mariæ Magdalenæ à Beltramo viro Gallo vere pio, iuxta Massiliensem ditionem, summa vitæ austeritate restitutus, ac à Nicolao III. sub Regula S. Augustini confirmatus, qui quamuis varias passus fuerit molestias, tamen adhuc hodie in aliquibus Germaniæ, Hispaniæ ac Galliæ partibus extat celebris, habitu parum à Capuccinis differens, nisi quod zonas Fratres præcincti incedant, qui postea Saccitæ dicti, aliorum saltem nomen hæreditarunt.

ORDO MVLIERVM POENITENTIVM S. MAGDALENÆ.

Beltramo adhuc inter viuos agente secundo anno post fundationem virorum, in ipsa Pariensi ciuitate, illo etiam Authore, restauratur institutum mulierum Pœnitentium S. Magdalenæ, durissimis legibus firmatum, quod iam passim in maioribus ciuitatibus maxime vbi aulæ sunt maiores, & frequentiores luxus, non sine multarum animarum fructu est propagatum, ac Regulæ S. Augustini adiunctum.

Anno 1281. Capitula de trienn. in trien.

Anno M. CCLXXXI. Ceberrima Comitia Generalia indicta fuere per Francisc. Generalem Patauij, Ægidio Romano adhuc Baccalaureo, alijsque rari ingenij Patribus conuenientibus, vbi sancitum fuit, vt omissis frequentioribus discursibus ac sumptibus de triennio in triennium tantum Comitia celebrarentur. Studijs etiam, præcipuè Germanorum Religiosorum, destinabantur duo celeberrima Italiæ cœnobia, Bononiense & Patauinum.

Fund. Monast. Badensis.

Anno M. CCLXXXIII. quarto lapide ab Vrbe Viennensi apud saluberrimas Thermas Austriæ erigitur Monast. Ordin. S. August. Badense, per Leutoldum de Chreuspach, quod paulo post mœnibus cingitur, & vineis vltra triginta in fundationem cedentibus donatur, cum duplici Ecclesia.

Anno 1283. Obitus Gen. Francisci.

Moritur paulo post Franciscus Gener. ac Patres Ordin. repentina morte Francisci commoti, P. Leornardo Viterbiensi impedito Prouinciæ Romanæ regimine, aliquam diu substituto, comitia Generalia Romam euocant in 6. Aprilis, at Romana ciuitate contagioso morbo præpedita, eadem comitia ad Vrbem veterem, quo etiam Romana curia migrarat, transferunt in 5. Iunij.

CAPVT VI.

De P. CLEMENTE iterum Gener.

Anno 1284. 2. Promotio Clementis.

TVRBATIS aliquantulum rebus Ordin. tum ob comitia sæpius dilata, tum ob iniqua tempora quæritur serius vir pro Generalatu: & communi omnium suffragio, nullus aptior iudicatur Clemente Auximano, quippe qui eiusdem muneris iam semel onus portasset, quique sanctitatis nomine apud omnes pollebat, vnde iterum Clemens Generalis renunciatur, cogiturque parere quamuis inuitus.

Ægidij Rom. studium erga D. Thomam.

Florebat *hac ætate* Parisijs B. Ægidius Roman. Ill. familiæ Columnensium, cuius industriæ ac ingenio Scholastica Theologia debet opera D. Thomæ: nam eadē à Guillelmi Lamarensis Minoritæ calumnijs, ac fictis ratiunculis, ita defendit, vt cum illa multorū Theologorum iudicio (quamuis satis infirmo) reiecta fuissent, vt Scholis indigna, & auditorū mentibus periculosa, eadem Ægidij rationibus; & explicationibus apud plurimos locum inuenerint, magnoque in honore habita: in quem finem tunc defensorium D. Thomæ publicauit, aliaque de quibus postea, thesaurum tam insignem Ecclesiæ conseruando.

Gualteri Reclusi mores.

Florebat etiam hac tempestate P. Gualterus Eremita Augustinianus Reclusus, à solitudine, cui is addictissimus, ita appellatus. hic Theologiam moralem, præcipue contemplatiuam plurimos docuit, ita vt sub ipsius ferula non adeo docti, quam probi plures euaserint, præscripsit enim suis assidue lectiones, de contemptu mundi, de vita solitaria, profundissimasq; meditationes, quæ in hodiernum diem plerisque in locis asseruantur, ad mentium excitationem efficacissimæ.

Fund. Conu. Romani S. Augustin.

Romæ etiam cum iam ab aliquot sæculis Eremit. Augustin. ad portam Flaminiam habuissent locum S. Mariæ de populo nuncupatum, isque esset incommodus, negotia Ordin. peragentibus, minusque saluti proximorum conueniens ob longam distantiam à Curia & communi hominum habitatione, Honorius IV. Ordin. S. Augustini donat Parochialem Ecclesiam S. Triphonis in vrbis meditullio sitam, vbi mox eisdem Fatribus Monasterium erigitur Augustum, in angusto loco.

Commutatio ad locum Parisiens.

Idem Honorius IV. confirmat donationem Monasterij Parisiensis Ordin. S. August. hoc anno factam à Philippo Pulchro in gratiam Ægidij Romani, & Gualteri præfati; quibus concessus fuit locus Fratrum Saccitarum de

Pœnit.

Pœnit quos S. Ludouicus Rex alias ibidem in locum Templariorum suffecerat. Ante hanc residentiam habuerant Patres S. Augustini multis sæculis locum Parisijs, ex quo etiam Doctores ac Professores Scholas Parisiensium non parum ornauerant: at hæc commutatio Ordini fuit commoda & honorifica, quæ omnia colliguntur ex assensu Simonis Episc.

Fund. Conuentuum Angiensis & Betburg.

In Belgio tunc fundata fuere Monasteria Angiense ac Betburgense, hoc à Nobili Domino Ioanne à Riuerscheidt in honorem SS. Trinit. ac gloriosiss. Mariæ Virginis, illud à Domicellis de Enghien Comitibus Areobergicis vtrumque parua adiuncta dote, pro qua quotidianæ eleemosynæ, quæ tunc sæcularibus erat familiariores, supplebant.

De Cæsaraugust. Conuentu.

Anno M.CCLXXXVI. Cæsaraugustæ cum ad sedem Apostol. deuolutus fuisset conuentus Fratrum de Pœnit. Saccitarum, & per Nicol. IV. eorundem Fratrum locus cessisset Fratribus S. Francisci, ijsdem succedunt Eremitæ August. Locus vero Augustinianorum deuenit ad sanctimoniales S. Dominici.

Brugensium transact. confirmat.

Rursus, cum hoc anno Augustiniani Brugenses à Collegiata Eccl. B. Mariæ, ob denegatam transactionis confirmationem inquietarentur, Prouincialis Franciæ, cui adhuc suberant illæ partes, eidem transactioni alias factæ subscribit 4. Septemb. illiusque confirmationem impetrat omnium voto.

Anno 1287. Constitut. Ordin confirm.

Sequenti anno Comitijs celebratis Florentiæ, examinantur & publicantur Ordinis nostri primæ constitutiones, ibidemque ob vitæ integritatem tertio in officio continuatur Clemens Auxim. quamuis importune libertatem vrgeret.

Officium Pœnitentiarij conceditur Augustinianis.

Varia etiam tunc Ordin. accessere Priuilegia beneficio Nicol. IV. variæ indulgentiæ, ac honesta Curiæ Apostolicæ officia. Decreuerat enim hic Pontifex in Ecclesia S. Petri selectos aliquot ex clero instituere Pœnitentiarios, qui in foro Poli, grauissimis criminibus obnoxios soluerent; & aliquot Ordin. S. Augustini ad id muneris assumpsit: Virum imprimis illum celebrem B. August. Nouellum, qui huic muneri annis duodecim ita præfuit, vt integram Pœnitentiariam direxerit.

20. Augustiniani mittuntur ad Prædicandū Euang.

Idem Pontifex in recuperatione terræ sanctæ, potitus victoria aduersus Sarracenos, cum Christianam Religionem statuisset introducendam, viuificumque crucis mysterium deprædicandum, illam prouinciam præcipuè Augustinianis Eremit. commisit, imperauitque Generali, vt viginti concionatores disertos ac eruditos in hoc opus ministerij delegaret, prout factum fuit maximo cum fructu, & multorum millium conuersione.

Anno 1288. Fund. Monast. in Monte Falco.

Ædificatum fuit *Anno M.CCLXXXVIII* Monasterium Virginum S. Crucis in oppido Montis-Falco à Dom. Iohanna de Damiano, quæ soror maior natu fuit B. Claræ, quo etiam tempore soror Iohanna ab Episc. Spoletano Gerardo, impetrat facultatem aperiendi Oratorium, pulsandi campanam, & Regulam S.P. August. cum antea nullam habuisset, paulo que post recipitur ad Ordin. B. Claræ, virgo tenellula; committiturque Monasterium curæ ac regimini Generalis Ordin. S. Augustini. Iohanna verò decennio post ex hac vita discedit non sine magnis sanctitatis indicijs.

Perficitur Monaster. Bietpach.

Hoc etiam anno Sanctimonialium Monasterium Viepacense in Bauaria à Comitibus de Leonsperg absoluitur, impetraturque à PP. Augustinianis huius Monasterij regimini deputatis, tam à Reuerendissimo Ratispon. quam à Sede Apostol. Parochia de Kirchdorff cum plenario iure exempt. decimis alijsque annexis pro vlteriore Virginum alendarum subsidio.

Comitia Gen. Ratispon.

Indicebantur etiam tunc Generalia Comitia Ordin. Ratisponam, in quibus *XII Kal. Iul. M.CCXC.* comparuère cum Generali, B. August. de Ternano, Ægidius Rom. alijque non minoris qualitatis frequentes viri, per quos rursus Ordin. constitutiones ponderantur, & secundo comprobantur.

Fund Monach.eo. Monast.

Tantorum Patrum sanctitate ac doctrina commotus Rudolphus Dux Bauariæ eosdem Patres Augustinianos Ratispona Monachium in Vrbem suam Principem statuit euocandos, eisque locum ad ipsa Vrbis mœnia mox amplianda concedit, vbi postmodum ipsius Rudolphi, ac Ludouici Fratris Imperium tum habentis sumptibus, Ecclesia ac Monasterium erigitur, inter Germaniæ Monasteria non infimum.

Obitus Clemen. Gen. anno 1291.

Venerabilis P. Generalis Clemens in Italiam abiens hyemis ergò, ad Vrbem Vrbeuetanam vbi tunc curiam informabat de Germanico progressu, vix appulerat, quia prolixi itineris molestijs exhaustus, iam extremum agens senium, animam Deo reddiderit. Ad huius autem Reu. Patris corporis contactum plurimi infirmi, cæci, claudi, varijsque tormentis oppressi pristinæ incolumitati restituti fuère. Quo audito Nicol. IV. Pontif. ibidem præsens personaliter comparens, mandauit, vt per plures septimanas Ven. viri corpus publice exponeretur; accurrentibus autem catervatim hominibus, ex vicinis ciuitatibus, vicis, & locis tantus ibidem fuit confluxus, vt & Ecclesia, & vicinæ plateæ, deiectis etiā pluribus ædibus ampliati debuerint, corpore interim manente integro, & spirante in hodiernum vsque diem odorem suauissimum.

Miracula eiusdem.

S. Clem Auximio

Vic. Ordin. Paulus Perusinus.

B. Clemente defuncto in Ordin. curam vsque ad nouam electionem succedit P. Paulus Perusinus Vmber, *die 8. April* qui cum Ordinem, Vicarij titulo gubernaret, & iam capitulum indixisset Romæ congregandum, nono mense suæ administrationis, animam egit, non sine luctu superstitum.

CAPVT VII.

De P. ÆGIDIO ROMANO V. Generali.

Anno 1292.

SVB initium *Anni M. CCXCII.* Romæ apud S. Mariam de Populo, in Priorem Gener. assumitur Ægid. Romanus sui temporis Theologus præstantissimus, ac Principibus, maxime Francorum Regi charissimus.

Anno M. CCXCIII. Veri Pastoris munere cum Episcopali dignitate fungebatur Budæ in Vngaria D. Frater Incelerius Prodicz, cui in eadem sede, ex eodem Ordine Eremitano successit nunquam satis laudandus D. Fr. Anselmus quondam Baro de Politz, qui vltra 30. annos illi Ecclesiæ præfuit multorum millium Catholicorum conseruatione. Hisce enim Prælatis debebat quondam Ordo Eremit. S. Augustini Monasteria tredecim in Hungaria ac parochias quinquaginta septem, quas modo dura seruiture premit immanis Turcarum Tyrannis.

Anno M. CCXCIV. vt bene Pamphilus, inter mortales viuere desijt S. Nicolaus Tollent. septuageo. postquam triginta annis integris Tollentini habitasset, habitu Ordin. assumpto.

Obitus S. Nicol. Tollent. *Baron ponit obitum S. Nicol. Ann. 1306. cont. Geneb. Berg. Volat.*

Anno M. CCXLII. in oppido S. Angeli, hic Sanctus vt crebris orationibus, ieiunijs, vigilijs, vitæ austeritate nulli cessit, sic paucos habuit & habet qui eundem virtutibus, signis, ac miraculis superarint. Puer enim Christum in altaris sacrificio puerili specie contemplatus arcana multa didicit, Religiosus factus Dæmonibus fuit terribilis, visibiles cum ijs luctas aliquoties instituit, defunctorum animas frequenter è purgatorij pœnis, & animam fratris sui, ex inferoi malis, sacrificijs suis liberauit. Sedecim mortuos ad vitam reuocauit, variaque alia perpetrauit de quibus postea in Canonizat. agetur. B. Nicolai contemporaneus fuit, eiusque sanctitatem imitatus B. Angelus à Burgo S. Sepulchri, quem vel miraculis insignem valde diu fideles

Miracula S. Nicol. *Suppl. Cron. de Natale.*

pie

OBITVS ET MIRACVLA S. NICOLAI TOLENTINATIS



Quousque tandem patriâ careo meâ
O omnium Pater, et meus.
Quousq; tandem claudor hoc ergastulo
Seruator omnium, et meus!

Reuertere exul ad meos ciues volo
Fruique Cælo patrio
Excutere vincla carnis huius, et tibi
Christe cupio conuiuere.

Joan Ienet sculpsit

pie coluerunt, hodieque in Cœnobio patriæ suæ sepultum, multa beneficia præstare eius operam inuocantibus, sæpe sæpius audiui.

Vixit hac ætate P. Thomas Borstale Anglus vir si quis alius immortali memoria dignus. Anglorum quippe Vniuersitates duas fundauit, primas ibidem Cathedras adeptus, Parisijs etiam cum primis Theologis decertauit, ac tandem in Angliam reuersus Emeritus Doctor, beato fine quieuit, Nordouici sepultus.

Thomas Borstale Anglus. Scripta eius legem Anast.

Anno M.CCXCV. Erectus est cultui Diuino Conuentus S. August. Gandaui, quæ Flandriæ est Metropolis, in honorem S. Stephani protomart. à nobili familia Gandensium de Borlut. quæ erectio Bonif. Pontif. Max. Alberti Austriaci, Imperat. & Guidonis Dampetræ comitis Flandriæ subsidijs, non ita post perfecta fuit, ac à Ioanne Wassonio Tornacensium Episcopo confirmata, Ecclesiaque dedicata circa an. M. CCXCVIII. Conuentum etiam tunc fuit cum D. Walthero Abbate S. Bauonis eiusque Conuentu ius fundi exigente.

Anno 1295. Fund. Conu. Gandauen.

In eodem Belgio non procul à Lædio extabat vetus Eremitorium Fratrum S. August. etiam ante oppidum Hasselense, recenter tamen muris oppidi comprehensum, ac Fratrum diligentia reparatum, adiunctis etiam nonnullis hortis ampliatum, ratione cuius ampliationis, census satis difficilis Comiti Lossensi in annos singulos erat persoluendus, quem censum hoc Anno Arnoldus Comes, pure & propter Deum Religiosis donat, liberans eosdem ab omni onere in perpetuum.

Conu. Hasselen. Antiquis. his annis donatur.

Anno 1296.

Immo septem annis post primum hunc liberalitatis actum, idem Comes cum vxore Margareta, de consensu etiam filiorum Arnoldi ac Ludouici, donant aliquot modios siliginis perpetuo, super molendinum Hasselense.

Adhuc hodie viget hic reditus.

Hoc vel saltem sub finem antecedent. anni Ægid. Roman. denunciatur Archiep. Bituricensis. quam infulam sublimitate doctrinæ sibi promeruit; rebus etenim in Ecclesi. Dei perturbatis ob Cælestini V. renunciationem, ac nouam Bonif. VIII. assumptionem, controuersiam omnem sedauit Ægidius, edito libro de renuntiatione Papæ, quem Galliæ Regi inscripsit, in quo docuit iustam fuisse renuntiationem, & æquam Bonif. assumptionem; quibus alioquin non pauci obmurmurabant, schismati magis quam paci consulentes.

Ægid. Gerét. creatur Archiep.

CAPVT VIII.

De P. SIMONE PISTORIENSI VI. Generali.

ÆGIDIO ad Archiep. assumpto, Senis Hetruriæ communi totius Synodi voto Simoni Generalatus defertur, resque Ecclesiæ iuste ordinantur, edito tunc ceremoniarum libro, quo vniformitas obseruaretur, etiam in externo ritu.

11. Kal. Iunij. Anno 1298.

Viuere desijt hoc anno B. Vitus Pannonius Eremit. August. qui inter cætera miracula instar Elisei, mortuus mortuum suscitauit, totamque Pannoniam morbo contagioso non semel liberauit.

B. Vitus Pannonius defungitur. Bzouius tom. 13. anno 1297.

Docebat & tunc Bononiæ, ac postea Senis vir celebris Angelus Camertinus, qui multorum ingenia mirabiliter excitauit, magno Ordinis incremento, vt publica eius scripta testantur.

Angl. Camert. Vid. Anast. l. A.

Anno M.CCXCVII. Theobaldus Veronensis postquam disertissimis suis concionibus, ac pijssimis consilijs, plurimis profuisset, in patria Propheta, quod rarum est, Episcopatu Veronensi condecoratur, quo in munere pristina innocentia, humanitate, hospitalitate, ac liberalitate

maxime

maxime emicuit ad finem vitæ vsque continuos populo exhibens Sermones, saxea attrahens peccatorum corda. Vixit in Episc. Annis fere XL. De illo bene scripsit Poëta Augustinianus:

Saxa pluunt lachrymas Theobaldi rore rigata:
Quid mirum? linguâ, fortius acta mouent.

Sub finem anni libere sese officio Generalatus abdicauit P. Simon, dum suæ vacans conscientiæ in Eremum Etruriæ se recipere statuisset.

Aimar. Falco hist. Anton.

Eodem anno Ordo Hospitalariorum S. Antonij per Gastonem virum nobilem circa annum M. CXXI. excitatus apud Moram in Gallia, Viennensis dioec. oppidũ, à Bonifacio. VIII. Regulæ S. Augustini fuit adiunctus, propriusque Ordo Antonianorum primum institutus separatis Benedictinis Monachis, à quibus hi Hospitalarij Clerici hactenus dependebant, diplomate apud Vrbem-Veterem IV. Idus Iunij Pontif. anno III. expedito hoc fere tenore. *Habito Fratrum nostrorum consilio & assensu Prioratum cum omnibus Ecclesijs, membris, iuribus, & pertinentijs suis à spirituali & temporali potestate quacunq. Monasterij Montis maioris eximimus, ipsumq. ab eis decernimus liberum penitus & exemptum, Priorem* scilicet Ordin. S. Benedicti, *Monachos conuersos ab eo totaliter amouentes. Porro volumus & mandamus vt in eodem Monasterio, & hospitali ac membris Regula S. Augustini seruetur, & secundum eandem dicti Abbas & Canonici, ac Fratres perpetuo viuere teneantur, habitum vero cum signo T. quod Potentiam vocant, in honorem ipsius B. Antonij, tam Abbas, quam Canonici seu Fratres semper & quocunq. deportent.*

Loquitur de Prioratu S. Antonij.

Cæterum viget adhuc hic Ordo in Gallia, & Germania: in Belgio Traiecti ad Mosam tantum superest Monasterium, Romæ alterum à solis Gallis inhabitatum.

CAPVT IX.

De P. AVGVSTINO NOVELLO. VII. Generali.

Anno 1298.

Iord. Pamphil. Anno 1308. Bergom. in Chron.

Sr Augustin Novello

COMITIIS habitis Mediolani ac Simone Priore Generali se magistratu abdicante, eligitur P. August. Nouellus S. D. N. Pœnitenciarius, qui vtriusque Iuris ac Theologiæ Doctor, quondam Manfredi Regis Siciliæ fuerat Cancellarius. De quo præclara scribunt Authores Ordin. & nos tetigimus miraculosum illius accessum ad Ordin. supra, in Clemente Aux. Absens is erat, cum huic muneri destinaretur, nuntiumque sibi vt rebatur, infelicissimum dure excipiens, aliquamdiu restitit; donec Patrum precibus victus, morem Spiritui sancto gerere volens, consensit in electionem. Manum itaque operi apponens statim relictâ aulâ, vbi Pontifici erat à secretis Confessionibus, vti verus Pastor ad Monasterij sui greges accessit, cunctos verbo & exemplo præcedens, à Bonifacio Ordinis exemptionem impetrat omnimodam, à quacunque Dioecesani iurisdictione, nec Religiosis tantum, sed omnibus vna cum Religiosis commorantibus, prout eadem expressius in Bulla Bonif. VIII. Laterani data XII. Kal. Febr. continetur.

Exemptio totalis ab Ordinariatu.

Sufficiebatur tunc in locum P. Augustini Nouelli, tum apud Pœnitentiariæ, tum apud Sacrarij Pontificij sedem, Ven. P. Iacobus Camertinus, qui pro Ordine iam dudum Curiæ procuratorem egerat, manente hoc officio ex hoc tempore vsque ad hæc nostra semper Ordini S. Augustini hæreditario iure, ac Sedis Apostol. beneficio. Visitauit Augustinus Italiæ vniuersæ Monasteria, ordinique præfuit, *cum multa charitate, humilitate, & iustitiæ zelo, humilis in exhortando, seuerus in corripiendo, omnibus benignus licet sibi austerus. Festinauit*

Iacob. Camer. 2. Sacrista.

Ex Iordano.

nalis autem sarcinam regiminis deponere & ad solitudinem redire; Duobus etenim annis in regimine peractis, Capitulum Generali Neapoli indixit; eoque congregato, resignationem officij aggressus, nullis precibus adduci potuit, vt vlterius Ordin. curam gereret, quamuis ad quartum diem instanter hoc omnes peterent, etiam adhibita intercessione Caroli Regis Neapol. quem vti deprecatorem omnes P. Augustino submiserant.

CAPVT X.
De P. FRANCISCO RVBIENSI VIII. Generali.

Cum P. Augustinus Nouellus obfirmata mente persistisset, coacti fuere Patres congregati, ad nouam electionem procedere, & vnanimiter Francis. Rubiens. Picenum elegere. Augustinus vero Nouellus à Bonif. VIII. ad curiam inuitatus, honesti illius fauorem declinauit, & addesideratam solitudinem, locumque S. Leonardi, vnde, per plures annos exulauerat, conuolauit; cæterum vitæ suæ Deo daturus.

Anno 1300. Augus. Nouel constanter reijcit honores.

Maximi tunc exercebantur tumultus Senis, ob certos Presbyteros hospitali maiori deseruientes frigidocerte, ac indigno obsequio, quare cum à ciuibus pulsi essent, & querelæ ad Bonif. Pontificem fuissent delatæ, ipsius Bonifacij mandato, destinatur Senas P. Augustinus Nouellus cum plena potestate componendi, ac reformandi. Qui statim sæculares in Regulares clericos commutauit, constitutiones edidit, omnesque ad earundem obseruantiam ita adegit, vt nouus hinc Ordo titulo Clericorum S. Mariæ de Scala in Italiam introductus fuerit, pluribus ciuitatibus, hospitalia sua hisce Clericis committentibus. Quem Ordinem vna cum constitutionibus P. August. Nouelli confirmauit PP. Bonif. VIII. Anno M. CCC. eumque Regulæ S. Augustini subiecit. Viget adhuc hodie Senis, & alibi eodem charitatis officio intentus.

ORDO CLERICORVM HOSPITALIORVM.

Capitulum hoc Generale Neapolit. præsentia Regis Caroli fuit condecoratum, illiusque expensis celebratum, ac in illius memoriam fuit Monasterio S. Augustini Neapol. donatum hoc eodem anno caput S. Lucæ Euang. quod ibidem hodie mira solennitate colitur magna populi frequentia, & crebrò miraculosis signis condecoratur.

Caput S. Lucæ donat. August. Neapoli.

Vixit *hoc Anno* B. Vgolinus de Mantua, vir miræ abstinentiæ ac castitatis, quo defuncto plurima per solum corporis contactum contigere miracula, interque hoc notatu dignum, quod in dextro latere pectus habuerit apertum, ex quo adhuc septuaginta annis post obitum, continuo effluxit sanguis recentissimus, quasi ex viuo corpore, suauitate inenarrabili, ac virtute mirifica claudis restitutus gressum, vti & cæcis visum.

B. Vgolinus de Mantua.

His *etiam annis* tam Bonif. VIII. quam Bened. XI. magnis fauoribus & gratijs Ordin. S. August. affecerunt, concedentes liberam in Ecclesijs nostris sepulturam, amplissimam absoluendi quoslibet etiam à grauissimis casibus facultatem, aliaque his similia.

Ordinatus fuit *circa hos annos* in Gallia Ordo Monachorum charitatis nostræ Dominæ, hactenus ibidem satis frequens, à Guidone Ianuillano Bouchera Montij, non procul à Ianuilla in Campaniæ Prouincia. Huius Ordinis professio est, infirmos, ac pauperes colligere, eisque domi suæ commoditatem possibilem præbere, quod adhuc hodie per huius togæ viros fit in sedecim domibus magna charitate. hos Religiosos Regulæ S. Augustini subiecit Bonif. VIII. & post illum Clemens sextus.

ORDO CHARITATIS S. MARIÆ. Myrem ubi sup. Orig. Monast. cap. 25.

Vixere

Beati Ord. S. Augustini plures in viuis

Vixêre *hoc sæculo* plures ex Ordin. S. Augustini beati, in varijs locis, Lupus de Suriano, B. Martinus de Vercellis, Franciscus d'Ornieto, Galganus de Volaterra Dorotheus de S. Germano ac alij è quibus plerique officio Ecclesiastico coluntur apud suos.

Anno 1303.

Anno M. CCCIII. Habitus est conuentus Generalis Perusij, in quo & Francisco Magistratus prorogatur, & multa præclara ordinantur.

Ioan. filius Rudolphi fit August. & specul. pœnit.

Hoc eodem An. Ioannes filius Rudolphi interfecit Imperatorem Albertum suum Patruum, vnde iussu Clementis V. & Henrici VIII. captiuus ad Monasterium Eremit. S. Augustini Pisis, vbi tunc arcta seruabatur disciplina, relegatur; in quo etiam præfatus Ioannes tantam exercuit pœnitentiam, vt breui post relegationem in virum alterum fuerit mutatus, habitum Ordin. assumendo, magnamque vitæ spiritualis perfectionem attingendo, qua veræ contritionis lapsis reliquit exemplum singulare, ita vt liber declaratus, liberam sibi captiuitatem indixerit.

Anno 1306. Fund. Conu. Walderfing.

Anno M. CCCVI. Theobaldus Dux Lotharingiæ, donat locum Fratribus Augustinianis in oppido suo Walderfingiæ, ibidemque euocatis ad ædificium Religiosis Treuerensibus auxiliatricem præbet manum & liberalem, quod etiam anno M. CCCC. XCIX. fecit Renatus Loth. Dux.

Capitul. Gen. Bononiæ.

Maio insequenti, Synodus generalis Ordin. fit Bononiæ, vbi tertio in officio continuatur Franc. Gener. ob dexteritatem agendi & disciplinæ rigorem. Peracto etenim Capitulo totum Ordin. visitauit personaliter, eumque optimis moribus ac legibus plurimum in diuersis terrarum partibus promouit.

Anno 1307. Genet. Franc. celebrat Capit. Gandaui.

Cum *14. May Anno M. CCCVII.* Gallicanæ reformationi intenderet, euocatis Gandauum (quæ Metropolis est Flandriæ) Patribus Gallis, & inferioris Germaniæ, quibus tunc egregiam nauabat operam, ibidem in morbum incidit, lentum quidem sed longum, cui curando nihil non fuit attentatum, licet frustra; quarto enim ægritudinis mense, ipso Natiuitatis Domini,

Moritur ibid.

piè moritur, ac in Ecclesia Ordin. maxima, religiosaque pompa sepelitur. Procurator autem Ordin. qui de assensu Pontif. tunc Auinione residentis, comitia indixit Genuam, in annum subsequent. vsque ad Capitulum præest.

P. Iacob. Viterb. Archiep. Neapol & Henr. Gandau. *Vide Annal. l. 1. Campb. hoc anno.*

Florebat hac ætate magnus ille P. Iacobus Viterbiensis ob acre tersumque ingenium *Doctor Speculatiuus* nuncupatus, & Henricus de Gandano *Doctor Solennis*, quorum doctrina ac industria tunc Vniuersitas Parisiensis fulciebatur. Vnde non ita post Iacobus certatim ad Episcopatum Beneuentanum, & Archiep. Neapolit. fuit euocatus, attamen relicta Eccles. Beneuentana, solam Neapolit. acceptauit, eamque felicissime per plures annos rexit, relinquens præclara ingenij sui monumenta. Gandauensis vero diu Parisijs docuit, aliamque viam à D. Thoma inuenit.

Fundatur Valentiæ Monast.

Construitur hoc *anno M. CCCVII.* Ecclesia ac Monasterium Valentinum, industria F. Francisci Salellos, & ciuium ac vicinorum liberalitate. in qua fundatione hoc rarum, quod mirabili Dei prouidentia grauissima contagio cessarit, hoc quodammodo beneficio deprecata iraque Dei placata.

Obitus B. Claræ de Monte-Falco.

Hoc etiam anno die 17. Augusti felicissima illa anima B. Claræ de Monte-Falco euolauit in cælum, quod paulo ante obitum patens ei visum fuit, Iesusque expectans cum corona, prout ipsa in extremis referebat Ven. P. Thomæ Ordin. August. Religioso, suo confessario, & adstantibus sororibus, è quibus plures notauerant, dum viueret, Diuam hanc Virginem amarissimæ Passioni Christi deuotissimam, mirabiles sensisse ex eadem Passione cordis angustias, etiam corporales, quas continua cordis pressione, manu apposita, & gemitibus ac suspirijs pluries patefecerat. Vnde post illius obitum Religiosæ curiosiores, vt intrinsecum notarent morbum, in spem etiam adductæ

F. Maurol. 22. Augusti Volater lib. 21. Sabell. Ænead. 7. lib. 9. Bzouius anno 1308.

aliquid

144. B CLARA MONTEFALCONIA AVGVSTINIANA.



Discere si libeat quæ sit Meditatio virtus,
Hoc in FALCONIS MONTE vide Monacham
Contemplata docet: Deus est qua trinus et unus,
Quanta fuit Christi passio, quantus amor;

Tres numero globulos, sed pondere continet unum,
Hoc sanctæ Triadis symbolon et Monadis.
Ecce salutiferæ Christi mysteria pœnæ
In CLARA raro thaumate clara patent.

aliquid miraculi latere, prout alia deuotissima Religiosa spiritu Dei acta suggerebat, sanctissimum corpus aperiunt, fragrantem sentientes odorem, cor inquirunt, quod cum insolitæ reperiretur magnitudinis, ac ponderis, obstupefacti ad illius incisionem progrediuntur, & ecce corde diuiso, inueniunt in eo integrum Domin. Passionis mysterium, Christum crucifixum, carneum, flagella, clauos, coronam, lanceam, spongiam, aliaque nostræ salutis instrumenta, ita affabre expressa, ac si industria manus sculptoris eadem incidisset. In felle huius Virginis tres globuli reperiebantur, quasi lapidei, quorum vnus tanti ponderis est, quanti duo, & duo quanti tres, & tres quanti vnus, euidentissimum ac singulare Sanctiss. Trinitatis, eiusdemque æqualitatis symbolum. Quod ita exprimit Poëta Augustinianus è Belgica Antuerpia.

Granat. in symb. fol. Ribadeneira Vita S. Claræ. Cor. sectum in eo ab eam Dominici.

Symb. Sanct. Trinitatis, Nicolai Bausius.

Vnus hinc triniq; Dei mysteria disce,
Et faciat menti res manifesta fidem.
En tres Clara Pilas equali pondere prabet,
Æquat & vna duas, certat & vna tribus.

Hæc omnia scripsit ipse Vicarius Generalis D. Berengarius de S. Africano, à Reuerendissimo Spoletano Episcopo ad ocularem inspectionem destinatus: illaque enarrata mysteria, adhuc hodie visuntur cum corpore S. Claræ integro, carne sana ac viuida ad stuporem certè orbi vniuerso. Festum etiam illius B. Claræ celebratur plerisque in locis cum oratione propria, officio ac Missa 23. Octob. Vixere cum S. Clara in eodem Monast. B. Clarecta & B. Clarella, quarum corpora conseruantur integra io Monast. Fractum ibidem miraculis clara, vt ipsi vidimus.

Anno M CCCVIII. in Comitatu Lutzenburgensi, per Comitem Heoricum donatur Theonisuillæ area Fratribus August. Conuentui ac hortis necessaria, moxque piorum eleemosynis, ibid. superstruitur Ecclesia ac Monasterium dequo infra. Huic autem Monasterio, non semel iotegra oppidanorum salus fuit commissa, ac per Religiosos difficillimis temporibus peracta.

Anno 1308.

CAPVT XI.

De P. IACOBO ORTANO XI. Generali.

Pos tis ferijs S. P. Augustini celebratur Capitulum Genuæ, eligiturque P. Iacobus Ortanus, qui quatuor annorum spatio, Ordini insigniter præfuit, multumque profuit.

Patribus à Capitulo redeuntibus obijt B. August. Nouellus, decimo postquam se magistratu abdicauerat anno, in loco S. Leonardi iuxta Vrbem Senensem, non sine maximis æternæ felicitatis indicijs; palam enim omnibus ostendebat in mortis suæ articulo, & Christum & Angelos adstantes, qui morientem inuitarent & exciperent. Eo autem vita functo Episcopus Senensis, sepulchrum separatum, eleuatum, ac ornatū huic beato viro concedi iussit, mox etiam plurima per eundem patrata fuere miracula: cæci curati, tres mortui solo huius corporis contactu suscitati, incurabiles infirmitates sublatæ, serpentes totam viciniam infestantes coërciti, alia denique multa signa per hunc Beatum quotidie operatur Deus, vnde etiam annua huic Beato maximo populi concursu celebrata fuit memoria. Viuebat subidem tempus B. Petrus de Camerata huic B. August. in sanctitate non absimilis, cui etiam 14. milliaribus distanti, diuino iudicio ooo fine euidenti miraculo eius mors fuit indicata.

Obitus B. August. Nouelli.

Miracula eius. demnon vulgaria.

Iord. de Sax. vit. FF.

N Insi-

ORDO ALEXIANORVM

Insignis *anno sequenti* exoritur Ordo Alexianorum per inferiorem Germaniam non infrequens nec inutilis, pro mortuorum cadaueribus tumulandis ordinatus. Diuitum enim funera spe lucri à tenuioribus fortunæ viris terræ mandabantur, sed pauperculorum, sopita fere charitate, nullus volebat attingere. Vnde pie commoti viri misericordiæ, fortunæ suæ merces huc destinarunt, vt certi viri Religiosi, nullis Ordinibus initiati, huic operi addicti in vnum habitantes, vestibus nigris, oblonga etiam cuculla amicti, alerentur, quos postmodum Henricus Sudermannus Regulæ S. Augustini adiungi, illorumque institutum confirmari, ab Apostolica sede procurauit, eosque in hoc opere tam pio optimis legibus instruxit.

ORDO NIGRARVM SORORVM.

Eiusdem fere habitus ac professionis etiam sub Regula S. P. Augustini reperiuntur castissimæ sanctimoniales, quæ hoc vnicum agunt vt infirmis assistant, non tantum domestico hospitalitatis officio, sed in proprijs infirmorum ædibus, etiam per longum tempus commorando, nullumq; charitatis officium prætermittendo. Agonizantibus enim assistunt, cadauera lauant, funerales pompas disponunt, viuis ac mortuis bene precantur, nomenque nigrarum sororum, à veste atri coloris, sibi obtinuerunt, suntque fere in singulis oppidis.

Anno 1310. Miracula varia S. Nicol. de Tollent. *Ambr. Fequer. in Vita S. Nicol. c. p. 6. 8.*

Anno M.CCCX. Placuit Deo S. Nicolaum de Tollentino à paucis annis mortuum multis miraculis illustrem reddere. Dum enim in sollenni Sanctorum omnium nocte, permulti fideles varijs languoribus afflicti, Tollentini ad sanctissimas illius reliquias ex voto peruigilarent, ægris omnibus salus refunditur; mulier infidelis fidei lucem impetrat, campanæ vrbis absque vlla humana opera perstrepunt, quadraginta denique & quinque miracula hac vnica nocte diuina benignitate concessit.

Obitus B. Henrici de Vrimaria. *Anastasis l. H. Pamph. 1315. Milens. Alpha.*

Excessit *etiam hoc Anno* è viuis P. Henricus de Vrimaria Alemannus, de quo scribit Pamphil. quod nunquam otiosus fuerit repertus, studebat, orabat, vel laborabat continuo: in orationibus dicebat se loqui Deo, sibi loqui Deum in studijs. Vnde tantum in vtroque orationis ac studij exercitio profecit, vt vix illo sæculo, vllus Henrico Doctior, vix feruentior in precibus extiterit. Ingentia, pia, ac docta scripsit volumina, de quibus alij.

Obitus B. Christianæ De S. Cruce. *P. Honorius Martinus in Vita huius S.*

Placuit Deo circa hæc tempora è mortali vita ad cælestem euocare B. Christianam à S. Cruce, quæ cum prius Oringa dicta fuisset, ob vitę abstinentiam, integritatem ac sanctitatem, à Populo Romano cui iam innotuerat, Christiana fuit nuncupata. Claritatem nominis fugiens, ac Romam deserens, admonita fuit diuinitus, vt nomen daret Monasterio, non procul à Florentia, vbi Regula S. Patris Augustini exacte seruabatur, prout fecit in Monasterio degens, maxima vitæ innocentia, & multis miraculis clara. *4. Ianuarij* paralysi migrauit ad cælum. In huius autem Virginis transitu myriades Angelorum visæ fuere conducentes animam, vnde Sixtus V. eandem, vt Beatam declarauit colendam.

P. Ioan. Ganfroet, Belga.

Vixit etiam hoc anno in Conuentu Hasselensi P. Ioannes Ganfroede, Illustrium Comitum Lossensium & Hasselensium Confessarius, cuius opera Conuentus ille fundatus, vel saltem dotatus fuit, dote non exigua, vt illa ferebant tempora.

Obijt sequenti Anno R. P. Iacobus Ortanus Generalis ac Capitulum Generale indictum fuit Viterbium, in pridie Idus Maij.

CAP. XII.

CAPVT XII.

De P. ALEXANDRO A S. ELPIDIO X. Generali.

Anno 1312.

IN Comitijs Generalibus Viterbij celebratis maiori suffragantium calculo in officium Generalatus successit P. Mag. Alexand. à S. Elpidio, vir rari ingenij, & miræ experientiæ, post omnis generis officia Ordinis administrata.

Fund. Conu. Toletani. *Marquez. cap. 15.*

Toleti quo sub finem anni præteriti Religiosi S. Augustini ex vicino loco ob infestum aerem migrarant, erigitur Monast. cum Ecclesia, liberalitate D. Gondesalui Ruijz Cancellarij Castellæ, in honorem S. Stephani, quem D. Gondesalvus, vna cum S. Augustino in morte habuit propitium: vterque enim Sanctus apparuit morienti, ac funus vsque ad Ecclesiam cohonestauere, multis apparentes.

Ordinis vigor in Vngaria. *Anno 1313.* *Milens alph. fol. 49.*

Vigebat hoc tempore Ordo Eremit. S. August. in Vngariæ partibus, vbi spirituale regimen passim Fratribus S. August. committebatur, parochis innumeris, Episcopis aliquot, ex Ordin. S. August. assumptis, Strigoniensem Archiep. gubernauit annis XX. F. Stephanus Forest; Coronyacensem Ioannes Rez, Lauacensem P. Ladislaus Sbrouolki; & post illum adhuc duo alij Ordin. Erem. S. August. alumni.

Obitus B. Petri a Florent.

Decessit tunc è viuis, in Senarum Prouincia, Cameraij B. Petrus à Florentia, cui non nunquam cibus cælitus delatus fuerat, quiq; non infrequenter cum Angelis Dei laudes cantabat alterna voce; prophetiæ ac miraculorum gloria illustris. Pro reformatione Ordin. cum haberentur Comitia Patauij instante Alexandro Generali, plurima Monasteria sese iustæ disciplinæ submisere, maxime quæ Venetos ac Lombardos spectabant.

Anno 1316. *Reformat. Ordin.*

Horum Monasteriorum limam cum suscepisset ipse Generalis, primusque esset in opere pietatis non sine egregio progressu, defertur nuntius de obitu B. Ægid. Romani Archiepiscopi & Cardinalis; qui Auenione istis diebus animam egerat, postquam 69. annis pro Eccles. & Ordin. vixisset. Distribuerat prius hic Prælatus rem suam familiarem inter pauperes, parte aliqua Romano Conuentui, & altera Bituricensi reseruata, corpus suum vna cum Bibliotheca, Parisios transferri iusserat, vt ibi quiesceret, vbi studiorum labore, quietem promeruerat. Sepulcræ illius adhuc hodie talis manet inscriptio: *Hic iacet aula morum, vitæ munditia, Archiphilosophiæ Aristotelis perspicacissimus commentator, clauis & Doctor Theologiæ, lux in lucem reducens dubia, F. Ægidius de Roma, Ordin. FF. Eremit. S. August. Archiep. Bituricen. qui obijt Anno Domini M. CCCXVI. die 22. Mens. Decemb.* Maximam edidit hic Ægidius librorum copiam, quibus Scholasticam Theologiam fundamentaliter illustrauit, quorum catalogum alij recitant.

Obitus B. Ægid. Rom. *Epitaph. eiusd.* *Pamphil hoc anno. Anast. a fis l E.*

Promotus fuerat non ita pridem ad Apostol. sedis culmen Ioan. XXII. Ordini Erem. S. Augustin. optime affectus, hic B. Claram de Monte-Falco, sanctarum numero adscribendam decreuerat, breui suo mandans Neapoleoni Vrsino, S. R. E. Cardin. Diac. vt de illius sanctitate ac miraculis inquireret, quod etiam ex mandato Sedis Apost. fecit Episc. Perusinus & Vrbeuetanus nomine Cardin. Vrsini.

Canoniz. B. Claræ. *Bzou. tom. 14.*

Capit. Gen. Arimini.

Anno M. CCCXVIII. Ordin. comitia habentur Arimini, vbi rursus Alexander confirmatur in Generalem, multaque, quæ Ordinem maxime promouebant, ordinantur, constitutionibus postmodum inserta.

Officia Ordin. in curia. Ioan. 3. Sacrista. S. D. N.

Sequenti anno Ioannes XXII. Patribus S. Augustini tria grauissima officia curiæ Pontificiæ commisit. Sacristiæ scilicet, Bibliothecæ, & Secretæ pietatis, quibus præfecit Ven. P. Ioan. Lemouicē Gallum, qui multis annis laudabiliter Ioan. XXII. Bened. XII. ac Clementi VI. seruiuit, in dictis officijs exercitatissimus.

Fund. Conu. Torn.

Hoc Pontif. & hoc Anno FF. Eremit. S. Augustin. habitationem obtinent in Vrbe Tornacensi, illisque assignatur locus quondam Fratrum de Pœnitentia, tunc desertus, possessionem capiente R. P. Guillelmo Le feron vice Reu. P. Alexandri Generalis.

Fund. Conu. Dareimunos.

Fundatur tunc etiam in Hispania sub Conchensi dioecesi Conuentus Castelli de muños, expensis Principis Ioannis Emanuelis, qui Patre Emanuele genitus, & nepos S. Ferdinandi Regis, D. Augustino erat deuotissimus.

Anno 1321.

Anno M. CCCXXI. 7. Idus Iunij, Capitulum euocatur Taruisium, vbi Alexandro rursus confirmato initur ratio studia erigendi inter Italiæ fines, quæ hactenus tantum in Gallijs floruerant, accitis ex Parisiensi Schola Alberto Patauino, & Gerardo Senensi, alijsque non minoris nominis viris.

Obitus Alber.

Vix Albertus Patauinus ex Gallia redux, Patauensibus ad stuporem Verbum Dei declamare inceperat, ac sacras litteras ex cathedra proferre, quin ecce immatura morte, necdum enim sex supra quadraginta annos vixerat, omnium mœrore, discessit è viuis, plurimas relinquens ingenij sui lucubrationes. Illum Patauini statuâ marmoreâ cum duplici elogio donarunt. *Alberto Eremit. Patri singularissimo, vitæ continentissimæ, patriæ Patauino studiorum Alumnæ, & Reipub. Christianæ summo splendori.* Sub eadem statua scriptum legitur. *Albertus liberalium artium ac Vrbis nostræ splendor, in Ordin. Eremit. Regulam professus continentissimæ vitæ fuit, is claruit ingenio sub celeberrimo Ægid. Romano eiusdem Ordin. sacris litteris imbutus, sumpta Parisijs infula magistrali, tam clarus euasit, vt Paulum Apostolum, Moysen, Euangelia, ac librum sententiarum expositione splendidissima reserauerit, idemq. ante omnes suæ ætatis viros facundissimus Prædicator, immortali memoriæ hic optimo iure datur.*

Anastasis l. 4. Pamphil anno 1323. Encomium public. Alberti Patauini duplex.

Ioan. Wilton.

Parisiensem Vniuersitatem, ac postmodum Anglorum Gymnasia plurimum ornauit. P. Ioannes VVilton, concionator celeberrimus, Gallici sermonis æque atque Anglici peritus. Scholasticus etiam insignis, vt testatur illius contemporaneus Bacon, Carmelita, cum quo plures habuit concertationes. Obijt tandem is, ætate ac meritis refertissimus Oxonij, vti miles in acie, sic Doctor in cathedra inter Scholasticos pulueres.

Anno 1324. Capit. Montispessulanum.

Anno M. CCCXXIV. tertio Non. Iunij, conueniunt Patres grauiores Ordin. ad Narbonensis Galliæ Metropolim Montempessulum, vbi iam quinto, Alexandro de S. Elpidio Ordin. gubernaculum vti peritissimo nauclero committitur, cui laudabiliter præfuit. Fuit hoc tempore sæpius à summo Pontifice ad diuersos Principes, pro tuenda Ecclesiastica iurisdictione vti intermedius nuncius destinatus, eamque acerrime verbis tutatus est.

Anno 1325. Alexand. fit Archiep. Rauennat.

Tandem Alexander decimoquarto sui regiminis anno, Archiepisc. Rauennatensis designatur, illique Ecclesiæ non minus vtiliter, quamuis non ita diu, vt Ordin. Augustiniano, præfuit, præclaro relicto exemplo, suique memoria, quæ adhuc ibidem extat inter alios Archiep. non postrema.

CAP. XIII.

CAPVT XIII.

De P. GVILLELMO CREMONENSI, XI. Generali.

ALEXANDRO ad Archiepisc. assumpto congregantur Patres, Florentiæ *28. Febr* substituiturque Guillel. Cremon. vir in Theologica facultate, ac in iure peritissimus; sub quo Ordo plusquam vnquam tum in sanctitate, tum in doctrina, ac in Conuentuum, Religiosorumque frequentia profecit. A domo Dei regimen exorsus Ordin. vniuersum ad ritum Romanæ Eccles. in diuinis laudibus persoluendis reduxit.

Primo adhuc sui regiminis anno, pro impetratione corporis B. P. Augustini in templo S. Petri Papiæ recondito institit, non vt illud inde amoueretur, sed vt Religiosi Eremit. eidem Ecclesiæ rursus adiungerentur. Prioribus enim sæculis, vt 2. parte docuimus, Ecclesiæ curam habuerant, illisque belli tumultibus, sæculares Presbyteri successerant: Benedictinis postmodum hæc Ecclesia fuerat tradita, ac postea Canonicis veteris instituti S. Augustini consignata, quibus rursus & numero, & officio deficientibus, videbatur æquum Eremitas S. Augustini posse adiungi, vt à veris legitimis filijs, parentis ac institutoris sui monumentum, vna cum Sanctiss. reliquijs coleretur.

Procuratur Conu. Papien.

Anno sequenti Ioannes XXII. auditis doctissimis historicis, in hanc peruenit cognitionem, S. Augustinum vere Religionem Eremit. instituisse. Vnde etiam communicato consilio cum vniuerso Cardinalium cœtu Ordini Eremit. Fratribusque concedit, vt vna cum Canonicis ibidem degentibus officium celebrent, his verbis notatu dignissimis. *Dignum arbitramur, & congruum, vt vbi tanti Doctoris, & Præsulis corpus tumulatum quiescere dicitur, ibi vltra id quod sibi honoris, & laudis ab vniuersali exhibetur Eccles. singulari quadam reuerentia, ab Ordine Eremit. & Fratribus eiusdem Ordin qui sub eiusdem Patris Regula degitis, & sancta obedientia militatis, quiq. diuinis insistitis laudibus, vacatis orationi, intenditis exhortationi, insudatis studio, & animarum saluti propensius inuigilatis specialiter honoretur: quatenus inibi tanquam membra suo capiti, filij Patri, Magistro discipuli, Duci milites cohærentes Deo & ipsi Sancto, authoritate fulti Apostolica præcordialius iubiletis vbi vestri Patris, & Ducis Augustini, noueritis Reliquias fore sepultas*; Dixerat paulo ante Ioan. XXII. *Lamentabile sibi videri proprios filios paterno Sepulchro priuari.* Quibus verbis notat Eremitas esse proprios filios.

Breue Pontif. testatur nos esse vere filios S. August.

In Bulla citata.

Paulo post executioni demandata fuit hæc tam præclara vnio membrorum ad caput, & FF. Eremitæ fauore Ioan. Bohemiæ Regis, penes quem tunc erat Papia, ad possessionem loci admissi sunt, tantumque sibi areæ coëmerunt, quantum Monasterio ædificando foret necessarium. Transactum etiam tunc fuit cum DD. Canonicis Regul. ratione officij diuini vniformiter Romano more celebrandi, & ratione vsus Ecclesiæ S. Petri in cælo aureo, ita vt alternis septimanis quilibet Ordo chorum dirigat successiue, quilibet in sua parte Ecclesiæ sacra celebret, solis Altaribus medijs (quæ duo ibidem sunt) communi vsui reseruatis. Campanæ, cum campanili, libri chori, aliaque Augustinianis sumptibus parata, ipsis proprie sunt adiudicata, ad illorumque pulsum coguntur DD. Canonici adesse. Hæc duorum Ordinum cohabitatio non paruã frequenter peperit zelotypiam, indecentẽ (fateor) Religioso statui, dum quælibet pars æmula alterius, antiquitatẽ, Ord. reliquiarũ propinquitatẽ, ius integrũ, aliaq. sua, nõ quæ IESV Christi quærens ac defendens, rigidã sese præbuit: quæ nonnunquã indolui, voluissemq; videre charitate

Possessio loci conceditur.

Facta inter DD. Canon & FF. Erem.

Mira cohabitatio DD. Canon & FF. Eremit.

fmata meliora, & æmulationes D. Pauli, quæ eadem adhuc voueo viris, qui tanto parente gloriantur, illique perpetuo assistunt corpore: vtinam & animo, ac moribus.

David Episc. Rocens.

Vixit his annis in Gallia religione, doctrina, ac morum integritate celebris P. Magister David, qui postquam Prou. Franciscæ Prouincialatum gessisset, promotus ad Episcopatum Roceņsem varias Legationes pro suo Rege, nunc in Burgundiam, nunc in Brabantiam obiuit, consecrauitque nomine Tornacensis Episcopi decrepiti, Ecclesiam nostram Brugensem, Anno M.CCCXXVII.

Obitus August. de Ancona. *Anastasius l. A. Pamph. fol. 47.*

Obijt Neapoli *subseq. Anno* senio confectus P. August. D'Ancona ob summam doctrinam ac morum integritatem summis Pontif. & maxime Neapolit. Regibus, Carolo ac Roberto charis. Quæ reliquerit laborum suorum testimonia, habent Authores sæpius memorati, quibus statuam sibi promeruit apud conciues suos Anconæ.

P. Ioan. Rideual.

Angliam tunc ornabat P. Ioannes Rideuual in humanioribus, simul ac in Diuinis litteris eminentissimus, fama passim per totam Britanniam celebratus, quod elaborata illius scripta, varia omnino doctrina referta, abunde testantur. Angliam paulo ante deseruerat P. Eduardus & ad obsequium Ludouici Bauari Imperatoris descenderat, à quo etiam in pretio habitus, & grauissimis Legationibus adhibitus fuit nomine Imperatoris, tum ad Angliæ Regem, tum ad sedem Apostolicam.

B. Fridericus Ratisp. Laicus. *Vide P. Rad in Bau. sancta.*

Nec minore fama exciuit vniuersam Germaniam innocentissima sua vita F. Fridericus Ratisponensis, laicus absque omni litteratura, miraculis tamen insignis: de quo hæc ferunt historici, quod spiritu Prophetiæ claruerit, quod infirmos solo contactu sanarit, quod aliquoties Angelicis manibus (dum manuali operi esset intentus, mente tamen ad Deum conuersus) sacra synaxi fuerit refectus. Obijt is *anno M. CCCXXIX.* in Ecclesia Ratisp. sepultus, vbi adhuc à pijs colitur, tabellis indicibus gratiarum appensis.

Capitul Parisinum.

Eodem *anno 6. Idus Nouemb.* Conuenêre Patres Parisijs, vbi Guillel. Cremonensi officium prorogatur, & multæ præclaræ Regulæ Ordinis emanarunt.

Præclari viri Germaniæ.

Obijt tunc in Germania P. Hermannus de Allis Germanus, vir sanctis. conuersationis, de quo scribit Iordanus, quod plus oratione quam studio profecerit, quod longa patientia ac tolerantia in acerbissima Christi passione sepultus obierit, euidentia signa beatitatis ostendendo, quorum ille vidit & audiuit testes.

Similis fere nomine viguit in eadem Germania circa eadem tempora P. Hermannus de Schildis, vna cum P. Alberto Saxone, ac P. Vlrico Lutzenburgensi, postea Episcopo Curiensi, qui inuestiuit feudis Marustenij castri & Pincernarum officij Albertum Seniorem Austriæ Ducem anno M. CCC. XXXVI. in thermis Badensibus, sub quo Ecclesiæ Curiensi accessit Rietbergum, & castrum Trunilliafcæ: alias laudes horum Patrum libens prætereo, cum apud Anastasin sint clari, ad quam Lectorem remitto.

Viuens Episc. Curiensis.

Anno 1332. Capit. Vener.

Anno M. CCCXXXII. Celebratis Comitijs Gener. Venetijs, & continuato in officio P. Guillel. Cremon. magna pecuniæ summa colligitur pro magnifica extructione Conuentus Papiensis, quam his annis Guillel. Generalis perfecit, ex sua parsimonia, & Ordinis zelo.

Fund. Wesaliensis.

Cliuo-vvesaliæ oppido Dioec. Monasteriensis grassante morbo contagioso, pro diuina ira sedanda ex voto publico ciuium ac Magistratus, illorumq; expensis erigitur Monast. Eremit. S. Augustin. cum Ecclesia in honorem S. Sebastiani, Religiosis ex vicino Mariæuallensi loco euocatis, quorum operam in hoc Dei flagello frequenter ciues inuocarant, quando emortuis fere totius oppidi Sacerdotibus, soli PP. Augustiniani ex clero superui xerunt incolumes.

Rur-

Capitul Grassæ.

Rursus *anno M.CCCXXXV.* Congregantur Patres Grassæ in Prouincia Prouinciæ, quod vnum est ex vetustissimis Ordin. nostri Monasterijs, & in officio suo Guillel. continuatur. Floruit in hoc Capitulo Petrus Donatus de Aretio sui temporis concionator celeberrimus, profunda doctrina, ac rara eloquentia prædirus.

Fund Monast. Placentiæ.

Construitur etiam Eremit. S. August. Monaster. Placentiæ, cuius Ecclesia D. Laurentio dedicatur, cum ante illius extructionem, iam extaret Monasterium S. Augustini Canon. Regularibus, quibus tamen insolitum suas Ecclesias D. August. consecrare. Hoc Monasterium non ita pridem fuit innouatum ad inuidiam exempli.

Reædificatur Monast. Spiren.

Conflagrauerat ante annum, misero incendio Monast. S. August. Spiræ, illudque à Gerardo Spirensium Episcopo denuo erigitur in ampliorem formam.

Celebrantur de Massa Gerard de Senis Dionys. Burgos & Dimald. Forol.

Vixere etiam his annis, ac plurimum Ordin. Eremit. profuere, P. Michaël de Massa, Gerardus de Senis, Dionysius de Burgo S. Sepulchri, ac Dimaldutius Foroliuianus: è quorum numero primus, ac vltimus in Theologia morali, ac contemplatione mysteriorum Dei excelluere, prout id pijssima opuscula recitata à Pampbilo demonstrant. Secundus in Theologia speculatiua, ac in iurisprudentia mirabilem sese ostendit. Dionysius vero in Humanioribus litteris Poësi ac Rhetorica, nec non in Historijs facile principem locum obtinuit, teste Pettarcha, qui obitum huius Patris pulcherrimo Elogio ad Robertum Regem Siciliæ, cui is fuerat familiaris, deplorat. Obijt autem Neapoli, ibique tumulatus, *Anno M.CCCXXXVI.*

Anno 1330. Capit. Senense.

Anno M.CCCXXXVIII. Comitia celebrantur Senis, in quibus Guillelmo manente in officio Generalatus, totus Ordo plurimum sibi congratulatus fuit, ac merito, de Conuentus Papiensis adeptione ac celebri erectione; vnde vt Deo grates rependerentur, quotannis in 5. Iunij indictum fuit festum Reunionis, in memoriam scilicet coniunctionis membrorum ad caput. Hoc autem Festum, nunc ob commemorationem S. Augustini menstruam; ac ob Festum Canonizationis S. Nicolai de Tollent. quod in diem 5. incidit, intermissum est.

Festum vnionis quare omissum.

B. Ioan. Senensis

Non procul à Senensi ciuitate inter Illicetanas arbores celebre sanctitate, ac antiquitate extat Monasterium Ordin. S. August. quod iure merito Seminarium Beatorum nuncupatur, in quo cum B. Ioannes Guccius Senensis hisce annis incepisset Deo famulari, & tædio ac nausea affecto spiritualia & temporalia sorderent, è Monasterio clam sese voluit subducere; fugienti autem occurrit vir facie decorâ, causam fugæ inquirit, nec diu respõsum præstolabatur, sed cognito malo, remedium adhibet, sinistri lateris vulnus ostendit, hic mergi iubet labra, vt dulcedinem in cibis persentiscat, ad hanc culinam, ad hoc triclinium, tamquam ad promptuarium omnis saporis, ac medicinæ Ioannem inuitat. Moxque lux splendidissima è lateris vulnere emittebatur, qua puer attonitus quasi exanimis prosternitur, ac ita murat in virum alterum, vt regressus ad locum à quo paulo ante recesserat, cæterum vitæ suæ in summa austeritate, puritate, animi demissione, feruore, ac pietate constanti animo traduxerit, euidentissima prædestinationis signa edendo, inter quæ hoc non infimum, quod in morte subriserit, ac corpus in hodiernum vsque diem permanserit integrum, ibidem asseruatum. Vna cum corporibus Beatorũ Petri Pœnitentis. B. Vmberti, B. Nicolai, B. Ioannis tertij, B. Nicolatij, B. Bandini, aliorumque innumerabilium Patrum in singulis fere angulis Eccles. ac Monasterij reconditorum, quorum tanta ac tot fuere miracula, tamque frequens non solum ciuitatis Senensis, sed totius Italiæ accursus, vt Religiosos ibidem commorantes, magis ad hospitalitatis officium, & ad sæculares distractiones, quam ad Chori ac Ecclesiæ cultum ade-

Miracul. Appar. Christi saluat.

adegerint, quare visum fuit cuidam illius loci superiori, sanctis ibidem sepultis præcipere, in virtute S. obedientiæ, vt à miraculorum patratione desisterent. Cui præcepto etiam mortui obedientes miraculosè destiterunt, quamuis defuncto illo Priore impatiente, Deo aliter disponente, tum ipsi tum alij successores nouis miraculis Monasterium hoc illustrarint & adhuc hodie illustrent, tum locum illum Illicetanum, tum eiusdem loci Congregationem, quæ plura similia loca pietate referta obtinuit, magna Ordin. S. Augustini fama.

Huic B. Ioanni Senensi sanctitate ac miraculis par fuit B. Petrus de Valle Rosiæ, qui in eodem loco magna austeritate vitam transegit, vere Christo cruci-confixus, à qua nunquam auelli potuit, continuis lacrymis rememorando acerbissimos Christi dolores in carne perpessos, quorum consideratione ita aruerat B. Petrus, vt omnem è vita sua arcuerit risum ac vanitatem, ita vt ne oculos quidem vnquam attollere vel hilarem frontem præbere, aut aliquid loqui vel agere visus fuerit, quod serenam faciem saperet, quare & *Petri Pœnitentis* sibi nomen promeruit. Huius etiam Petri exemplo commotus B. Vmbertus de Acaringia inter easdem syluæ ilices, Ordin. S. August. habitum suscepit, sui magistri vestigia pressit, ac magna sanctitatis fama etiam miraculis comprobata decessit ex hac vita, anno M.CCXLVIII.

B. Simon de Cassia & Simon de Crem.

Florebant etiam hac ætate duo Simones, vnus de Cassia, alter de Cremona nuncupati, ambo ætate Venerab. doctrina præclari, pietate insignes, prophetiæ spiritu donati, ac miraculis illustres: maximè ille Cassianus, qui Euāgelistarum rarus ac solennis interpres dicebatur. hic tanta apud Florentinos valuit authoritate, vt integram Vrbem aliquando commotam sedarit; qua etiam fide, amplum Monasterium S. Catharinæ ad Vrbis portas, à fundamentis erexit, illudque nobilissimis Matronis ac Virginibus repletum ad finem vsque suæ vitæ magna cum laude direxit. Cremonensis vero non minus claruit apud Venetos & Patauinos, quorum fuit alter Apollo.

Fund. Conu. S. Catharinæ Florent.

Ioan. Dencock.

Ioannes Dencock Saxo Turingicus, varias hac ætate ciuitates, ac vniuersitates, præcipue Pragensem ingenio ac doctrina sua illustrauit, argumentorum profunditate, facilitate solutionum, dulcedine morum, vitæ sobrietate, rarum præbens exemplum. Vnde non inconcinne noster Poëta alludit:

Fercula coxisti tanto melior à Magire,
Ingenium quanto nobile, ventre prius.

Fundatio 3. Monast. Bohemiæ.

Huius Magiri opera ac industria, dum Pragensi studio præesset, à Boleslao & Iutta liberis Baronibus Bohemiæ in Marica apud Suambergam erigitur Monasterium in honorem gloriosiss. Virg. Mariæ circa annū Domini M.CCCXLI. cum pauloante per Reuerendissimum D. Ioannem Nouoforensem, Episcopum Olmucensem, Cancellarium, Ordinis S. Augustini, erectum fuisset Monasterium in Lychomyssel, cui fundationi amplissimum præbuit consensum Carolus IV. Imperator. Hoc Monasterium iniuria temporum derelictum est, Ecclesiam verò hodie obtinet D. Wenceslaus Popelius supremus Regni Bohemiæ Cancellarius, quem speramus vt Ordini Augustiniano addictissimum, adducendum, vt Ordini restituatur.

Paulo post in eodem Regno Bohemiæ Ioannes Rex & Elisabetha exædificarunt Monasterium Ordinis Schuttenhofen, cuius dotem auxit Ioannis filius, Carolus Marchio Morauiæ circa annum Dom. M.CCCLX.

Anno 1341. Capit. Tolosan.

Anno M.CCCXLI. Patres Ordin. coaduvati Tolosæ 27. *Maij*, sexto confirmant P. Guillel. Cremonen. indicuntque quotannis 5. *Maij*, celebrandum, fore festum Conuersionis S Augustini.

Hic

B. IOANNES GVCCIVS AVGVSTINENSIS ILICETI CVLTOR. 152



Quo celeri properas gressu? quas insitor oras
Contipis, et merces quas cui ferre paras?
Quisquis es ô Heros, veniam rogo, falleris: ædes
Has quia constituo linquere, Sumo mea.

Deseris has ædes Quia victus displicet asper
Non placet ex quâ quâ nercis vite merum.
Tyro redi male caute penus tuus hoc latus este,
Hoc tibi post epulas dulcia vina dabit.

Hic occurrit nobis celebrandus P. Bernardus Oliuerius Valentinus, vir sui sæculi præstantissimus, magnus magnorum Regum Aragoniæ Consiliarius, Episcopus Oscanus, ac postea Barcinonensis, ac Tortosanus. Quem Clemens VI. vna cum Cardin. Rosiero, Petro IV. Regi Aragonen. transmisit, vt conditiones pacis, transigendæ cum Rege Maioricæ deferret. Hunc celebrat *Dragus lib. 3. cap. 18.* tamquam sui sæculi Theologum eminentissimum.

Bernard. Oliuer. valent.

Simili fere fama ac gloria in Italia apud Mediolanens. ac Neapolit. viguerunt PP. Petrus Maianus & Ioannes de Sulmona scriptis suis non minus doctis quam pietate plenis, clari; Quibus adiungere licet B. Philippum Placentinum miraculorum gloria illustrem complures enim infirmos curauit, ac præ cæteris Reu. P. Generalem, ab omni medicorum manu derelictum, suis precibus in pristinum incolumitatis statum restituit.

P. Petrus Maian. & Ioan. Sulmon.

Tandem Guillel. Cremonen. postquam 17. annis, Ordin. rexisset, à Clemente VI. ad Nouariensem Episcopatum promouetur, in cuius officio non minus strenue quam ante in Generalatu sese babuit, prædia suæ Eccl. ædificiaque permulta, vetustate collapsa restituendo, nouaque non pauca acquirendo. Monasterijs etiam Cremonen. Nouarien. & Papiensi rem familiarem auxit, ac in Episcopatu existens continuo Religiosos ad suum contubernium adhibuit, multaque doctissime exarauit.

Promotio. Guillel. *Anno 1314.*

Vita Guillel. in Episc.

CAPVT XIV.

De DIONYSIO MVTINENSI XII. Generali.

PATRIBVS eodem anno quo Guillel. promouebatur, in vnum congregatis Mediolani, Prior Generalis fuit declaratus P. Dionys. de Mutina, vir in quo modestia cum virtute certabat. Francisco Petrarchæ is fuit familiaris, vti & alijs magni nominis viris, in quorum scripto non infrequenter laudatur. In vita B. Sybillinæ, Ordin. S. Dominici, fertur hic P. Dionysius eidem Virgini apparuisse post obitum, cælesti gloria amictus. Rebus Italiæ aliquo modo compositis ad Gallos ac Germanos diuertit, non sine ingenti laborum suorum fructu, quem vberiorem sensisset Ordo, nisi immatura morte, secundo sui regiminis anno, Coloniæ Agrippinæ obijsset, vbi hoc Epitaphium humile ante aram chori, genio suo sibi conscripsit. *Sepulchrum F. Dionysij de Mutina.*

Marquez fol. 84. ex Ferdinando de Castil.

Obitus Dionys. Coloniæ.

Vixerat cum hoc Generali B. Franciſchinus de Rauenna, quem B. Iordanus ait, *Speculum fuisse maximarum virtutum*, postquam enim is varia Ordinis officia gessisset, Rauennam tamquam ad sepulchrum in quo delitesceret mundo mortuus, sese recepit, ibique maxime in silentij virtute ita emicuit, vt sese super se leuarit, familiari Diuino, Angelorumque colloquio sæpius intentus, quo etiam ita mortificatus superuixit, vt ne minimam offensionis ansam alicui vnquam videatur præbuisse, ita mortuus fuit, vt omnibus bene faciat. Cum eodem etiam dicitur vixisse P. Gregorius de Veruculo, miraculorum gratia, qua multis sanitatem restituit, illustris.

B. Franc. de Rauenna & B. Greg. de Veruculo.

Contemporaneus horũ Patrum fuit Barth. Vrbinas eiusdẽ ciuitatis dignissimus Præsul, qui postquã cum laude Parisijs, ac Bononiæ docuisset, sanctorum Patrum studio sese dedit, mille loquendi formulas distinguens, tantumque profecit, vt in S. Augustini, ac S. Ambrosij scriptis, nec syllabam videatur ignorasse. Vnde Ioan. Andreas illum vocat, *Virum deuotione syncerum, charitate feruidum, scientia grandem, facundia singularem*; & vere talis fuisse colligitur ex scriptis innumeris.

Barth. Vrbinas Episc. *Anno 1344.*

Scripsit milleloquia Ambr. & Augst.

Encomia Barthol.

Pari-

Alphons. Tolet. Archiep Hispal.

Parisijs etiam magno auditorum plausu, cum Philosophicas, tum Theologicas scientias docuerat decennio integro, P. Alphonsus Vargas Toletanus, qui post præclara opera edita, aliosq; exantlatos labores, primo Episc. Vstamenus, ac deinde Archiep. Hispalensis renunciatur, eaq; dignitate probe fungitur vsque ad annum M.CCCLIX. quo tempore cum infidelibus continuas disputationes instituit, multosque ad fidem conuertit.

Ioan. Godvvyck

Thom. Colbius.

Celebratur inter cæteros Anglos prudentia ac doctrina insignes Ioan. Godvvyck, quem Reges Angliæ, & Anglica aula multis annis docentem, ac declamantem audiuerunt tanta grauitate, ac facundia, quanta nullus vnquam. Summa etiam dexteritate Angliam ac Hiberniam rexit, scripsitque non spernenda commentaria in Scripturam sacram, de quibus Anast. & Pamph. apud quos etiam fit mentio Bernardi Angiolerij nobilis Florentini, in Augustiniana familia virtute insignis sub idem tempus.

Anno 1345. Capit. Parisijs celebratur.

Monentur hoc anno Patres Eremit. S. August. à Rom. Pontif. Clemen. VI. vt quilibet pro viribus, & Ordo simul vnitus, opponat sese Wiclepho, eiusque coniuratis asseclis, vnde Capitulum ad studiorum matrem Parisios conscribitur.

CAPVT XV.

De P. THOMA ARGENTINATE XIII. Generali.

Damnatur in Ordin Wicleph.

QVINTO *Idus Iulij* Congregati Patres Ord de nouo capite solliciti, solliciti etiam seruare vnitatem ac Pontif. monitis morem gerere, quo tum à capite, tum à membris Wiclephistarum malis acriter resistatur, omnium votis acclamatum fuit Thomæ Argentinensi, qui tum apud Parisienses eminebat: quo etiam perorante, ex tempore, Patres omnes Wiclephi errores eiurarunt, perpetua infamia mulctantes eos, qui à vero SS. Patrum sensu deuiantes, eosdem errores conarentur tueri. Constitutionibus etiam Ordin. tunc insignes accessere additiones, præclaraque Argentinensis monita.

Miracul S. Nicolai de Tollent.

Plus nimio zelo onustus Religiosus ex Germaniæ partibus, *hoc anno* Tollentinum appulerat, vbi dissimulata mente ac vultu, cultum Reliquiarum S. Nicolai satis diu fingebat, donec commode, vt rebatur, eisdem sacrilegã manum apposuit, nocte intempesta, brachia vtraque præscindendo; at cum (quadragesimo post obitum anno) cruor vndique efflueret, perterritusque eadem brachia altaris syndoni inuoluisset, & clam vellet auferre, iamque itineri esset accinctus, Diuina arte delusus fuit: tota enim nocte incessit, dumque putaret sese limites Tollentinates euasisse, sole illuscente adhuc Tollentinum non excesserat, vnde apprehensus vna cum sacrilegio ad pœnitentiam conductus fuit.

Obitus Lemouicis Promotio Raym Apamiensis.

Moritur *sequenti anno* Ioannes Lemouix S.D.N. Pœnitentiarius, Sacrista & Bibliothecarius, postquam his muneribus XXVII. annis laudabiliter præfuisset, ac in illius locum substituitur P. Raymundus Apamiensis, qui etiam Foroliuiensium, ac deinde suæ ciuitatis Episcopus designatur. In Polonia Rex Casamirus nouum oppidum sui nominis excitauit & in eo templum, vna cum magnifico cœnobio Eremit. S. August. quod D. Catharinæ dedicari voluit, suaque magnificentia dotari.

Anno 1347.

Anno M. CCCXLVII. Clemens VI. insistens vestigijs sui antecessoris Bonif. VIII. innumeris gratijs ac priuilegijs Ordin. Eremit. donauit, eumque de nouo ab omni Ordinariorum iure exemit, integram iurisdictionem in Ordinis Generalem conijciens.

Viue-

Viuebat adhuc P. Ioan. Basileensis in sæcularibus, ac in sacris litteris versatissimus, plerisque Principibus ac Episcopis à consiliis, cuius opera frequenter vtebatur Reu. Thomas Generalis, in conseruanda fidei synceritate, quæ nonnunquam sub ipso in Germania visa fuit periclitari: dum Imperator Pontifici infensus excômunicatur, & Ecclesiastici interdicti subesse iubentur. Capitulū Generale Basileense direxit Ioannes, inter Lotharingicā & Burgundicam domum controuersias excitatas sopiuit, totumque vitæ suæ decursum vsque ad annum septuagesimum Reipublicæ Christianæ impendit, præclara relinquens commentaria in 4. libros sententiarum.

Ioan. Basilien. encomium.

Eodem tempore in Anglia miraculi loco celebratus fuit ob ingenij vim, & facundiam non vulgarem P. Galfridus Grandfeltius, qui, teste Colbin, Cantabrigiæ absoluto studiorum cursu, Romam accedens vniuersam fere curiam sibi deuicit, Cardinali Tusculano adiunctus: quare non ita post à Benedicto XII. Episcopali munere ornatus, ac in Angliam remissus Wintoniensi Archiepiscopo alter fuit oculus, ac altera manus, maximo animarum emolumento.

Galfrid. Grandfeldt. Anglus.

Per id tempus placuit Altissimo ex hac vita euocare B. Ioannem Reatinum iuuenem miræ integritatis, ac candoris, cunctis obsequentem, cunctisque summa charitate ministrum, ac miraculis clarum. Ante huius Religiosi obitum multis diebus ad illius cellam philomela dulcissimo canto applaudens audita fuit, quam B. Ioannes indicabat esse suam sponsam, eum inuitantem ad cælestes nuptias. Sacrificio cum quadam die assisteret, patenter admonitus fuit insolito splendore, adesse vitæ suæ finem; vnde cunctis Religiosis admirantibus in mentis excessu exclamauit: *Cupio dissolui & esse cum Christo*, inter quæ verba animam creatori reddidit, multisque post obitum claruit miraculis, Reati sepultus.

Obitus B. Ioan. Reatini.

Miracula eiusdem.

Anno M. CCCXLVIII. Papiæ sexto Idus Iunij per Thomam ab Argent. Synodus Ordin. fuit conuocata, vbi eidem Thomæ officium prorogatur, ac rursus illo authore pluribus annis PP. August. obedientes Pontifici à canru abstinent: monentur etiam ad Apostol. sedis obedientiam, detestata hæresi Fraticellorum, acuuntque omnes calamos, contra Guillel. Ockam, & Petrum Corbarium pseudopapam, Nicol. V. nuncupatum, studijs Ludouici Imperatoris promotum, illisque vi aliquamdiu defensum.

Capit. Papiense.

Eiurat. hæresis Fraticell.

Fundantur tunc plurima Hispaniæ cœnobia Eremir. S. August. Perpinianense, Barcinonense, Salmeronense, & alia. Insuper in Gallia Carosconense & Brioniense.

Fund. Monast. Perpin. Barcinonen. Salmeron.

Florebant in Italia Ioannes de Fabriano Theologus ac Philosophus Platonicus, vna cum Andrea & Nicolao de Fabriano, quem Antipapa Cardinalem renunciauerat, Matthæo etiam Patauino Parisiensi Theologo, quem Clemens Sextus Aueniome multis consilijs adhibuit, suæque conscientiæ præfecerat.

Ioan. Fabrian. & Matth. Patau.

Lugubris & miseranda pestis orbem pène vniuersum inuaserat, tantumque cladis in Ordine nostro conduxit, vt trium annorum spatio amplius quam quinquies mille & octoginta Religiosi perierint: ex quibus centum quadraginta quatuor fuere Prouinciæ Saxonicæ, tunc florentissimæ.

Clades morbi contagios. ... Fratrum.

Eximiam tunc charitatem erga suos exhibuit Gerardus Bergomensis Saunnæ Episcopus, qui populo infecto contagioso morbo vndique Sacramenta administrauit, quærendo eidem plus prodesse, quam præesse. Diuino tamen manu ad maiora seruatus, Cœnobium D. August. Sauonæ, quondam extra vrbis mœnia fundatum, proprijs impensis ad vrbem reduxit.

Promotio Gerar. Bergomensis.

Obitus Beatus eiusdem.

Inde-

Indefesse plurima conscripsit opera ab alijs relata. Moriens denique magno sanctitatis nomine Bergomi in Ecclesia S. Augustini sepelitur, ibique Beatorum honoribus dum à populo coleretur tempore contagionis, morbi vis euidenter notabatur remissa, vnde & aram & votum addidit illa ciuitas suo Episcopo recenter defuncto.

Volat. lib. 21. Anthropol.

Quartum confirmatur in Generalem Thomas Argentinas in comitijs Basileensibus *hoc anno* celebratis, in eoque Veronense Monasterium studio publico alumnorum Ordin. destinatur.

Anno 1351. Capit. Basil.

Hoc etiam anno, Monasterium Massiliense intra vrbis mœnia, alias extra fundatum erigitur, ac de nouo Geneuense apud Allobroges, apud Gallos Nemausense, Tridentinum, Laudense, & Carminiolense apud Italos.

Monast. Massil. Geneuen. Nemaus. Trident. Lauden. Carminiol.

Anno M. CCCLIII. die 12. Septemb. beatissime obijt B. Thomas d'Arimino, miraculis clarus in morte, qui in vita angelica puritate, & charitate erga pauperes extiterat. Huic B. Ariminenses Patres sacellum in primo claustro erexerunt, quod etiam istis annis reparatum fuit, industria ac laboribus Magist. Thomæ Arimmensis Theologi & concionatoris eximij.

Obitus B. Thom. d'Arimino.

In Germania totius fere Ordin. celeberrimum præparabatur tunc Monasterium Brunæ, quæ est Morauiæ metropolis, à Ioanne Marchione Morauiæ, quamuis triennio post nondum fuerit inhabitatum ob magnam ædificij molem, ac morbū tunc intensum. Huius Monasterij prouentus annui, ad 16. millia extendebantur, demptis pluribus pagis ac oppidis quibus Prior præerat Domicellus, nunc Prælatus cum mitra ac pedo. Locupletatum etiam est Monasterium multis reliquijs, capitibus sanctarum Virginum Scholasticæ & Agnetis, immo deuotissima imagine matris Dei, quam à S. Luca depictam fert fama constantissima: Plura sunt in Morauia monasteria ord. S. Aug. deperdita, quæ vtinam diligentia Prioris & Prælati Brunensis recuperentur.

Fund. Brunensis in Morauia.

Viuebat *anno M. CCCLIV.* in Anglia Benedictus Icenus, qui ob præclaras ingenij dotes, ac summam concionum eloquentiam ex Consiliario Eduardi regis Episcopus Cardicensium fuit consecratus, ac in Suffraganeum Antonij Nordouicensis Episcopi assumptus, extantque adhuc hodie illius scripta rara.

Benedict. Icenus.

Eodem anno contigit res miranda ac memoranda in Belgio, & Monasterio nostro Gandaui. Nocte quadam perfossores parietum duo, irruperunt in ædem Augustinianam, & sacram supellectilem, quam poterant, deprædati, ter venerabilem quoque Eucharistiam asportarunt. Iam pagum *Ackergem* attigerant, cum, vt ne Sacramentalis ille panis furtum eorum loqueretur, hostias in terram defodiunt. Factum planè sepultum erat; securi abeunt trifures illi. Eorum tamen alterum pungebat conscientia: & qui sacrilegij scelere Dei patientiā prouocare nō timuerat, veretur irreuerētiâ offendere. Reuertitur ergò, vt tacito aliquo signo Sacramenti iacentis indignum locū patefaciat priùs, quam hominum pecorisúe pedibus supplantetur. Et ecce, non candidas, vt defossæ erant, sed cruentas, ac tabo vndique sordidas hostias videt. Postero quoque manè in campum illum eundem minabat gregem suum Opilio quidam; &, res noua! Stant oues primùm velut fulguritæ, deinde currunt in coronam agminatim omnes, & ingenua venerabundæ procumbunt. Plus grege ipso Pastor obstupescit, & miraculi causam scrutatur. Accedit ergò propius, & videt terram multo sanguine immadere; atque inter genuflexa pecora Sacramentalem panem. Vt vidit, non satis memor cum bestijs adorate, quod viderat, vno curriculo in pagum transcurrit, & pandit Dei mirabilia. Quæ vbi Patres Augustiniani intellexerunt, egrediuntur vrbem, & humo leuant, solennique cum festiuitate ad suam Ecclesiam reportant cum hostijs Sanguinem Miraculosum. Ab illo miraculo, mirum,

Fures spoliant ædem S. Augustini Gandaui.

Tollunt Ven. Eucharistiam.

Miracula Ven. Euchar.

S. Eucharistiā bestiæ adorant.

rum, quantus miraculorum deinde & gratiarum fons in omnes emanauerit: quæ Gandenses ciues mouerunt, vt titulo sacrosancti Sanguinis sodalitatem impetrarent, cui potissima vrbis pars nomina sua dederunt.

Sodalitas Sanguinis miraculosi Gandæ in apud Augustianos.

Maximum incrementum Regulæ S. Augustini *anno sequenti* accessit per ordinem Iesuatorum S. Hieronymi, quià Iohanne Columbino Senensi miraculosè conuerso, initium sumpsit, cui postmodum Vrbanus V. approbationem & Regulam S. Augustini concessit. Constitutiones habent hi Religiosi factas ab Episcopo Ferrariensi, qui & sanctitate & doctrina in illo ordine excelluit. Hactenus nō facile promouebantur ad Sacerdotiū, aut ad Ordines sacros, nec horis diurnis aut nocturnis sese addicebant, sed illarum vice statis horis meditationibus, precibus, alijsque spritualibus officijs vacabant, cæterum diei visitationi infirmorum, operi manuum, præcipuè hortis excolendis; & aquis vi ignis extrahendis impendebant. At nunc ex concessione Pauli V. & Clementis VIII. ad instar aliorum Religiosorum promouentur ad sacros Ord. & horas Canonicas persoluunt studijs incumbunt, atque Sacramenta administrant. Habitu vtuntur, sub veste alba cineritij coloris ad rubrum deflectentis, absque caputio, cuius loco, in capite deferunt genus quoddam albi tegminis, manicæ aut tibialibus non dissimile. Vnde etiam *fratti della calcetta*, seu *fratti dell' aqua* nuncupantur. Amplum possident locum Romæ, ad S. Iohannem & Paulum, multaque monasteria per Italiam.

ORDO IESVATORVM S. Hieronymi.

Anno M.CCCLVII. Superuiuebat in Insula maris Tyrrheni Ischia P. Iacobus Bussolarius, qui post varia Ordinis, sæcularis, & externi fori officia Papiæ, & alibi gesta, eo se subduxerat post ferulam sui Generalis, malo suo expertus, quanti sit periculi Principum negotijs se immiscere, & vltra crepidam sutori sapere.

Iacob. Bussolarius.

Tandem *eodem anno* Thomas Argentinas dum Brunensi Monasterio hoc anno exædificato superintendisset; ac iam Viennensi sese impenderet, ibidem moritur, victurus apud Scholasticos, ob præclara scripta, dum stabit Orbis. De hoc Poëta canit:

Obitus Thom. Argentinensis.

Omne tulit punctum Thomas, cum grande Magistro
Et decus, & lumen cum breuitate dedit.

CAPVT XVI.
De GREGORIO ARIMINENSI XIV. Generali.

PAVLO post obitum Argentinensis Comitia Ordin. coacta sunt Montispessuli *24. Maij*, in quibus Patres Gregorium Ariminensem acutissimum & eruditissimum Theologum Ordini præfecerunt, maxima spe fructus, quem indubie reddidisset; si non tam paucis mensibus (vix enim anno integro superuixit) præfuisset.

Anno 1375.

Galfridum Hardeby Anglum Gregorij Ariminen. familiarem laudat hic Pamphilus, sequutus Colbium, ex eo quod publicus Oxoniensis Professor fuerit, quod Prouinciæ gubernaculum tenuerit, quod Regi à confessionibus extiterit, quod Eduardi Consiliarium egerit, quod in admittendis decretis contra libertatem Ecclesiæ, vti Athanasius restiterit Regio cōsilio; maxime tamen ob egregia scripta; quorum catalogum recenset. Laudatur etiam apud illum Aliphat Anglus, præ cæteris insignis Gregorij discipulus magni nominis. Iacobum Neapolitanum hisce coætaneum nolim præterire, cum acuto ac tranquillo suo ingenio Innoc. VI. Pontificem plurimosque sibi deuicerit, & non spernenda opera Scholastica in primum &

Galfrid. Anglus. *Thom. Colbium.*

Vide Pamph. anastasin.

secundum sentent. alios reliquerit. Patriarcha Aquilanus electus, decessit è viuis ante consecrationem.

Obitus Gregor. Arimi. nen.

Anno M.CCCLVIII. Gregorius Ariminen. Gener. cum in eadem Vrbe, in eodem negotio ac in eodem cubiculo versaretur, vbi Thomas Argent. animam egerat, postquam paucis diebus laborasset, ac per fœcundissimi sui ingenij opera, sese posteritati commendasset, eodem in loco interijt, ac eandem vnofere cum Thoma Argentinensi includi voluit; sepulchro tali Epitaphio decorato.

Epitaph. Arimin.

Quisquis ades, qui morte cares, sta perlege, plora.
Sum quod eris, quod es ipse fui, pro me precor ora.

Gregorio defuncto, statim Synodus Ordinis cogitur Patauium, in proximum Septembrem.

CAPVT XVII.

De MATTHÆO ASCVLANO XV. Generali.

IN Patauina Synodo, feliciter indicta die habita, eligitur P. Matthæus d' Asculo, sub quo habita fuere comitia Viennæ *An. M.CCCLXII.* & alia Senis *M.CCCLXV.* in quibus dictus Matthæus tanquam Ordin. proficuus semper fuit confirmatus.

Fund. Furstenfel.

Sub hoc Generali accessit Ordin. Monast. Furstenfeldense titulo S. Mauritij, promotione & ope Rudolphi Archiducis Austriæ, quod postmodum à Domicello Nicolao Riegestorfer, Prætore Furstenfeldensi & Margareta eius coniuge dotatum, plurimas clades sustinuit, post quas rursus restitui cœpit & hodie restituitur.

Anno 1366. ORDO S. BRIGITTÆ vtriusq; sexus.

Anno M.CCCLXVI. Vrbano V. regnante Brigitta Sueciæ Regina, & Matrona sanctissima autrice, laudabile exordium, incrementum ac progressum sumpsit vtriusque sexus Ordo S. Brigittæ tenui satis principio Romæ. Brigitta etenim marito defuncto cum filia sua Cathatina & duobus presbyteris Ierosolymam proficiscitur, Romam reuersa ac voto castitatis emisso, cum eisdem presbyteris diu conuixit, Deo seruiendo ac in societatem suam perpaucas matronas admittendo, quibus ipsa spiritu Dei plena præerat, frequentes Pontificibus summis adhuc Auenione residentibus scriptitans litteras, ac reuelationes eodem spiritu refertas. Quorum etiam authoritate, vitæ illius institutum laudatum & approbatum fuit, Regulæque S. Augustini adiunctum. Brigitta vero decedente filia Catharina superstes, cum Sacerdotibus qui conuixerant in Germaniam migrat, ac postea ad natale solum deuenit, vbi fortunæ suæ partem in erectionem Wastemani Monasterij impendit, in quo illa cum prædictis Sacerdotibus, muris ac cancellis diuisis, diu superuixit; alijs interim matronis Romæ relictis, idem vitæ genus intra Italiam propagantibus, ita vt hic Ordo hodie non sit infrequens, præcipue in Germania, vbi præter Monasteria Daniæ, Prussiæ, Noruegiæ, Hollandiæ, ac Zelandiæ ab hæreticis occupata, facile viginti supersunt loca integræ disciplinæ, vbi simul conuiuunt moniales cum Monachis, muris ac cancellis adhuc distincti, remanente administratione penes moniales: habitus porro eorum fuscus cum alba corona 5. purpureis notis distincta Christi vulnera repræsentantibus.

Cathar. filia S. Brigittæ.

Habitus Brigittanorum.

Dignitates plurimæ Petro Ammaliæ oblatæ.

Eodem anno P. Raymundus Apamien. post XX. annorum obsequium diuersis Pontif. præstitum in officijs Pœnitentiariæ, Bibliothecæ, ac Sacrarij, Senis confectus quieti volens consulere, aulam deserit, eiusque loco sufficitur Petrus Ammalius Theologus ad magna natus, virtute etenim ac iudicio

ita

ita excelluit, vt mox ad Episcopatum Senogalliensem, deinde ad Archiepisc. Tarentinum fuerit promotus; vbi eum non quiesceret, sed talenta sibi concessa cum fructu exponeret, ad Patriarchatum Gradensem, deinde ad Alexandrinum, ac tandem ad difficillimam Ecclesiæ Aquensis administrationem fuerit euectus, quam etiam ad illam pacem quæ optari poterat, perduxit.

Fœcunda ingeniorum mater Anglia hisce annis rursus plurimos præbuit ex Ordine nostro Scriptores doctrina ac pietate præstantes, ac inprimis P. Rogerum Glacton Prouinciæ gubernaculũ diu prudentissimè tenentem ac consiliarium magni Roberti Sarisburiensis Episcopi. Deinde Guillelmũ Flete doctrinâ, spiritu prophetiæ, miraculis, ac sanctitate illustrem, teste Sabellico.

Præclari viri Angliæ.

His addo Radulphum de Marcha historicum accuratum, Robertum Worsop Episcopum Eboracensem & Radclifum Leicestrensem Episcopum, quorum doctrina ac consilio multum profecit Anglia, de quibus plura referunt Authores sæpius memorati.

Lelandus in Chron. angl. Pamphil. & Gratianus in anastasi.

Anno M.CCCLXVII. Ex hac miseriarum valle liberabatur B. Iacobus de Cerqueto Vmber, multis miraculis clarus, cuius corpus Perusij honorifice reconditum, adhuc in præsentem diem pia veneratione colitur. Eodem mense 18. Aprilis transijt ad meliorẽ vitã B. Iulia Certaldina post XXX. annos in religione feliciter, magna cum sanctitatis nota transactos. Discedit etiam sub finem anni ex hac vita Asculanus.

Obitus B. Iuliæ B. Iacobi Cerquet. & Generalis Asculani.

CAPVT XVIII.

De P. VGOLINO VRBEVETANO XVI. Generali

QVINTO Calendas Iunij habitis comitijs Auenione in Generalatus officium suffectus fuit Vgolinus Malabranca Theologus eximius, qui postquam fere triennium rexisset, & de Religione, nec non de Ecclesia bene meritus fuisset, creatur Episcopus Ariminensis, ac postea Patriarcha Constantinopolitanus: ea quæ posteritati scripto reliquit, vide apud Pamph. vbi & obitum, & locum sepulturæ inuenies. Addam solum hoc, Prælatum hunc ab Vrbano V. designatum fuisse, vt assumptis secum triginta viris ex omni Ordine, fidem apud Sarracenos prædicaret constante fama, quod eandem vellent recipere, at ante abitum obijt.

CAPVT XIX.

De P. GVIDONE BELREGVARDO XVII. Generali.

ANNO M.CCCLXXI. Synodus Ordin. coacta est Florentiæ, vbi Vgolino promoto Generalis eligitur Guido, Lombardus, qui etiam sequenti Capitulo, Coloniæ Agrippinæ rursus confirmatur, Ordinique non infeliciter præfuit annis sex. Magnus tunc in regno Valentino extabat Theologus, ac concionator P. Michael Cardonet, cui publico Senatusconsulto ædificatum fuit, in Monasterio domicilium, & assignatum singulare stipendium, vt vita durante personâ ipsius vti proficuâ ac necessariâ possent frui viri illius Regni.

P. Michaël Carondonet. Marquez fol. 22.

Hoc tempore liceret rursus in præclaras laudes nationis Anglicanæ excurrere, cuius alumni excellentes extitere, ac frequentes, præcipue sub hoc

Generali, oissitum Pamphilus tum Gratianus cõmendasset Thomam Asheburne, Henricum Bedericum, Guilhelmum Egumeode suffraganeum Lincolniensem, Thomam de Stureia & Banhinum Londinensem, qui omnes viriliter Wiclepho restiterunt, priuatas publicasque cum eo concertationes instituendo, in quibus semper palmam obtinuerunt confirmando suos cocciues in vera Religione Cathol.

His etiam adnumerare libet, Simonem Baringuedum Tolosanum, non minus scientia quam probitate illustrem, quem vti Seraphicum in amore Dei incensissimum venerati fuere illius temporis fideles. In Germania apud Ratisponam suffraganeum, & Episc. Castrensem agebat P. Nicolaus Teschel, ibidem secus summum altare humatus.

Anno 1374. ORDO S. AMBROSII.

Hoc anno sub Regula S. Augustini militare cœpit Ordo S. Ambrosij, qui sub Ceccarello & Paulo Platanzia *anno M.CCCXXXI.* restauratus fuerat à Petro Eugubinorum Episcopo, eundem ad obseruantiam, & claustralem disciplinam reducente, quem Gregor. XI. Regulæ S. Augustini subiecit, eisque purpureum indumentum assignauit.

ORDO S. HIERONYMI.

Mediolani & alibi præclara habet hic Ordo Monasteria intra limites Italiæ. In Hispanijs vero, cum circa *annum M.CCCLXVI.* Petrus Fernandus cum socio Petro Romano Castellæ Regis nobili, certis Eremitis sese coniunxisset, ac simul cum ijsdem antiquum genus Monachorum in honorem ac memoriam D. Hieronymi reuocasset, Romam profectus instituti sui Monastici confirmationem sub Regula B. AVGVSTINI à Gregorio XI. impetrauit, tantumque ipse Fernandus cum alijs intra Hispaniam profecit, vt paucis transactis annis tot, & talia Monasteria obtinuerit, qualia vix vllus Ordo potuit excogitare, ita vt hic Ordo inter celeberrimos ibidem adnumeretur. de quo latius *Anno M.CCCCXXII.*

ORDO VITÆ COMMVNIS. *Hund. in sua Metropoli.*

Biennio post, antiquus Ordo vitæ communis tempore Apostolorum magno feruore inceptus, ac postmodum à Paschali II. *an. M XC.* aliquibus in locis accedente Regularium Canonic. conuictu restitutus est, satis frequens viris ac mulieribus, vti videre est in Passauiensi Cœnobio, S. Nicolai, in Pollingensi, in Ransdorfensi, ac alijs huius Bauariæ, vbi simul viri ac mulieres in sancta communione vixerunt. Per Gerardum Dauentrium Aquisgrani Canonicum sæcularem, ac Parisiensem Doctorem, fuit de nouo reformatus ac sub Regula S. Augustini permanens & certis Constitutionibus firmatus ac à Gregorio XI. taliter approbatus, maxime in illis Monasterijs quæ Germaniæ Belgicam respiciebant, vbi Fratres seu Clerici vitæ communis, celeberrimas Scholas puerorum rexerunt, multosque viros doctos excitarunt, quorum Monasteriorum nonnulla in Seminaria Episcoporum, alia in vsum Patrum Societatis, alia etiam in alios pios vsus conuersa sunt, tribus tantum permanentibus integris, vbi etiam instructio puerorum desijt.

ORDO D. Hieron. in Germania.

Coloniæ, Westfaliæ

Anno 1374.

Anno M.CCCLXXIV. In viuis erat & magnæ authoritatis apud Archiepiscopum Coloniensem Ven. P. F. Ioannes Vander Geest, præfati Archiepisc. à Confessionibus, ad cuius preces cessit Patribus S. Augustini inæstimabilis thesaurus Sacramenti miraculosi, reseruatus in Ordinis Monasterijs Louanij & Coloniæ. Cum enim hoc anno, miraculosè sacra hostia in carnem visibilem fuisset conuersa Merello-Burgi in Zelandia, ac inde Coloniam ad Archiepisc. delata clareret miraculis, eandemque sacram hostiam morsu dentium impie sumentis semidiuisam reperisset Archiepisc. factis precibus diuisam, assignata parte Coloniensi Monast. aliam partem Louaniensibus per eundem Patrem transmisit.

Sub initium *Febr. anno M.CCCLXXVII.* ex hac vita migrat in aliam Reu. P. Guido Eremitanæ Religionis Generalis, & capitulum indicitur Veronæ celebrandum.

CAP. XX.

CAPVT XX.

De BONAVENTVRA PATAVINO XVIII. Generali.

Petrarcha lib. 15. epist. Senil.

PATRIBVS in vnum Congregatis Varonæ Prior Generalis constituitur *P. Bonauent. Patauinus*, qui vna eum fratre vterino Bonsemblantes Augustinianum Ordin. professus litterarum studijs, bonis moribus, ac virtutibus singulare præbuit exemplum; ita vt de ipsis loquens *Petrarcha* exclamet. *Fælix Patauium vbi geniti estis & enutriti*, &c. ac alio loco de Bonsemblantes Fratre Bonauenturæ inquit: *Qualem proh dolor! virum, quod Sydus!* Hunc eundem multis encomijs extollit Iordanus tanquam Ordinis oraculum, quale etiam sese præstitisset, nisi immatura morte fuisset præuentus.

Lud.

Similibus, si non maioribus encomijs Petrarcha *P. Ludouicum Marsilium* Florentinum extollit, qui Ordini August. ac patriæ maximo cum fructu ac honore profuit, non solum turbatissimis temporibus, sedando magnorum virorum animos, sed plures in sequentia sæcula efformando, quorum operam non parum ista Respubl. sensit, cum dudum ac multum apud Nicolaum Nicoló, Ioannem Laurentij, Robertum Rossij, aliosque doctrinis ac consilijs profecit, quos in disciplina sua *Ludouicus* educarat, vnde etiam in grati animi signum, *Ludouicum* honorifice aluerunt, vita durante, ac post obitum communibus expensis, in cathedrali Ecclesia eundem sepeliri mandarunt, atque Epitaphium tale erexerunt. *Florentina ciuitas ob singularem eloquentiam Clarissimi viri Magni Luisij de Marsilijs, sepulchrum ei publico sumptu faciendum statuit.*

Discipuli Ludouici.

Epitaph. eiusdem.

Anno M.CCCLXXXVIII. obijt *Petrus Ammalius*, Sacrista, &c. illique in officijs succedit *Petrus Apamiensis* montis Falerij postea Episcopus creatus.

Petrus Apami.

Anno sequenti Fr. Hinco ordinatur Coadiutor Archiepiscopi Pragensis, & Episcopus Ludimiriensis, notaturque inter præsentes consecrationi Eccles. S. Thomæ, pro cuius beneficio emit villam Litbumistianam.

Hinco.

Extabant etiam tunc in Italia Magistri, Ioannes Euang. Veronensis & Simon Bononiensis vterque scriptis clarus ac virtutibus insignitus, grauissimis Ecclesiæ difficultatibus frequenter adhibitus, præclarè sese gessit.

Ioan. Veron. & Simon Bonon.

Cum iam ab aliquot annis in Hispanijs cœpisset Ordo S. Hieronymi, primum *anno M.CCCLXXX.* in Italia à B. *Petro Gambacurta*, Pisano sub Regula S. Augustini, diuersis tamen Constitutionibus, etiam ab Hispanis fundatus fuit, moranturque Romæ ad S. Onuphrium, obtinueruntque postea Ecclesiam S. Clementis in vrbe, ac in Italia facile XX. Monasteria, præter alia Congregat. Fesulanæ.

ORDO S. HIERON. ITALIÆ.

Quartum reuertor ad Angliæ viros, inter quos meritis, doctrina, ac sanctitate non infimi fuere *Thomas Eduarston Leonello Clarentiæ Duci*, à Confessionibus, ac postea Archiepiscopus Oxonij; *Thomas VVinterton, Ioannes Langham, Simon Tothatj*, Wiclephi hostes acerrimi, vti etiam *Ioannes Vsaldebij & Rogerius Tuusforde* qui omnes Concilio nationali Stransfordiæ contra Wiclephi errores interfuere, multaque edidere. Præ cæteris tamen eminebat *Robertus VValdebij*, qui cum litteratorum antesignanus haberetur, ad Episcopatum Adurensem fuit promotus, ac postea *Anno M.CCCLXXXVII.* ad Archiepisc. Dublinensem in Hibernia, à quo rursus *Anno M.CCCXCV.* reuocatur in Angliam ad Episc. Cicestrensem, ac tandem *anno sequenti* etiam inuitus euocatur ad Archiepisc. Eboracensem, eumque iam senio confectus maximo cum fructu quadriennio rexit, *Pater Patriæ, & Dux Cleri*, sæpius nuncupatus.

Viri eminentes in Anglia.

Thomas Colbiæ in Episc. Ebor.

Anno 1385. *Anno M. CCCLXXXV.* Generalis cum plures legationes pro Ecclesia Dei obiuisset, ac schismatum tumultibus sedandis non paruam operam adhibuisset, ab *Vrbano* VI. S. R. E. tit. S. Cæciliæ Cardinalis creatur: sedatisque aliquantulum dissidijs Ecclesiæ, rursus haberi cœperunt comitia Generalia octennio integro intermissa, quæ indicta sunt Strigonium.

CAPVT XXI.
De P. THOLOMAEO VENETO XIX. Generali.

STRIGONII quod est Hungariæ oppidum, conuenerant Patres Ordin. 14. *Calend. Iunij*, ibidemque maiori suffragantium numero Generalatus defertur *Tholomæo Veneto*, viro pio, zeloso ac docto, qui vt in Italiam rediit, statim corruptis moribus obicem iniecit, nouamque faciem Ordini induxit in meditullio Italiæ, aliquot Monasteria ac præcipue *Illicetanum* minus correptum seligens, vbi arcta disciplina custodiretur, eaque vni præfecto, seu Vicario subiecit, à communi Prouinciali eximendo, & hinc Congreg. Illicetana.

Congregat. Illicetana.

Viri insignes doctrina.

Hisce annis vita defunctus fuit Reuerendiss. Petrus Apamiensis S. D. N. Sacrista, Episc. Montis Falerij, & designatione Vrbani VI. assumptus fuit ex Ordin. S. August. R. P. F. Amelius à Brenaco, creatus postea Archiepisc. Tarentinus & Patriarcha Gradensis *Anno M. CCCLXXXVII.*

Magno bono Regis Poloniæ Casimiri illiusque Regni, vixit apud illum P. Gregorius Ileassius, cui Deus dignatus fuit reuelare fodinas ditiores illius climatis, in quarum indagine vti perspicax fuit, ita aliorum fidelis instructor, absconditas detexit. Italiam tunc ornabant scriptis suis, doctisque concionibus *Augustinus D'Asculo*, & *Aldebrandinus Caualcantes* Florentinus; vti & Galliam *Bertrandus Paraÿte* Tolosanus: ac Germaniam *Petrus de Spira, qui in Scripturis sacris eruditus, in Philosophia Magnificus, ingenio præstans, & eloquio clarus dicebatur.*

Trithem.

Eodem anno accessit Regulæ S. Augustini Congregatio Fesulana S. Hieronymi mendicantium, à B. Carolo comite montis Granelli, vna cum Redone conterraneo, ac Gualtero Marso instituta apud Fesulæ vrbis ruinas, non procul à Florentia, postmodum ab Innoc. VII. ac à Gregorio XII. approbata, egregios in Italia fecit progressus, fundatumque habebat Monasterium in monte Quirinali, quod à Paulo V. translatum fuit ad pedem montis iuxta Triuios fontes.

Congregatio Fesulana S. Hieron.

Anno M. CCCLXXXVII. tum per Gerardum magnum, tum per Ioan. Busebrenc, necnon alios pios zelosos viros reparatus est Ordo Canonicorum Regularium in Germania inferiori, primo conuentu erecto ac reformato in Windesheim, cuius legibus breui temporis spatio, plura alia Monasteria postea sese subiecerunt, in vnam societatem fraternam coëuntes, eandem Congregationem VVindesheimensem appellarunt, cui non ita post Conuentus Brabantiæ, ac alia Congregatio Nouesiensis accesserunt, tantumque incrementum sumpsit, vt in sola Germania inferiori ac tractu Rhenano CXX. Monasteria virorum, ac XXX. Virginum numeraret. Cæterum, sicut hæc Congregatio multorum Monasteriorum accessu cito & vehementer fuit aucta, sic eadem breuiori temporis spatio Monasteriorum decessu, plurimum decreuit, ita vt *anno M. DCXII.* cum Capitulo Generali

Congreg. Canon. Regular. in Windesheim insignis in Belgio.

rali nomine ſedis Apoſtolicæ Tongris intereſſem, vix viginti numerarim Priores, ex quibus etiam aliqui ſolum titulum gerebant, quamuis reuera meritiſſimi. Pauci tamen illi conuentus relicti, integram hodie ſeruant diſciplinam, eamque ſtudent pluſquam vnquam, doctrina ornare, proximorumque saluti prodeſſe, cum hactenus ſoli choro attenti, ſibi vixiſſent.

In Eremitarum Ordine cum celebrarentur Capitula Generalia, *Imolæ, anno M. CCCLXXXVIII.* ac *Herbipoli anno M. CCCXCI* prolongato officio *Tholomæo Veneto*, ſanctitate ac miraculis claruerunt *B. Baſilius Landenſis*, à Laudenſi populo acclamatus ac à ſede Apoſt. confirmatus Epiſcopus. *B. Antonius de Rauenna, B. Ioannes Tertius Senenſis*, D. Catharinæ Senenſi Socius. *B. Sanctus de Cora*, qui populum frequenter ſolo Dei verbo, corporaliter ſaturauit, ac tempeſtates innumeras arcuit. *B. Petrus Senenſis, B. Iacobus Nicolatius, & Bandinus Senenſes, B Simon de Tuderto, & B Nicolaus de Tinis*, magnus eleemoſynarius, quique mortuum poſt diem integrum, quo orationi vacauerat, vitæ reſtituit.

Capit. General. Imolæ & Herbip.

Beati viri Ord. Eremit.

Cum tanta ſanctitatis fama Ordin. Eremit. percrebeſceret *Anno M. CCC. XCVI.* Bartholomeus Columna Romanus animum ac mentem applicuit, vt Canonicos Lateranenſes S. Auguſtini reformaret, delegitque in hoc opus Conuentum B. Mariæ Friſonariæ iuxta Lucam, quam reſtaurationem poſtea decedente Bartholomęo perfecit Leo Caratte Mediolanenſis, in eodem Monaſterio, illaque fuit Lateranum inuecta: vnde hæc Congregatio Friſonariæ Lateranenſis nomine fuit inſignita, cuius reſtitutionis hæc memoria manſit in Monaſterio Friſonario.

Anno 1396.

Congreg. Friſonaria Can. Regul.

Ioan. Philip. Nouar. lib. 3. Chron.

Saluatori Chriſto ac Sanctiſſ. matri Mariæ Canonici Regulares ab Apoſtolis primum, Diuiq. Auguſtini norma ſub Apoſtolicis Regulis inſtituti, iampridem in hoc Cœnobio Deo dicati, hinc per Italiam ſub titulo Lateranenſi dilatati, hanc ædem vetuſtate labentem reſtituere, anno M. CCCCI.

Hæc Congreg. ab Eugenio IV. fuit approbata, eique multa Monaſteria per Italiam fuere vnita, hodieque Lateranenſi æde relicta, iuſſu Sixti IV. Romæ apud S. Mariam de Pace Monaſterium conſtruxit.

Hoc eodem anno B. Bonauentura Patauinus, Cardinalis, cum dudum antea & concionibus & ſcriptis, ac nouiſſime concilijs vrgentibus in Cardinalium cœtu, ſeſe pro viribus oppoſuiſſet pro tuenda Eccleſiaſtica libertate Franciſco Carrarienſi Patauinæ ciuitatis Principi, à quo paſſim eadem violabatur; ſagitta ex occulto emiſſa per pontem S. Angeli occubuit, meritoque à Scriptoribus inter martyres Dei recenſetur, talique nomine decentiſſimam ſepulturam Romæ in Eccleſia Ordin. obtinuit.

Martyrium B. Bonauent. Card.

Pamphi. hoc anno. Gratian. l. B. Maugret. Martyrol.

Celebrabantur tunc etiam Comitia Generalia Ordin. Monachij, vbi rurſus Tholomęo Veneto in Generalatu continuato, præclaræ Ordin. leges fuere latæ, multumque diſciplina fuit adaucta.

Capit. Generi. Monachij

Anno 1397.

Inceperat iam tunc in Regno Neapolitano Ordo Eremit. S. Auguſt. ad antiquam obſeruantiam reduci per F. Simonem Cremonenſem, ac F. Chriſtianum Francum, maximo Ordin. incremento; numeroſiſſima enim ad eoſdem accedebat iuuentus, cui efformandæ ſeſe totos prædicti Patres præbuere, ac in hunc finem delegere Conuentum S. Ioannis de Carbonaria in ipſa Neapolitana Vrbe non ignobilem, vnde Congregatio illa adhuc in hodiernum diem florens, initium ſumpſit. Multaque Monaſteria ſibi vniuit, quæ à Vicario Generali, ſub ipſius Generalis ductu reguntur.

Congreg. Eremit. de Carbonaria.

Anno 1399.

Onuphrius Ostec. Episc. Florentinus. *Pamphil. Anastasii.*

Florebat etiam *hisce annis* F. Ioannes de Lana Bononiensis, Religiosus miræ patientiæ, humilitatis ac doctrinæ, de quo præclara habet Iordanus, qui eidem conuixit. Huic etiam coætaneos in Anastasi reperi F. Onuphrium Ostecutum Florent. suæ ciuitatis Episcopum, ac Facinum Astensem, concionatores, Philosophos ac Theologos eximios, suisque scriptis recensitis, notissimos.

Miraculosa apparitio D. August.

Hoc eodem anno, Scriptores Ord. ponunt victoriam Francisci Gonzagæ, filij Marchionis Mantuæ contra Ligures ac Mediolanenses habitam, miraculo ac intercessione S. Augustini, qui etiam eidē Francisco decertanti apparuit veste Eremitica nigri coloris indutus, quod postea Franciscus attestatus fuit publica sollennitate in Ecclesia Ordinis Eremit. instituta, Diuo Augustino tamquam Patriæ suæ tutelari Protectori votis persolutis, eandem victoriam, ac S. Augustini apparitionem ipsemet Marchio publica imagine expressit, cum hac inscriptione.

Votum Ducis Mantuæ ob victoriam adeptam.

Vos Patriæ ciues, quibus hic Pater expulit olim
Bis Ligures, letumq; dedit bis habere triumphum,
Dum sua curriculo bis Festa darentur eodem.
Este boni memores, & grata aduertite dona,
Et mecum huic laudes, mecum hos celebretis honores.
Protector Patriæ, spes, & tutissima nostræ,
Augustine, parens, doctor, Lux inclyta sacri
Eloquij, innumeras Ocnæas accipe laudes.
Tendimus inde manus humiles, oculosq; precantes
Venturo aduersis, vt quondam protege Princeps.

In Apolog. Ordinis. Verus habitus S. Augustini.

Addit Paulus Bergomensis hoc Epitaphio in Ecclesia Eremitarum erecto, ibidem que triumpho celebrato commotos fuisse DD. Canonicos Regulares apud S. Bartholom. Mantuæ commorantes, eo quod omissa eorundem Ecclesia, Marchio hanc solemnitatem in Ecclesia Eremit. instituisset, illisque responsum fuisse à Marchione: *His Patribus facio ea causa, quoniam S. Augustini filij sunt, suo enim habitu bis mihi Augustinus, dum victoriam tribuit, apparuit, non vestro.*

Indulg. apud S. Nicolaum Tollent.

Anno M. CCCC. Bonif. IX. Ordin. Eremit. deditissimus ijsdem Indulgentijs ac priuilegijs ornat sacellum S. Nicolai de Tollentino, quibus S. Francisci Ecclesia Assisij fuerat decorata. Insuper concedit facultatem Ordini, instituendi mulieres cuiuscunque gradus, quæ habitum Ordinis deportent, gaudeantque omnibus gratijs, priuilegijs, ac immunitatibus Ordini concessis, ad instar Mantellatarum seu tertiarum sororum Ordin. S. Francisci & Dominici.

Facultas instit. Mantellatæ.

Eodem anno Venetijs obijt Reuer. P. Tholomæus Generalis postquam Ordini laudabiliter, difficillimis temporibus præfuisset annis quindecim.

CAP. XXII.

CAPVT XXII.

De P. NICOLAO CASSIANO XX. Generali.

ANNO M.CCCC. 3. *Idus Iunij*, Tholomæo defuncto in Comitijs Generalibus Aquilæ habitis, sufficitur Mag. Nicolaus Saracenus vir inter molestias intrepidus. Præter pulcherrimos Ecclesiæ ritus, fundantur his temporibus Monasteria Barcinonense, ac Vallisoletanum.

Floruerunt etiam Ludolphus de Canoslaria Germanus, Ludouicus Capuanus, Hieron. Ariminensis, Episcopus ibidem, Augustinus de Genessa Episcopus Bouensis, & Clemens Romanus Episcopus Verulanus, viri moribus, sanctitate, & eruditione insignes.

Venetijs instituitur *Congregatio Canon. Regul. S. Georgij in allega*, à *Gabriele Condelmirio, Antonio Corario, & Ludouico Barbo, Patritijs ibidem*, qui pertæsi mundanam vitam, in spirituales viros fuere commutati, se suaque omnia Deo dicantes: à *Gregorio XII.* Regulæ S. August. adiuncti priuilegijs, & fauoribus fuerunt aucti. Hi cæruleâ vtuntur veste, habentque celebre Monast. Romæ S. Saluatoris in Lauro, illorumq; institutũ nouissime à Pio V *anno M. DLXX.* ad tria vota essentialia, & ad Regulam S. Augustini fuit reductum. Ex his primis Institutoribus *Gabriel, & Antonius* ad Cardinalitiã dignitatẽ fuere euecti: immo *Gabriel* Pontificatum Romanum gessit annis XV. dictusque fuit *Eugenius IV.* qui etiam sepeliri voluit in Ecclesia S. Saluatoris, Epitaphio nõ ignobili erecto, vbi præ cæteris S. Augustini imago cuius Regulam olim sequutus fuerat, conspicitur in Eremitico habitu.

Congreg. Canon. Regul. S. Georgij in Allega.

Eugen. IV. fuit sub Regul. S. August.

Inter Eremitas Angliæ, etiam sub initium huius sæculi extabant in litteris, ac rebus agendis peritissimi *P. Ioannes Hickeley, Richardus Chefer, & Guillelmus VVella*, qui & Prouincias illas rexerunt, præclaraque sui ingenij monumenta relinquendo, Ordini plurimum profuerunt; VVicleph[i] infensissimi hostes, cuius errores non semel cum Vniuersit. Oxoniensi eiurarunt.

Anno 1401. Angli Doctores con. Wicleph. *Ioan. Leland.*

Anno M.CCCCIII. tert. non. Iunij. Generalis Conuentus Ordin. habitus fuit Laughingiæ Sueuorum oppido, in quo Nicolao Priore Generali confirmato, Patribusque in Italiam redeuntibus, plures in Galeatij milites inciderunt, crudeliterq; perempti fuerunt, cum in Religionis odium, tum vt de Summo Pontif. vindictam sumerent, qui Florentinorum causam contra Galeatium promouerat. Alij etiam Patres Ordin. à VVenceslai militibus, simili fere odio ardentibus, in Germania oppressi interiere.

Miserabilis Synod. Laughingiæ. *Georg. Margret. in martyr.*

Degebat his annis in syluis Senensibus Hieronymus Senensis, Iacobus Andreas, & Stephanus Eremitæ S. Augustini, magnumque sibi nomen, vitæ innocentia, maturitate iudicij, ac rerum spiritualium cognitione fecerant etiam apud Romanum Pontif. Gregor. XII. qui cum Canonicos Regulares, circa Florentiam, Senas, ac Bononiam ad antiquam disciplinam reducendos statuisset, hanc Prouinciam P. Stephano Senensi primum commisit, eique Monasterium *Illicetanum* S. Saluatori sacrum, tamquam locum aptissimum designauit, eundem locum; ipsiusque personam ab Ordine Eremitarum ad tempus & ad effectum supradictum eximendo. Stephanus itaque ita exemptus, habitum Canonicorum Regularium assumpsit, suisque ad differentiam Lateranensium Canonicorum album scapu-

Congregatio Canon REGVLAR. SCOPETINORVM ab Hieron. Senen. Erem. August.

Habitus Scopetin. & init. *Anno 1408.*

scapulare stamineum, super lineam vestem addidit, breuique tempore tantum profecit, vt pleraque Monasteria Canonic. huic Congregationi sese adiunxerint, ac inter cætera Eugubinum S. Ambrosij, S. Mariæ Rheni iuxta Bononiam, S. Saluatoris in Bononia, & S. Donati in Scopeto, quod cum sit maxime insigne, postea toti Congregationi nomen dedit. Hodie etiam hæc Congregatio Scopetinorum in Italia maxime floret, celeberrimo extructo Monasterio Romæ in Exquilijs Diuo Petro ad Vincula sacro, ac alijs per Italiam fere 40. viris doctis refertissima, quorum laboribus pulpita Italiæ frequenter resonant.

Ercm. penit huius Cong. crit. an. 1378. sed meritum Pamphilus.

Eodem anno M. CCCCVIII. Synodus Fratrum Eremit. cogitur Ferrariæ, vbi rursus Nicolao Generalatus concedebatur, florebatque in illa Synodo Simon Tornaquincius Florentinus, cuius scripta Florent. asseruantur.

His etiam annis Ven. P. Henricus de Langenstein dictus de Hassia Theologus eminentissimus assumptus fuit ad erectionem Vniuersitatis Viennensis, quam aliquot annis direxit, vna cum Bertholdo Ratisponensi, primique ibidem Theologiam docuerunt, ac scriptis suis Germaniam illustrarunt. Illis etiam coætaneus, ac conterraneus in eadem professione vixit *P. Iordanus de Saxonia* vniuersæ Germaniæ Ordin. S. August. præses, concionator, ac scriptor celeberrimus, vt fidem faciunt opera quæ extant, ex quibus etiam eiusdem viri sanctitas, ac frequentia miracula, quæ recto nomine narrata sunt, non obscure colliguntur. Obijt idem Iord. Viennæ. de illo bene Poëta modernus:

Theolog. Germani Henricus de Lang. Iord. Saxo. & Berthold. Ratisp. *Trithem. Pamphil. Anastas. Iacobus Berg.*

Saxoniæ talis si cætera turba fuisset,
Hæresis in nostro iam foret orbe minor.

Anno M. CCCCXI. Nicolaus Sarrac. à Ioan. XXIII. Pontif. Max. Episcopus Recanatensis declaratur, Ordinique adhuc iubetur præesse, vti & Capitulo Generali Romam in *XI. Kal. Iunij* euocato; quod regimen Episcopi, cum non sine damno Ordin. fuisset, postmodum decretum fuit, vt statim à promotione Generales alijque Religiosi promoti ab Ordine eximantur.

Genet fit Episc.

CAPVT XXIII.

De P. PETRO DE VENA XXI. Generali.

Anno 1412. Comitia Ord.

REBVS in Ecclesia Dei rursus turbatis ob grauissimum schisma inter Ioan. XXIV. reiectum, & captiuum Benedictum XIII. ac Martinum V. electum, celebrantur Ordin. Comitia Romæ, in quibus Ordini vniuerso præficitur Petrus de Vena Vmber, qui etiam *anno M. CCCCXIV.* ad Oecumenicum Concilium Constantiense vna cum X. Theologis Ordin. Eremit. proficiscitur.

In quo etiam Concilio nomine Regis Franciæ comparuit *Reuerend. P. Ioannes Vobes.* Nomine Domini *Ordelaffe Herois Forliuij Ven. P. Guillelmus Forolivien.* Pro Republ. Genuensi *P. Antonius de Rampegolis.* P. Ioannes Zacharias pro Heluetijs, nec non alij Patres pietate ac virtutibus insignes, quorum opera & Ioan. XXIV. causa examinata fuit, & Petrus de Luna Benedict. vocatus, cessit, ac Martinus V. sublato schismate in sede Apostolica remansit, actæque fuere gratiæ supremo Deo, in Ecclesia Eremit. S. Augustini Constantiæ.

Concilij Constantiensis Theologi.

In eo-

In eodem Concilio, ac postea quilibet inter suos rem Ecclesiæ multum promouerunt Theodorus Vrias Hispanus, Isaias Polonus, Ioannes Bloch Alemannus, Raymundus ab Altoponte, Henricus Bituricensis Galli, & Petrus Bruniquellus Italus, Tritemio alijsque Scriptoribus, ob volumina edita notissimi.

Viri diuersa-rum nationum insignes.

P. Ioannes Bloch, P. Adamus de Ovvobach multorum librorum exarator, vna cum P. Augustino Smatzchi Bohemo, Pragæ residentes totis viribus, magna eloquentia ac dexteritate Hussij errores condemnarunt, vnde etiam tantam rabiem Hussitarum sibi, suisque excitarunt vt *anno M.CCCCXX. die 17. Aprilis*, Religiosos omnes Ord. S. August. Praga dimiserint, quos quia adhuc renitentes experiebantur minis ac mille scommatibus ad grauissima pericula adegerunt; Monasterium ipsum accendendo, in festo S. Stanislai, ac deinde quo totam explerent rabiem chorum Ecclesiæ, qui fauillis superfuerat, succedente festo, S. Viti tecto spoliarunt, cæterumque prophanarunt.

Exustio Conu. Prag.

Venetijs *anno M.CCCCXVIII.* celeberrimas ad populum conciones habebat P. Gabriel Spoletinus, quibus ita omnium, maxime tamen nobilium animos sibi deuinciebat, vt vix ab eodem Patre auelli possent. Recipientes itaque sese interdiu ad locum S. Mariæ de Nazareth, vbi bonus Pater solebat Meditationibus ac studijs felicius vacare, non pauci nobiles, eundem fuere secuti, quibus etiam ita placuit vita illa, à mundano strepitu semota, vt altiori spiritu ducti, vana vanis relinquentes, ibidem in sancta societate degere statuerint, sub ductu R.P. Gabrielis præfati, qui sub Regula S. Augustini Canonicam illis vitam assignauit, in qua breui tantum profecerunt vt suæ Cōgregationis quam Canonicorum Regul. S. Spiritus nuncuparunt, approbationem à Sede Apostolica meruerint obtinere, ac per sui gremij viros, non multo post Patriarchatum Venetum, aliasque dignitates cum laude gubernare. Congregatione autem erecta ac stabilita P. Gabriel in Ordin. Eremit. permanens, laboribus ac vigilijs exhaustus, Spoletum vti solum patrium inuisens, ibidem animam creatori reddidit. *anno M.CCCCXXX.*

Congreg. Canonic. Regul. S. Spiritus.

Maximo totius Germaniæ concursu, omniumque stupore tunc docebat P. Ludolphus à Comoslaria B. Iordano à Saxonia familiaris, cuius & ipse Iord. meminit lib. 2. cap. 8. vbi miracula enumerat eiusdem, diuinosque fauores non modicos, huic Beato viro præstitos. Notaui enim plerisque in locis Germaniæ, huius Patris beneficia archiuijs, ac Monasteriorum structuris impensa.

P. Ludolphus Comoslar. miraculis clarus.

Paulo ante desierat esse in viuis Ven. P. F. Paulus Styrus electus ac confirmatus Episcopus Petinensis, Illustrissimi ac Reuer. Principis Salisburg. suffraganeus sub quo cum adhuc inter Religiosos ageret erectum ac fundatum fuit Monasterium. Flumen Liburnense Ord. S. Augustini titulo S. Hieronymi ab Hugone de Tibino, ac Reimperto Capitaneo Laureacensi, adiungentibus illis pleraque sacella SS. Martini, Andreæ, Nicolai, ac Cæciliæ iuxta oppidum.

Fund. Flumi-nis Liburni.

Iacobus etiam cognomento Magnus Toletanus, vel vt alij Tolosanus Carolo VII. Francorum Regi à sacro auriculario, vniuersam Scripturam sacram tunc commentarijs illustrauit, aliaque opera edidit, ob quæ merito MAGNI nomen adeptus est. Mox Archiepiscopatus Burdegalensis dignitatem oblatam repudiauit, maluitque inter libros suos & Scholasticos puluares Parisijs mori; ibidemque sepeliri, quam alibi in specula periclitari.

Iacobus Magnus.

CAP. XXIV.

Capvt XXIV.

De P. Mag. Avgvstino Romano *XXII. Generali.*

Anno 1419.

Congreg. Eremit. S. August. PERVSINA.

ANNO M. CCCCXIX. Comitia Ordin. peracta sunt Astæ in Insubria *12. Calend. Septemb.* vbi Petro de Vena defuncto, suffectus est August. Romanus, qui statim vt ad Ordin. gubernaculum fuit euectus, Monasteria aliquot selegit, vbi exacta disciplina innouaretur, ac inter cætera Perusinum S. Mariæ nouellæ, eaque etiam vni Vicario commisit, qui cum iuste proficeret, ac alia Monasteria huic instituto addicta sibi adsciceret, hanc Congregationem Perusinam nuncupauit, quæ etiam hodie extat & decem circiter obtinet Monasteria, de quibus infra in indice.

Theologi insignes Itali.

Pamphil.

Magnum tunc in Italia erat nomen *PP. Antonij de Nomis, P. Richardi Pampolitani, Bartholomæi Vrbeuetani, Gratiani Florentini, Christophori Bononiensis, Lucæ d'Ofsida, ac Boëtij de Tollentino,* qui Theologiam in diuersis Collegijs apud Eremitanos professi, lucubrationes varias emiserunt, ratione quarum Pamphilo sunt noti.

Episcopi Ord. S. August.

Promoti *sunt hisce annis* ex eodem Ordine Eremit. plures ad Episcopatus, P. Ioannes Cassianus in Sardinia ad Suctitanam Ecclesiam, Ioannes Ada ad Sidoniensem in Russia, Petrus Robini ad Hipponensem & suffragancatum Tolosanum, & Petrus Styreius ad Episcopatum Petreensem.

Monast. Ord. vndique ædificantur.

Plura etiam erigebantur Monasteria. *Pacense in Hispania* ad ciuitatem redigitur, Flumenliburnense in Carinthia, Rotenbergense in Bauaria, ac facile decem Monasteria in Prou. Romana construebantur.

Augetur Ordo S. Hieronymi.

Anno M. CCCCXXII. Maximum incrementum accessit Ord. S. Hieronymi in Hispanijs sub Regula S. Augustini, à Lupo Olmedo Monacho Gualdalupensi, qui huic Ordini addidit integram, sed diuisam posteà Congregationem S. Isidori, sic dictam à Monasterio Hispalensi, quæ Congregatio nostro sæculo rursus coaluit in Ordinem S. Hieronymi, cui addictissimus Rex Philippus II. erexit felici cambio S. Laurentij Scuriacum, totius Orbis Cœnobium celeberrimum, loco Monasterij S. Hieronymi iuxta S. Quintinum, regia manu deiecti.

Anno M. CCCCXXV. Comitia Ordin. habita sunt Bononiæ, in quibus Augustino Romano Magistratus Ordinis prorogatur.

Religiosus Augustinianus rosa donatur.

Totum Ordinem, ac Religionem Catholicam hisce annis egregiè tuebatur Ioannes Zacharias Eremita August. Heluetius, qui corã Concilio Constantiensi Ioannem Hus conuicit, vnde & *Husso-mastix* communi agnomine dicebatur, ob frequentes concertationes, contra Hussitas institutas, in quibus semper triumphauit, talemque sese in his præbuit; vt à Pontif. Maximo Ecclesiastica Rosa, quæ non nisi Principibus mitti solet, donatus fuerit. Moritur Erfordiæ *Anno M. CCCC. LXXXVIII.* plenus dierum.

Paulus Venetus.

Sequenti annò, in flore ætatis suæ abreptus fuit Paulus Venetus, publicus Patauinæ Academiæ Professor, qui dum Senensi studio præesset, immanem hæreticum Franciscum re & nomine Porcarium publice conuicit, Italiamque ab hac peste liberauit. Tumulatus iacet Patauij in sacrario cum tali Epitaphio.

Catalogum lib. eius Vide apud Pamph.

Hic iacet Sac. Theologiæ Doctor Clariss. et
Theologorvm Monarcha,
M. F. Pavlvs de Venetiis Ordin. Eremit. S. Avgvstini, &c. obijt. M. CCCC. XXIX.

Hoc

Hoc eodem anno, Martinus V. concessit Ordin. nostro corpus B. Monicæ per breue expeditum Romæ ad instantiam Petri Electensis Episcopi, qui Ordin. Eremit. S. August. fuerat Religiosus, ac tunc Sacrista ac Confessarius Martini V. fuitque solennissima translatio habita in Dominica Palmarum, quam placuit altissimo multis miraculis cohonestare.

Translatio S. Monicæ.

Anno M. CCCCXXX. Conuocantur Patres Ordin. Montempessulum Galliæ oppidum, vbi rursus persistente in officio Reu. P. August. Romano, de nnua Ordinis reformatione, præcipue in Lombardiæ partibus actum fuit, offerente sese ad eiusdem Reformationis promotionem P. Ioanne Rocho, qui vna cum Ioanne Nouariensi, Gregorio Cremonensi grauissimis Theologis excusso socordiæ ac proprij commodi puluere, zelo pleni, non solum antiquas ædes restaurarunt, sed plures nouas erexerunt, ac sub Reu. Patris Generalis obedientia, tantum Vicarium Generalem impetrarunt, qui Conuentibus de obseruantia, seu Congregationi suæ quam Lombardiæ nuncuparunt, præesset. Ita post alios mandat Paulus II. breui suo expedito *Anno M. CCCCLXIX.* His verbis: *Tenore præsentium statuimus ac ordinamus, quod dictus Vicarius ac fratres dictæ Congregat. nuncupatæ Lombardiæ præsentes & futuri immediate sub Prioris Generalis potestate sint, vt hactenus fuerunt: nec quouis modo Fratres Conuentuales, vel eorum Prouinciales, seu alij Prælati dicti Ordin. præter dictum Generalem superioritatem aliquam super eosdem habeant*, &c. Habet hæc Congregatio adhuc hodie in Italia LXXXIV. Monasteria structurâ ac prouentibus magnifica, ac præ cæteris Cremense sumptibus Thomæ Vicomercati Cremensis, ac diligentia FF. Ioan. Rochi, & Bartholom. Cazuli extructum, cui non cedit Romanum S. Mariæ de populo, Ferrariense S. Andreæ, Cremonense, ac Mantuanum S. Agnetis, pleraque tamen ex his antiquiora sunt, & sub specie reformationis à corpore Ordinis mutuata.

Congregatio Eremit. Lombard.

Vicarius huius Congregationis subest Generali.

Florebant in Anglia fertili ingeniorum solo, *his annis* P. Ioan. Louue, & Ioan. Brome, Lelando notissimi, qui eosdem vehementer commendat, ac maxime Ioan. Louue, consiliarium Henrici VIII. Anglorum Regis, à quo postea Fani Asaphi, ac deinde Episcopus Roffensis fuit designatus, extititque Ecclesiæ suæ fidelis Pastor multis annis contra hæreticorum insanias.

PP. Angli.

Anno M. CCCCXXXI. Augustino Romano Priore Generali ad Episcopat. Nazianzenum, deinde Cæsenensem assumpto, Vicarius Ordin. sufficitur M. Gerardus d'Arimino, qui triennio integro Vicarium egit: rebus enim Ecclesiæ turbatis Capitulum indici non poterat.

Promotio P. August. Romani.

Biennio post Illustrissimi Principis ac Episcopi Læodiensis Suffraganeum egit D. Theodoricus Episcopus Roffensis ex Ordine Augustiniano assumptus, qui apud Crucigeros sibi sepulturam delegit.

Suffraganei Læodiens. & Frising.

In Bauaria etiam *Anno M. CCCCXXXII.* R. P. Petrus de Gamundia insignis concionator Ducum Bauariæ, consecratur Episcopus Metrocomitanus, & eligitur suffraganeus Frisingensis, mortuus postea Monachij.

CAPUT XXV.

De P. GERARDO ARIMINENSI XXIII. Generali.

Anno 1434. XV. Theologi August. ad sanc. Conc. Florent.

ANNO M.CCCCXXXIV. Coacta est Synodus Mantoæ, vbi Gerardus Ariminen. in Priorem Generalem eligitur, qui etiam hoc ipso anno, vna cum XV. Theologis ex Ordin. Eremit. assumptis ad Concilium Oecumen. Florentinum proficiscitur. In quo ex Ordin. Eremit. primas obtinuit Andreas de Bilijs Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ linguæ expertissimus: *De quo fertur quod in arte Oratoria alter Cicero, in Philosophia secundus Aristoteles, in Theologia S. Augustini Pedissequus perfectus* fuerit. Andreæ socij, & asseclæ fuerunt, P. Ioan. Stringarius, P. Franciscus de Nerli, P. Rudolphus Castellanus, & Gregorius de Alexandria, qui in hoc Concilio strenuos sese præbuere contra Græcos & Armenios, quique præclara opera in lucem emiserunt, quorum catalogum habet Anastasis.

Ambr. Coranus. Elogium P. Andreæ de Bilijs.

Hoc anno fundatur in Hispania Monasterium *Domus Sanctorum* iuxta Valdisoletum opera F. Ioannis de Alarcon, qui Ioanni II. Hispaniarum regi gratissimus fuit. Ord. Erem. accedit etiam Monasterium in oppido d'Arenas, impensis Iacobi Abulensis Episcopi, in honorem Beatiss. Virg. Mariæ, nec non aliud Cervariense, à Ferdinando de Velasco extruitur. Vti & in Italia Monasterium S. Catharinæ Bassani, testamento Francisci Normandini extructum fuit, auctumque ab Alouisio & Ludouico Sauonarola.

Fund. Domus Sanct. & Darenas, & aliæ in Italia.

Floruit *ijsdem annis* Louanij P. Ioannes Schreybeeck Eleonoræ Francorum Reginæ à confessionibus ac consilijs, nec non P. Ioan. Panhuysius, qui ob magnam ingenij vim, rerumque agendarum experientiam, assumptus fuit ad restaurationem Abbatiæ Vlierbacensis, quo in opere ita sese gessit, vt tum Principis tum Religiosorum voto Abbas fuerit acclamatus, ac Eugenij IV. iussu ibidem consecratus *Anno M.CCCCXXXVII.*

Duo Patres Belgæ ad dignitates assumpti.

Anno antecedenti, initium sumpserat non procul à Patauio, Congregatio Erem. S. August. S. Mariæ montis Ortoni, operâ Ven. P. F. Simonis Camertini, qui in miraculoso hoc loco, Ecclesiam ac Monasterium breui temporis spatio, non ignobile construxit, Deiparæ Virgini sacrum, in eoque diu vixit maxima sanctitatis opinione. de hoc latius infra. cap. seq.

Congreg. Eremit. Montis Ortoni.

Anno M.CCCCXXXIX. Reliquit tantisper Reu. P. Generalis Florentiam, ac comitia Ordin. celebrauit Perusij, vbi rursus confirmatus, ad Concilium Florentinum redijt, cui ad finem vsque adfuit, ac tam suo nomine quam Theologorum Eremitanæ Religionis subscripsit.

Capit. Perusij.

Sequenti an. Petrus Assalbitus Electensis Episc. Pœnitentiarius, Sacrista, ac Bibliothecarius Pontif. cum in ijsdem officijs vixisset annis XLV. animam egit, & in eius locum sufficitur P. Rudolphus Castellanus, qui etiam suæ ciuitatis Episcopus, non ita post fuit creatus, fidelemque operam impendit in sacro Auricularim, Eugenio IV. Nicol. V. Calixto III. & Pio II.

Petrus Assalbitus.

Anno M.CCCCXL. Hieron. Neapolit. Nicolai V. olim præceptor Episc. Calabriensis ordinatur, græcis litteris perfectiss. instructus, è quibus multa transtulit Ecclesiæ proficua.

Anno M.CCCCXLII. Gabriel Sfortia de Attendulis & Cotiniola Francisci Mediolanensium Ducis frater, spiritu Dei ductus, in Monasterio Ordin. S. Augustini Syluæ lacus S. Saluatori dedicato apud Senas, habitum Ord. assumpsit,

P. Gabriel Sfortia Archiepisc. Mediolan.

sumpsit, ibidemque professus est; cum vero duodecim annis integris probe vixisset, & exempla dedisset humilitatis, pietatis, aliarumque virtutum, à Nicolao V. Mediolanensium Archiepisc. creatur, Ecclesiam Ordinis S. Mariæ incoronatæ ad portam Cumanam multum promouit & consecrauit, ibique tandem sepultus fuit, post felici regimine peractos annos tredecim.

In Germania regebatur *hoc anno* tota Vniuersitas Heidelbergensis à P. Henrico de Gauda Teutonico, qui in Scholastica disciplina vix habuit suæ ætate sibi parem, vt doctissima scripta restantur, de quibus Pamphilus. Speramus hac nostra ætate eandem Vniuersitatem per alium P. Henricum expurgato veteri fundamento Caluinistico restituendam.

P. Gauda director Vniuers. Heidelberg.

Sequenti anno ex hac vita decessit, P. Augustinus Romanus Episc. Nazianzenus, & Cæsenatensis, multis illustribus & gloriosis suæ sanctitatis reliquiis indicijs, eiusque corpus in oppidum Pratense delatum, honorifice fuit reconditum: opera illius egregia recitat idem Pamphilus. Capitulum autem eodem anno Senas conscribitur, per Ariminensem, qui morte præuentus eidem non potuit interesse.

Obitus Reuer. August. Romani

CAPVT XXVI.

De IVLIANO SALENSI XXIV. Generali.

Anno 1443

ACRI iudicio, & laboribus insignis, in comitijs Senensibus, electus fuit in Ordin. Generalem Iulianus Siculus, sub quo non parui tumultus fuerunt excitati per Patres Congregationis Lombardicæ, dum totaliter sese ab obedientia Generalis molirentur eximere, cui conatui hic Generalis viriliter restitit, hocque impetrauit vt indiceten- tur Congregationis comitia, in quibus mandante Pontifice nihil fuit actum, nihil ventilatum, aut conclusum, nisi illo Præside, volente & consentiente.

P. General. præsidet Congreg. Lombardicæ

Illius etiam diligentia, & bonis Patrum præuijs meritis, Eugenius IV. contulit Episcopatum Cæsenatensem P. Bernardo de Marcellinis Florentino, & P. Guillelmo Vercellensi, Episcopatum Nicomedianum.

P. General. commendat duos ad infulas.

Florebant hoc anno Florentiæ sanctitate ac doctrina conspicui Patres quamplures, imprimis, P. Ambrosius Florent. ab insigni pietate *Homo Dei* nuncupatus, P. Dionysius Florent. *Philosophus insignis*, quem titulum sibi promeruit professione Philosophica XXV. annorum Bononiæ, & P. Franciscus Mellinus etiam Florent. cuius opera magnificum illud templum S. Spiritus ibidem ædificari cœptum fuit.

Patres insignes Florentini.

P. August. Casulanus extruxit Monasterium S. Monicæ in Cremensi ciuitate, trium Virginum sumptibus, eique ita laudabiliter præfuit, vt paucorum annorum spatio C. Virgines Deo dicatas ibidem habuerit, magno sanctitatis exemplo.

Fund. Monast. Monial. Cremæ.

Decessit etiam *anno sequenti*, ex hac vita P. Gregorius Cremonensis, Mediolani in Monast. S. Mariæ incoronatæ; cui loco diu præfuerat, tanta sanctitatis opinione, miraculis illam comprobantibus, vt ab Vsuardo & Molano in Martyrol. fuerit adscriptus. Simili virtute fertur vixisse Ioannes Nouariensis, qui innumeros adolescentes Christi seruitio deditos, religiosè instruxit.

B. Gregor. Cremonensis, *Vsua. 16. Aug. Mol. in Praef. cap. 12.*

Vigilantia & indefesso studio huius Generalis inductus fuit Eugenius Papa IV. vt B. Nicolaum Tollentinum in Sanctorum catalogum referret, maxime ob insignem operam P. Iuliani, aliorumque Patrum Ordin. S. Augustini in Concilio Florentino, pro reconciliatione & vnione Græcorum ad

Anno 1445. Decretum Canonizat. B. Nicolai ex voto.

Ecclesiam Rom. præstitam. Vnuerat enim Pontifex se hanc solennitatem B. Nicolao exhibiturum, si succederet illa vnio Græcorum & Latinorum, qua etiam succedente eliminatos errores meritis S. Nicolai adscripsit, prout constat ex oratione, illi ab eodem Pontifice composita.

S. Nicol. Tollent. 26. mortuos suscitauit.
Votum Card. à Nicol. factum.

Dum solennia huius canonizationis in Ecclesia S. Augustini feria II. Pentecostes peragerentur, & enarrarentur pro concione miracula huius sancti, post Apostolorum memoriam nulli in miraculorum patratione secundi, vniuersus cœtus Cardinalium obstupuit, communique prece ac votis eidem directis supplicatum fuit, vt Deus per huius gloriosi sancti merita dignaretur Ecclesiam suam, quæ iam in vnionem conuenerat, etiam in posterum in eadem vnione seruare, & maxime à schismate, quo iam aliquot centenis annis laborauerat, & adhuc laborabat, Conc. Basileensi in schismate persistente, liberare, quo ne frustrarentur Cardinales spoponderunt primum Pontificem eligendum, nomen huius Beati Nicolai assumpturum.

Anno 1446.

Anno itaq; sequenti mortuo Eugenio IV. memores sui promissi Cardinales, maiori numero Thomam Sarzanum elegerunt in Romanum Pontificem, qui Nicolai V. nomen cum plena fide assumens, paulo post pacificus victor euasit, Felice IV. Anti. Papa renunciante, ac integro Concilio Basileensis schismatico, à quo electus fuerat *Amadæus de Sabaudia*, sese submittente Nicolao V. vero Pontifici.

Amadæus Dux Sabaudiæ Eremita.
Platinum in vita Nicol. V. Ciacon. de gest. Pontif. in Felice IV.
Amadæus fit Pontif. in schismate.
Renunciat Pontificat.
Lib. 15. suppl. anno 1438.

Præterire non possum dum Regulæ honores recenseo, quin & hunc Amadæum recenseam, is enim ex Ducibus Sabaudiæ oriundus Eremiticam vitam, sub Regula S. Augustini duxit in conuentu S. Mauritij, quod militum erat in eremo Ripaliæ commorantium, & orationibus pugnantium, ibique non sine sanctitatis opinione dudum vixit, & ita vixit vt à Conc. Basileensi, electus in Romanum Pontificem fuerit absens, & in eo ipso loco suæ professionis coronatus, Eremitico habitu, Cappa & Caputio exutus, more aliorum Pontificum vestitus, & Felicis IV. nomine insignitus, ac pro Pontifice ab omnibus Concilio Basileensi addictis agnitus, donec ipsemet agnito errore, non sui culpa commisso, dignitati, ac officio renunciauit sua sponte, asseclas omnes & iniustæ electioni adhærentes, ad veram pœnitentiam, ac obedientiam perducendo, quam vt tanto facilius impetraret, ipsemet Amadæus ad Eremum suam redijt, ibique semotis curis omnibus, vt ante Angelicam vitam inijt & Deo vacauit, obijtque clarus miraculis, vt refert *Philipp. Bergom. M. CCCC XLVII.*

In princip. Vita S. Nicolai.

Nec hanc solam pacem Ecclesia debet meritis S. Nicolai de Tollentino, sed vt refert Bernard. Nauarrus, & Marquez, eiusdem B. Nicolai meritis adscribitur, quod iam ducentis annis post illius Canonizationem, nulla habuerit sedes Romana schismata.

Nicol. V. visit. reliq. S. Claræ. Mustum Petron. in Vita B. Claræ.

Hoc etiam beneficio S. Nicolai commotus Nicolaus V. Ordin. S. Augustini mirabili amore est prosequutus, eique multa priuilegia contulit. Sacras Reliquias S. Claræ de Monte Falco personaliter inuisit, eique hanc orationem composuit: *Deus qui B. Claram Virginem tuam clarificasti, & in ipsius corpore Passionis tuæ & Trinitatis mysteria renouasti: præsta præsumus, eius precibus & imitatione, sic nos tuæ passionis amaritudinem recordari, vt Trinitatis beatitudine perfrui mereamur*, &c.

Et antequam à B. Nicolao auellar, libet meminisci insignis beneficij, quod meritis B. Nicolai videtur Ordini S. Augustini per totum fere terrarum orbem familiare, benedictionis scilicet panis in honorem eiusdem sancti: cuius tanta est vis, vt grauissimis ac desperatis morbis medeatur, naufragia, ac tempestates sedet, ignem violentum arceat, dæmones pellat, & à præ-

ſtigijs præſeruet illo vtentes. Ex multis prouincijs vnam poſſim in teſtem adducere Hiſpaniam, cuius vrbes aliquot miſerè afflictæ contagioſo morbo inſolentiſſimo, vſu huius panis liberatæ fuerunt. In Germania non ita pridem vehementiſſimus ignis locum inuaſerat, Eccl. ac Monaſterio non ignobili vicinum, vixque remedium apparebat parietem proximum ſeruandi, at iniecto pane, vti immenſo imbre ignis ſeſe remiſit: quæ duo ſufficiant, vt mille alia hinc deducantur.

Cordubaanno 1602. Vide inferius
Seefeld, anno 1619.

Eodem anno M. CCCCXLVII. comitia Ordin. habita fuere Bituricis in Gallia, & triennio poſt Ferrariæ, in quibus ſemper confirmatus fuit P. Iulianus Salenſis, ob præclaram eius induſtriam, agendi dexteritatem, ac Ordinis zelum, quo accenſus non ſemel Epiſcopatibus ac maioribus dignitatibus renunciauit.

Anno 1447. Comitia Bitur. & Ferrar.

Anno M CCCCXLVIII. reſtauratur Eccleſia Monachienſis, in qua anno ſequenti conſecrantur VIII. altaria.

Anno M. CCCCLIV. Maximo Italiæ bono floruit Simon Camertinus, de quo ſic ſcribit Ignatius. *Decertarant longo, difficiliq; bello Veneti, & Franciſ. Sfortia Mediolanenſ. Dux, quos ad ineundam pacem neq; Pontif. authoritas, neq; Regum, Principumq; Italiæ preces flectere vnquam potuere, cum Simonetus Camertinas ex Eremitica familia Sfortiæ Duci familiaris, negotium hoc ſuſcepit. Erat autem hic propter vitæ ſanctitatem in ſummo cultu, & veneratione. Venetijs igitur ſoluens, Mediolanumq; profectus, tentato prius Sfortiæ Ducis animo, cui ille negare nihil eſt auſus, ſtatim Venetias rediit. Principe igitur & Patribus ipſis facile perſuaſis, pax inter eos inita eſt, &c.*

Simon Camertinus celebratur.
Lib. 2. de exem. Viror. illuſt.

Hoc Patre Authore extructum fuit Venetijs, in ſtagnis Murianis Cœnobium S. Chriſtophori, quod in præmium huius reconciliationis factæ, Ordini ceſſit, fuitque Eccleſia ob pacis initæ memoriam, *Perpetuæ Paci* dedicata, Eodem modo Veneti huic Patri ædificauere templum S. Mariæ Campi-Sancti, non procul à Patauio.

Fund. Monaſt. S. Chriſtoph. Venet.

Hoc anno etiam Patres Ordin. Eremit. Romæ cogitauerunt de noua ſtructura Eccleſiæ S. Auguſtini, cui cum iam manum appoſuiſſent, vt tanto ardentiorem plebem redderent, corpus B. Matris Monicæ ex Eccleſia S. Tryphonis, ad eandem Eccleſiam authoritate Caliſti III. fuit translatum, magnificaque tumba ornatum.

Translat. S. Monicæ ad Eccl. S. Aug.

Per eundem Caliſtum X. *Kal. Aprilis* terminata fuit controuerſia, quam Parochi & Epiſcopi Religioſis mendicantibus intentarant, aſſerentes bis Religioſis confeſſos, ſecundo Parochis debere confiteri, vt legitime abſoluerentur, quæ doctrina hæreſos damnata fuit. Caliſtus etiam vſus fuit opera X. Patrum Auguſtinianorum, qui bellum contra Turcas deprædicarent.

Contro. cum Parochis determinata.

Anno M. CCCCLVIII. B. Helena de Vtino, Ordin. S. Auguſt. profeſſa, miraculorum frequentia illuſtris ad Chriſtum migrat, *IV. nonas April.* cui dum conciues excitarent monumentum, illius experti fuere beneficium.

B. Helena de Vtino.

Sequenti anno, moritur Reuer. P. Iulianus Generalis poſtquam ſedulo *XV. annis*, Ordini præfuiſſet, eumque ſecundo viſitaſſet maximo cum fructu; quo defuncto celebrata fuere comitia Tolentini, in quibus ſufficitur P. Mag. Alexander Oliua.

Vit. ſcripſit Philip. Bergom.

CAPUT XXVII.
De ALEXANDRO OLIVA XXV. Generali.

Anno 1495. Protector Ordin. Cardin. D'Estouteuil-la. Generalis Alexand totus miraculosus.

PROTECTOREM Ordini assignarat Pius secundus Illust. Cardin. Guillel. d'Estonteuilla Francum Ostiensem & Rothomagensem Episc. qui quo melius res Ordinis, cuius promouendis erat studiosissimus, succederent, ipse met præfuit Comitijs Generalibus & sub tanto Præside magnus successit Generalis Alexander, qui miraculosè omnino natus, miraculosè conseruatus, ac miraculi loco in scientijs habitus, ad tantam doctrinam peruenit, qualem pauci attigere; miraculosè etiam Ordinem rexit. Vnde nec diu substitit in officio Generalatus, virtute etenim cumprimis elucescente, à Pio II. in Cardinalium Collegium mox cooptatus fuit præter omnem illius spem, quam etiam dignitatem ita ornauit, vt miraculum cognosceretur inter Cardinales, quorum Collegium non sine ingenti luctu eundem amisit in ipso flore, & inter ipsa grauissimorum negotiorum initia, triennio post promotionem.

Fit Cardinalis.

De hoc Cardinali Alexandro refertur, quod indies sepulchrum domesticum vnius Cardinalis quod sibi effigiauerat, inuiserit, contemplaturus suam sortem futuram post obitum, ingeminando illa verba: *Alexander, Quid post hæc?* Quibus verbis ad horas integras, secum non infrequenter agebat faciens iudicium primum de seipso, vt euaderet secundum, quod videtur obtinuisse; nam postquam animam Deo commendasset, morbique vim sentiret, absque vlla spe vitæ, iuberetur que constantis esse animi, ac mentis intrepidæ, respondit. *Quid ego timeam, qui ad nuptias propero?*

Egregium factum Cardinalis. Ioan. Campanus.

Egregium dictum moribundi.

Floruit sub illo, & cum illo P. Ioannes Dathus Episc. Imolensis, vir doctus, & acerrimus Scholasticus, in doctrina Ægidij Romani, & D P. Augustini versatissimus, prout scripta illius testantur. Hunc Episcopum Pius II. ad Pontificiam cathedram euexerat, mox illum ad purpuram adceptaturus, nisi Deus eundem in cœlum recepisset.

P. Ioan. Dathus Augusti.

CAPUT XXVIII.
De P. GUILLELMO BECCHIO XXVI. Generali.

Anno 1460.

ALEXANDRO ad Cardinalitiam dignitatem euecto, in officium Generalatus sufficitur Guillelmus Becchius Florentinus, Theologus insignis, sub quo floruerunt P. Christophorus Pisaurensis, Philipp. Venetus, Alipius de Carniamola Taurinensis, Iacobus Pratensis, & Bernardus Sauonensis, qui egregijs scriptis, magnum sibi nomen pepererunt.

Angliam ornarunt Ioannes Capgraue *alter Lyra* nuncupatus, omnium quos produxit Anglia Theologorum nobilissimus, Henrico Regi eiusque Fratri Hunfrido charissimus consiliarius, qui in studijs assiduus, plurima ac doctissima edidit volumina. Illi conterraneus & coætaneus fuit Ioannes Bury, qui ad instar latrantis catuli, primus detexit, & oppugnauit hæreses periculosissimas Reginaldi Pecock Episcopi; quem coram Cantuariensi Archiepiscopo Cardinali hæreseos conuicit. His non cesserunt in fama & nominis celebritate Ioannes Slolei Cantabrigiæ Doctor, & egregius declamator. Nec non Ioannes Lydgale quamuis hic magis in humanioribus excelluerit.

P. Ioan. Capgraue alter Lyra.

P. Ioan. Bury Anglus.

In

Anno 1462
Viri eminentes in vtraque Germ.

In Germania excellebat his annis Laurentius Coloniensis, quem paruum corpore, magnum animo, obstupuit etiam Francia, cuius Prouinciæ Prouincialatum gessit, ac Parisiensis Cœnobij Priorem aliquoties egit vtriusque boni optimus dispensator.

Ioan primus Profes. Theol. Louanij.

Ioannes Godtbebsdeel Theologus eminentissimus, cum paulo ante fundata fuisset celeberrima Vniuersitas Louaniensis, primus in illa Cathedram Theologicam obtinuit, in eaque doctissimis prælectionibus, insignes sibi discipulos, magnumque nomen acquisiuit. Huic adiungam alium Belgam virtute, doctrina, & meritis non inferiorem P. Iacobum d'Ostenda Ducum Burgundiæ, ac comitum Flandriæ Consiliarium eximium, quo non semel vsi fuerunt hi Principes in diuersis Legationibus, tamquam idoneo instrumento pacis ac fœderis procurandi.

Iacob. Consil. Duc Burgund.

Sacrista Pont. Ioan. Senen.

Anno M. CCCCLXIII. Rudulpho Rom. Pontif. Pœnitentiario, Sacrista, & Bibliothecario defuncto, in eius locũ surrogatur Ioannes Senensis, Episc. Castellanus, ac deinde Massensis, cuius expensis Monasterium Castellanum fuerat ædificatum.

Capit Gen. Apamij.

Anno M. CCCCLXV. Generalis proficiscitur Apamium, quo Capitulum Generale fuerat indictum, vbi etiam multa pie instituuntur; præcipue ea quæ pro mortuorum suffragijs fieri conueniebat in Ordine.

Obitus B. Christinæ.

Moritur tunc Spoleti B. Christina de Vicecomitibus innumeris miraculis illustrata, quæ ob memoriam Passionis Christi clauo pedem perforauit, singulisque ferijs sextis, absynthium felle mixtum sumebat, cuius corpus vidi adhuc integrum, vna cum cilicio & disciplinis sanguine quasi recente madentibus, non ita pridem.

Encom. B. Ioan. Facund.

B. Ioannes etiam de Sahagum à S. Facundo illustre decus totius Hispaniæ, Doctor Salamanticensis, *hisce annis* præstantissimis miraculis emicuit, Ordinique S. Augustini per totum Regnum Legionense ac Castellanum maximo incremento fuit, in vitijs reprimendis & virtutibus introducẽdis assiduus & intrepidus, Christo familiaris; quem sæpius in venerabili Sacramẽto vidit; longosque sermones cum eodem & suauissima colloquia habuit.

Patres Rom. excellent.

Pœnitentiarij tres Augustiniani.

Romanam curiam præ cæteris Ordinibus, Patres Augustiniani *hisce annis* plurimum ornabant, eodem enim tempore superuixere P. Euangelista Iacobatius, P. Patritius Romanus, in Theologia & lege Pontificia egregie doctus, Pœnitentiariorum in Basilica S. Petri Antistes, P. Paulus Romanus in eadem Basilica Pœnitentiarius & Pontificis Ordinarius concionator, quo in munere ita sese gessit vt rediuiuus S. Paulus diceretur. His duobus Patribus non impar meritis, ac doctrina fuit P. Claudius de Stella, totius Ordin. Procurator, in eadem Basilica Pœnitentiarius, cuius memoria non solum apud Monast. S. Augustini de vrbe, sed in Archiuijs Mendicantium Ordinum nunquam peribit, nam præter Priuilegiorum confirmationem, Calixtanæ, aliarumque non minoris præiudicij, Bullarum reuocationem impetrauit, vixitque centenarius magno Cœnobij Romani commodo.

Promotio P. Guill. Gener.

Anno M. CCCCLXX. Guillelmus Prior Generalis à Paulo II. ad Fesulanum Episcopatum promouetur, qui XXV. annis laudabiliter præfuit, præter continuas conciones, ac suæ diœcesis curas, varia edens scripta Philosophica, Theologica, Iuridica, ac Moralia. Extremam tandem ætatem attingens, etiam hanc sarcinam deposuit, ac ad Monasterium Ordin. Florentiæ sese recepit, vbi inter Fratres, vt frater minimus pijssime obijt.

Suffrag. Leodi P. Gobli. nus.

Circa hæc tempora, cum Læodiensi Ecclesiæ præesset Ioan. Hinsbergicus, Princeps Illustrissimus, ex Ordin. Eremit. assumptus fuit ad suffraganeatum Venerab. Pater Goblinus; qui & Episcopus Burgalensis fuit consecratus.

CAPUT XXIX.

De P. IACOBO AQVILANO XXVII. Generali.

Cap. Bonon. *Anno 1470.*

PATRE Guillelmo Generali ad maiora assumpto, conuocatis etiam Patribus Ordin. Bononiam eodem Anno, substituitur in officio Iacobus Aquilanus, vir ætate ac meritis grauissimus, octogesimum quartum faciles agens annum, vegetis tamen adhuc viribus, quas in regimine Ordinis non pœnitendo fructu exposuit.

Congreg. Erem Genuensis.

Illius enim tempestate initium sumpsit Congregatio Genuensis, S. Mariæ de consolatione, per Venerab. Patrem Ioan. Baptistam Pogium, qui paucorum annorum spatio sub Regula S. August. & sub Reuerendiss. Generalis regimine, plura Monasteria imperrauit, aliaque de nouo extruxit, in quibus rigidam disciplinam instituit, quam nondum totaliter intermisse vidi Parmæ, & alibi, vbi hæc Congregatio sua loca obtinuit, quamuis integram non esse dolcam. à Soleis ligneis iam pridem abstinuerunt hi Patres vt & ab aliis magis condncentibus.

P. Martinus Cordubea.

Celebratur *bis annis*, rarus ille Martinus de Corduba, qui inter primos Tolosanæ, ac postea Salamanticensis Vniuersitatis Professores, summa auditorum frequentia, merito numeratur. Oblatum Episcoparum Pacensem, aliasque dignitates repudiauit. In concionibus adeo fuit felix, vt innumeras vtriusque sexus personas, ad rigidissimæ pœniteoriæ institutum perduxerit; in scriptis adeo fœcundus, & profundus, vt magis Spiritui sancto, quam illius ingenio tribuerentur, quæ edebat. Vallisoleti tandem omnium luctu obijt.

Ingenium Diuinum

P. Dorsten Germanus. Dion. Collen Adam. Montaltus.

Eodem docendi ac dicendi genere enituit Erfordiæ apud Germanos Ioannes Dorsten, quem Trithemius extollit, eiusque scriptas conciones. In Tuscia P. Dionysius Collensis, & apud Genuenses Adamus Montaltus similem laudem promeriti fuere multorum annorum obsequio in munere Ecclesiastæ.

B Sancta da Genazzano.

Florebat sanctitate, ac miraculis clara *hoc anno* Virguncula in Latio apud locum de Genazzano, re & nomine Sancta, quæ in dies diuinarum rerum contemplatione abrepta, Deoque coniuncta, corpus quodammodo exanime ad horas aliquot relinquebat, animumque simul eum corpore cælestium rerum attentissima meditatione, excluso cibo & potu ad multos dies pascebat.

Perficiebatur etiam tunc Ecclesia & Monasterium Ordin. Eremit. S. Augustini, in eodem loco de Genestano operâ & impensis pauperculæ cuiusdam mulieris Petruccie, quæ ostiatim stipem colligebat, vt operi huic necessaria præberet, diuina reuelatione admonita D. Virginem & S. Augustinum non defuturum, prout nec defuere. Ecclesia enim incepta, & primo muro erecto, miraculose apparuit gloriosissimæ Virginis imago pulcherrima, nulla hominis manu adhibita, ad quam cum fideles accurrerent maximum sensere subsidium. Vnde breui tantus fuit ibidem confluxus, ac tanta confluentium liberalitas, vt Monasterij & Ecclesiæ extructioni abundè sufficeret.

B Petruccia Genazz.

Imago B. Virginis miraculosa. *Anno 1467. 25. April.*

Erectio Eccl. S. August. & S. Mariæ de populo Romæ. *Anno 1475.*

Hoc miraculo commoti Sixtus IV. & Cardinalis Guillelmus D'Estouteuilla Gallus, certatim Ordini Eremit. S. Augustini addicti, duas in Vrbe Romana Ecclesias eidem Ordini erigendas deliberant, eisque liberalem manum apponunt, vnam gloriosæ Virgini Mariæ de populo, quam suis expensis Sixtus Pontif. & alteram D. August. quam Cardinalis affabre longe maioribus sumptibus erexit ad inuidiam & æmulationem sanctam.

Idem

Idem Sixtus Ecclesiam S. Mariæ de populo maximis priuilegijs & indulgẽtijs decorauit, Patribusq; Augustinianis in Vigilijs & Festiuitatibus D. Virginis, ac in quadragesima vsq; ad octauã Paschæ plenariã facultatẽ absoluẽdi omnes concessit, prout eadẽ concessa fuit Pœnitentiarijs in Eccl. S. Petri.

Indulg. tatæ a Sixto IV.

Confirmauit etiam Pontifex omnia priuilegia Ordin. Eremit. S. August. à prædecessoribus suis concessa, eaque in celebri illa Bulla, quæ *mare magnum* appellatur, repetijt.

Anno M.CCCCLXXVI. Vita & officio defungitur P. Iacobus de Aquila, eique substituitur M. Ambrosius Coranus, vt Vicarium agat, conscribens itaque Patres Romam, in Kalend. Iunij anni subsequentis, destinatur Præsidens futurus Cardinalis D'Estoureuilla.

Obitus P. Iacob. Aquilani.

CAPVT XXX.

De AMBROSIO CORANO XXVIII. Generali.

ANNO M.CCCCLXXVII. Communi Patrum suffragio in Priorem Generalem deligitur Mag. Ambros. Coranus, qui cum in diuersis locis Theologiam professus fuisset, singulareque specimen suæ pietatis præbuisset, ad maiora enectus, Patres Ordin. sua spe, & Ordinem suo fructu, non fefellit; nam præter communes, quos similis curæ solet conducere labores, vltra triginta libros edidit, quibus & Philosophum, & Theologum, & Historicum, & in pietate exercitatum sese ostendit. Scio Volaterranum, aliosque illi offensos vnum vel alterum ex his libris apocryphi vitio condemnasse, & Volaterranus propriam maculam illi voluisse appositam, viditq; festucam in oculo illius, & trabem in proprio non sensit, intolerabiles errores commisit in suis historijs, & nonnullos non parum à fide alienos. Quis enim Catholicus dicet Pontificem posse dispensare, vt consecretur in Missa calix sine vino, vel vt Missa fiat sine consecratione vtriusque speciei? Quod tamen inquit Volaterranus factum in Noruegis ab Innoc. VIII. Quis probus Historic. dicat in Ecclesia Græca concessum fuisse, vt Sacerdotes matrimonium contraherent? quod sub Constantino IV. narrat in vsu fuisse. Quis credat crudelitatem Wandalorum & Gothorum eodem lib. narratam adscribendam Imperatori Iustiniano? Alios errores alijs committo publicandos, cum ijs scateat. Verum est Ambrosium Coranum aliquando plus nimio zelo, & impatientia victum mordicus defendisse institutum Eremiticum S. Augustini, etiam cum alterius partis condemnatione, quo non paruæ lites, schismata, aliaque maiora mala inter Ordinum personas suscitabantur, quibus vt obuiaret Sixtus IV. cauit, ne contentiosa certamina desuper instituantur. Quod cauerunt postmodum qui hanc materiam tractarunt, quamplurimi Authores vtriusque Ordinis, Ioannes Trullus in libro cui titulus Ordo Canonic. Regular. Ioannes Maburnus in suo Venatorio Canonicorum Regular. impresso Paris. M.DI. Basilius Sirenus, Ioan. Molanus lib. de Canon. Aubertus Myreus in origine Canonic. Regul. c. 3. & 4. Azor. lib. 12. instit. Moral. Ioan. Gonzales de instit. Eremit. Cornel. Lancilottus, Ludouic. ab Angelis, Marquez, Prosper Stellartius, & alij: quod libuit hic adscripsisse, ne videamur contra antiquam hanc Bullam voluisse præuaricari, cuius vsus est alius hodie, in quo non videtur offendere qui modestiæ limites non excedit.

Anno 1477
Ambros. Cor. scriptor egreg.
Defenditur Ambros.
Lib. 21. Anthrop.
Errores Volater.
Lib. 7. Geograph. c. 4.
Lib. 23. Anthrop.
Bulla Sixti IV. pro pace Ord. Canon. Reg. & Erem.

Tempore huius Generalis, natale solum fugit Exarcus quidam Hispanus, qui Neapoli assumpsit Ordin. habitum & disciplinam, illam præcipue quæ apud Congregationẽ Carbonariæ adhuc erat integra, eamq; in Sardiniã & Valentinũ Regnum perduxit, ibidemque multa Monasteria restaurauit: cum illo vixere P. Phillippus Valentinus, & Ludouicus Villalobos Theologi ac Philosophi illustres.

P. Exarcus Hisp. Reformator Sardiniæ & Valent.

Præ-

Congregat. Montis Ortoni.

Præter Monasteria Muriani iuxta Venetias, B. Mariæ Campi-Sancti iuxta Patauium, Monasterium Montis Ortoni ibidem, aliaque ædificauerat, Ven. P. Simon Camerinas, eaque in Congregationem deduxerat, ac in iis particularem obseruantiam introduxerat, eadem dirigens sub solo Reuerendissimi P. Generalis regimine, vita sua durante, vnde Congregatio *Montis Ortoni* initium sumpsit. Moritur autem hoc anno P. Simon 9. Martij in Montis Ortoni Ecclesia sepultus, tali Epitaphio. *Ossa Reu. P. Fratris Simonis de Camerino Ordin. Erem. S. August. qui temporibus suis fuit corona Prædicatorum.*

Anno 1478.

Obitus B. Io. a S. Facundo.

Anno sequenti Salamanticæ obijt B. Ioannes à S. Facundo, qui per plures annos in Missæ sacrificio Christum amoto velamine speciem meruit videre, eiusque familiaritate vti, ac secretas audire, & reddere voces. Fertur autem perditæ libidinis mulieris astu venenum propinantis, interiisse, ac sic martyrij palmam diu desideratam obtinuisse. Clemens VIII. Anno M. DC. III. eundem Beatorum catalogo adscripsit, colitürque solenni festo, sacro & officio 11. Iunij.

Patres Ordin. aliquando celebres.

Celebrantur etiam hoc sæculo doctrina & pietate insignes, P. Petrus de Rubeis Senensis, Thomas Spilimbergicus Germanus, Petrus de Nizza, Alphonsus Arelatensis, Ludouicus de Assais, Iacobus de S. Maximino Galli, Salimbenus de S. Genesio, Matthæus de Macro, & Iacob. Philippus de Villagrana eximij concionatores Itali.

P. Paulus Lulmius, & P. Nic. Bartianus.

Extabat inter plurimos Italos P. Paulus Lulmius Bergomas, quondam ibidem Canonicus & Iuris Pontificij Professor, qui & Monasterium Romanum, & Bergomense rexit multaque opera in lucem emisit, diuino sale cōdita: quod etiam præstitit P. Nicolaus Bartianus Placentinus insignis Iurisconsultus, maxime in nata controuersia contra Fratres Minores ratione præcedentiæ, in qua, sententia fuit lata pro Ordine Augustiniano, prout ipsemet hoc latius docet, in libro quem inscripsit: *Causa Vitaliana de præcedentia Eremitarum*, &c.

P. Ioan. Berg. suffraganeus Frisingensis.

Obijt anno M. CCCCLXXXI. Monachij P. Ioannes Perger Episc. Beltensis Suffraganeus Brixinensis, & Frisingensis, ibique sepultus fuit ad dextrum latus chori, fuerat is olim ibidem Prior, & concinnator eximius, ac de Ordine bene meritus.

Martyrium P. Henrici Harder. *Bzouius* *in Alph. i. H.* Martyrium subeuntque alij Relig.

Hoc eodem anno, vel saltem sub finem antecedentis misera clade, Vngaris irrumpentibus in Styriam, deuastatum fuit Monasterium Furstenfeldense, vbi P. Henricum Harder professione Rottenbergensem Vngari crudeli martyrio affecerunt, P. vero Augustinum Monachiensem ibidem Priorem vna cum decem alijs Fratribus tunc abduxerunt in prædam, exponentes eos vt venalia mancipia, qui postmodum, decimo sexto captiuitatis suæ die soluti, sed attriti & infecti omnes interierunt, vno Priore excepto, qui toto vitæ suæ tempore languidam vitam duxit.

Restaur. Monast. Corani.

Anno M. CCCCLXXXII. Monasterium Coranum in Latio, diligentia Prioris Generalis in elegantiorem formam restituitur, celebranturque Ordin. Comitia Perusij, quibus præsidente R. P. Gaspare Vrbeuetano prorogatur officium Ambrosio Corano.

Assumebatur tunc ex Ordin. S. August. ad Episcopatum Nicopolensem, & suffraganeatum Olomucensem P. Andreas Bysman. S. T. D. eiusq; Professor aliquando Tulosæ, cum Prouincialatum Bauariæ & Austriæ decennio integro gessisset, & Romam aliquoties nomine regnorum Bohemiæ, Morauiæ, Austriæ, ac Bauariæ, tali fuisset accedere. Vbi etiam summo omnium applausu postrema vice consecratus fuit, gessitque infulam viginti annis & amplius, cum ante ipsum P. Guillelmus ex eodem Ordine Eremit. eandem, fere quadraginta gestasset non pœnitendo fructu, quem adhuc hodie inculcat Morania, vti vidi in Monasterio Brunensi, gaudens illius memoriam fu-

perësse

peresse non contemnendam, ex qua collegi dudum ante illius Monasterij erectionem, aliam ibidem Fratrum S. Augustini fuisse coloniam.

ORDO BARNABITARVM.

Anno M.CCCCLXXXIV. Ad regulam S. P. Augustini accedunt Barnabitæ iussu Innoc. VIII. Sacerdotum sæcularium more incedunt, viuunt in communi, Apostolorum munia imitari gestiunt, referuntque sua initia ad S. Barnabam, nouissime tamen illorum vitam ac viuendi ritum restaurarunt D Iacobus Antonius Morigia, alijque insignes Clerici, suæque Congregationi S. Pauli decollati memoriam, titularem fecerunt.

B. Andræas de Monte Regali.

Hisce etiam annis, Deo animam reddidit insignis Dei seruus B. Andræas de Monte regali, Theologus ac iuris Pontif. peritissimus, qui postquam miraculorum gloria claruisset in viuis, adhuc in Ecclesia Ordin. asseruatur integer, eadem veste tectus, non sine gratissimo odore, & miraculorum frequentia.

B. Rita de Cassia.

Huic Beato vicina fuit B. Rita de Cassia, quæ paulo post viuere desijt, maximæ sanctitatis præstitis indicijs, inter quæ hoc singulare, quod ex vi continuæ memoriæ acerbissimæ Passionis Dominicæ, spinam exortam, in fronte extantem, ac patentem omnium oculis multis annis gestauerit, cum communicatione dolorum Dominicæ Passionis non modica, quæ futuram gloriam in illa operabatur.

P. Ioan. Magdal. Regis Alphonsi magister.

Excellens Theologus, magnæ industriæ P. Ioannes de Magdalena Lusitanus, Romæ tunc viuebat, præbebatque talia de se virtutum ac morum exempla, vt Vlyssiponam euocatus à Ioanne secundo Rege, filij Alphonsi educationi præfectus fuerit, in qua præfectura, ne aulam potius, quam scholam videretur quærere, primam cathedram Vlyssiponæ obtinuit, ab eaque nec oblatione dignitatum, nec emptione, aut vllo titulo, spatio viginti sex annorum vnquam potuit auelli.

Professor Vlyssip.

Patres Angli insignes.

P. Pencketh Professor Patauij.

Tota etiam Anglia *hisce annis* celebrabat P. Guillelmum Galion Nordonoglium, P. Ioannem Erghon, Eboracensem; & Thomam Pencketh, Waryngtoniensem, Theologos eminentissimos, concionatores celeberrimos, & Doctores eximios, quorum ingenio, ac labore vniuersitates Angliæ maxime florebant. Horum Patrum postremus, publico stipendio euocatus fuit Patauium, vt ibidem Theologiam profiteretur, reuocaretque nomen elanguidum illius Vniuersitatis, quod etiam præstitit aliquot annis maxima cum laude, vnde de illo scribunt Coranus, & Bergomensis, illius coætanei: *Quod opera Scoti tam exacte calluerit, vt exemplaribus destructis, ac deperditis, eadem posset restituere*, cum memoria sola duce, eadem frequenti auditorio dictarit, exemplaribus impressis emendatiora. Edita autem ab ipso referunt Pamphilus, & Gratianus.

Memoria huius Patris.

Obitus Corani.

Anno M.CCCCLXXXV. Romæ ex hac vita decessit, summo totius curiæ luctu Reu. P. Ambrosius Coranus, postquam annis octo egregie præfuisset, præclaraque sui ingenij monumenta reliquisset, illique in Religionis gubernaculo substituitur Vicarius Siluester de Balneoregio, qui & ipse illo anno XIII. Sept. interijt. Vnde & Vicarij vices coactus fuit subire P. Anselmus de Monte-Falco, qui indicto Generali capitulo in annum sequentem Ordini plurimum profuit.

Mors P. Siluestri.

Anno 1486.

CAP. XXXI.

CAPVT XXXI.

De ANSELMO MONTIS-FALCONIO XXIX. Generali.

SENIS Capitulo coacto plurium votis officium Generalis committitur P. Anselmo Montis-Falconio, ibique ordinatur commemoratio S. August. singulis mensibus facienda, aliaque ad diuinum officium, & ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia, emendantur.

Sententia inter August. & Canon.

Anno M. CCCCLXXXVIII. Sententia fuit lata inter Ordin. Erem. & Canon. Regulares Vlyssiponæ, quæ ibidem ratione præcedentiæ aliquot annis fuerat agitata; hoc modo, vt DD. Canonici in Processionibus, & actibus publicis locum habeant eundo tantum, inter redeundum autem vt tunc sinistrum locum habeant, & dextrum Eremitæ S. August.

Principium Conu. Læodien.

Legatur hoc anno Eremitis S. August. prope Læodium in Auroto fundus & hortus ad extructionem Monasterij suo tempore aptus, testamento Generosi ac Reu. Domi. Alexandri de Serranio Cathed. Eccl. ibidem Canonici, cuius legati possessionem biennio post suscepit nomine Ordin. R.P. Gerardus Hergart, Prior Aquisgrani, vti Commissarius Prouincialis.

Priuilegia SS. Pontif.

Varia etiam *hisce annis* Ordin. Eremit. S. August. per Pontificem Innoc. VIII. Sixtum IV. & Alexand. VI. conceduntur priuilegia, priuilegiorumq; participationes, cum Indulgentijs innumerabilibus, instantibus zelosissimis viris P. Benigno de Ianua, P. Thadæo de Hipporegio, P. Paulo de Bergamo, P. Bartholomæo de Pallazzuolo, & P. Marriano de Genazzano, partim Congregationis Lombardicæ, partim Ordinis viris eminentissimis, quæ vlterius continentur in Bullario Augustiniano, & in compendio priuilegiorum mendicantium.

Fund. Cœnob. Harlemien. Dordracensis, & Enchusiani.

Harlemij quod celebre est Hollandiæ oppidum *circa an. M. CCCCXC.* donatur Patribus S. August. templum S. Iacobi, ac piorum eleemosynis, fratrumque diligentia illud erigitur Monasterium omnibus suis officinis instructum, nunc autem funditus euersum iacet, de quo infra.

Circa idem tempus in eadem Hollandia erigebatur Monasterium Ordin. Eremit. S. Augustini Dordraci, cum Ecclesia ex fundamentis Ordini dedicata; quod etiam Monasterium hæreticorum manus sensit, qui ex templo Synagogam, ex Monasterio Principis domicilium parauere, vt ipsi vidimus. Fuerat ibidem Enchusij ad occidentalem plagam Monasterium Ordin. quod sordide satis in communem vrbis domum mercium conuersum vidimus, non sine lacbrymis, palpitante corde, & cum fremitu dentium, maxime vbi Dordraci sepulchra lapidibus videremus priuari, eaque prophano vsui applicari; quod est in mortuos sæuire.

ORDO ARMENORVM.

ORDO ARMENORVM hisce diebus felici auspicio incepit militare sub Regula S. Augustini, ac concessione Innoc. VIII. vel Constitutionibus Ordin. S. Dominici, cum prius in Armenia existentes, concessione Bonifacij IX. sola Regula S. Augustini vsi fuissent. Subsunt etiam hi Religiosi hodie Patribus S. Dominici, quorum opera paulatim ad sui Ordin. integralem subiectionem reducuntur.

B. Bertramus Eremita.

Adhuc currente *anno M. CCCCXC.* Firmi in Piceno ex hac miseriarum valle, multis diuinæ maiestatis signis, euocatus fuit Beatus Bertramus, ex generosa familia in Hispania oriundus, postquam multis annis Eremiticam vitam egisset, sub obedientia Prioris Firmani, quo tempore, nunquam aut genus, aut familiam detexerat, detexit autem virtutes sub Eremitico pal-

holo

-liolo latitantes Deus, cum enim corpus sepulturæ mandaretur Angelicus concentus palam auditus fuit.

Conuentus Ordinis pro reformatione eiusdem habitus fuit Romæ per Reuerendiss. Patrem Anselmum *anno M. CCCCXCI.* & in eo singulis Prouinciis Patres morum integritate, ac doctrina præstantes fuere assignati, qui collapsam disciplinam restituerent. In Lusitaniam, & cæteras Prouincias Hispaniæ dimissi fuerunt P. Augustinus Interamnensis, & P. Ioannes Bapt. Neapolitanus, qui etiam muniti litteris Apost. plurimum vtilitatis conscientijs afflictis contulere.

Visitatur Hispania ab Italis.

Noua fama mutatæ vitæ illectus, Illust. D. Fadrique, Castellæ dicinnis supremus Præfectus, erigit suis sumptibus Monasterium oppidi Mansillæ, illudque nobili dote, pro competenti Religiosorum numero fundatum, relinquit.

Fund. Monast. Mansillæ.

Excellebat *hisce diebus* in Italia eloquentia, ac dicendi gratia fere omnes P. Marianus de Genazzano, cui tantum afficiebatur Laurentius Medices, vt indies familiarem sibi hunc Patrem, rebusque suis grauissimis consultorem adhiberet, quare primum in Dei honorem, ac deinde in gratiam huius patris, Ordini S. Augustini magnificentissimum illud templum S. Spiritus, inter miracula Italiæ merito habitum, ob architecturam mirabilem, erexit. de quo opere latius scribit *Angel. Polit. lib. 4. epist. 6.*

Ecclesia S Spiritus Florent. erigitur.

Reformationi Italiæ tunc operam dabat R. P. Felix Appulus, præcipue in Appulia: vbi pleraque monasteria erigebat, alia erecta dirigebat strictiori norma, non sine multorum accursu, ac bonorum plausu; & hinc adhuc hodie extat Congregatio Appuliæ. Obijt autem decennio post P. Felix, magna felicitatis æternæ præbens indicia.

Congregatio Appuliæ.

Italiam etiam ornabant plurimis doctisque lucubrationibus P. Ioan. Bernardus Sauonensis Fortis dictus, Philippus Groppantes, & Augustinus Biella cuius opus circumfertur titulo, *Exempla virtutum ac vitiorum*, putat etiam Pamphilus Prosam defunctorum, *Dies iræ dies illa*, &c. ab hoc Patre fuisse editam: aliorum vero scripta dicit asseruari in Bibliothecis Italiæ non infrequentia.

Viri docti Italiæ.

De P. Alberto Patauino *sub idem tempus* viuente, fertur, quod primo Hebræus, Hebræorum postea seuerissimus censor euaserit, ita vt tota Italia eundem P. Albertum Nouellum, *Flagellum Hebræorum*, nuncuparet. Librum scripsit de aduentu Messiæ, quo ad viuum tangit nationis illius perfidiam obstinatam.

P. Albertus Flagellum Iudæorum.

Anno M. CCCCXCII. Alexander VI. postquam semel vsus fuisset opera sæcularis Presbyteri in officio Sacristiæ, cui hactenus ab annis ducentis deseruierant continuo Fratres Ordin. Eremit. S. Augustini, re melius considerata, motu proprio per breue Apostolicum donauit hoc officium custodiæ sacrarum rerum, Ordini S. Augustini perpetuo, vt esset in præmium Ordini & ad incitamentum proborum ingeniorum, huc aspirantium.

Anno 1492.
Officium Sacristiæ perpetuo donatur Ordini.

Germanicæ reformationi intendebant P. Simon Lindner, & P. Andreas Proles qui præcipua fere Germaniæ monasteria suæ Congregationi, *quam Saxonicam* appellabant adiunxerunt, vti & alia ante annos circiter duodecim in Bauaria, ad meliorem disciplinam reducta. Hi Patres qui liberius imperarent, exemptiones varias à Romanis Pontificibus, præcipue ab Alexandro VI. à Legatis Apostolicis, alijsque superioribus, fauore Ducum ac Principum impetrarunt, imma non diu post hunc annum, Congregationem annuam Nortimbergæ celebrarunt, statuta diuersa, ab Ordinis statutis, ediderunt Norimbergæ impressa, & circa idem tempus ab obedientia Reuerendiss. Generalis sese totaliter subduxerunt, non solum Congregationis Lombardicæ Vicario sese subijcientes, vt entes illorum Procuratore Curiæ, sæcularibus,

Congregatio Saxonicæ initia.

Religiosi subiecti sæcularibus.

tatibus, priuilegijs, & indulgentijs. Sed breue Apostolicum Iegi Iulij II. anno I. quo eosdem Patres eximit ab omni obedientia Reuerendiss. P. Generalis, subijciendo eosdem Petres aliquot sæcularibus personis, vt Decano Colmariensi, Præposito S. Margaretæ, ac alijs.

Staupitius vocabatur Generalis. Immo Iulius II. Idib. Martij, *Anno M. DVI.* executionem diplomatis sui, diuisionis scilicet Moguntinensis, Magdeburgensis, ac Salisburgensi Archiepisc. commisit, cœpitque tunc Staupitius Generalizare, suæque Congregationis exemptæ Generalem sese propalare. quæ vlterius tetigi, ne quis miretur ex tali monstruoso corpore, tam infelicem partum Lutheri ortum fuisse, non ex vero capite Ordin. Eremitem, sed ex diuiso ac separato corpore imperante diuisim.

Viri docti huius Congreg. Vigebant interim, & inter huius Cōgregationis Sexonicæ viri, doctrina ac meritis insignes Osualdus Norimbergensis, Michael Stipbelius, Nicolaus Bisterus, Henricus Zolter, quos reformationis zelus cœperat, quantumuis omissa sale, quo condiendus erat, postea putuerit, & adhuc puteat bonorum naribus, cum vento fuerint leuiores viri aliquando boni. Constantiores sese

Viri boni. præbuerunt sub idem tempus, P. Bernardus de Leudenberg, P. Ioennes de Lansbeim Wormetiensis, & P. Rogerius de Venrey, à pietate, vita, conuersatione, ac doctrinæ Pampbilo noti, quorum scripta idem commendat, & numero, ac qualitate vberrima.

P. Antonius Padilla Magister Scrip. P. Rodericus S. Martini Episc. Simili nota insigniuit P. Aotonium de Padille Cardin. Seripandi Magistrum, & Rodericum S. Martini Hispanos, postremo dignitatem Episcopalem Sebastiensem, & (quod pluris facio) sanctitatem non vulgarem adscribendo, cuius argumenta dicit Burgis perplura edita fuisse, ideoque adhuc ibidem eundem coli, speciali sepulchro iuxta sacellum SS. Crucifixi.

Encomia P. Augustini Castel. *Anno M. CCCCXCIV.* Ioanni Senensi Rom. Pontif. Pœnitentiario, Sacristæ, ac Bibliothecario defuncto, succedit P. Augustinus de Ciuitc-Castelli, sui sæculi concionator celeberrimus, ac Theologus eximius, quem aliam S. Augustinum nominabat fere tota Italia, quemque iam in purpuratorum Patrum numerum adscribendum decreuerat Alexander VI. nisi quarto post promotionem anno, eum mors sustulisset, cælesti vtsperamus purpura insigniendum.

Ioan. Tonneys. Præclaræ eruditionis, præcipue humaniorum litterarum, vigebet eodem tempore in Anglia P. Ioannes Tonneys Nordouicensis, Professor publicus Oxonij, vbi aliquando numerauit 800. discipulos sub pollice suo formatos, tanto cum applausu illius, aliarumque vniuersitatum, vt omnium calculo Poëtarum, Rhetorumque laurea meruerit coronari, eoque nomine maxime dignus fuerit habitus, inter suæ ditionis viros.

Aurel. Lippus Brandolinus. Nouissimus etiam tunc extitit tam Italis, quam exteris P. F. Aurelius Brendolinus, quem Matthies Coruinus Vngarorum Rex ad suum obsequium adsciuit, oratoriæque disciplinæ Budæ ac Strigonij præfecit, quemque & sibi à consilijs, & suum Oratorem, ad diuersos imperij status esse voluit, eiusque consortio ac consolatione frequenter vsus in acerbissimis humanæ vitæ casibus. Quos deinde idem Aurelius in compendium redegit, suumque mœcenatem eorundem tolerantiam docuit, vel posteris illos modi lusus enarrans, vt magnos redderet cautos, & paruæ fortis contentos: Coruino defuncto redijt is in Italiam, vbi rursus varie opuscula edidit raræ doctrinæ, è quibus eruitur verissimum esse, quod de illo scribit Pemphilus; concionatorem talem euesisse, ac ita in sacrarum litterarum expositione peritum, vt

Obitus eiusdem. parem videretur habere neminem. Clausit tandem extremum diem Romæ *Anno M. CCCCXCVIII.* eum paulo ante percelebrem illem orationē de Passione Domini, coram Innoc. VIII. & sacro Collegio dixisset ad palatum omnium.

Inter

Inter cæteros Theologos ac verbi Dei præcones, quos produxit fertilis ingeniorum Marchia, singularem hisce annis Ordini, Italiæ vniuersæ ac præcipue Mediolanensi Ecclesiæ concessit P.F.Paulum à S. Genesio, qui meritis suis, suaque doctrina euectus fuit ad Episcopatum Heleneapolitanum, ad Abbatiam Cauarum, & ad Commendatarij Apostolici beneficium. Is fuit Philippo & Ludouico ducibus Mediolanensium gratissimus, earumque concionator disertissimus. Duas illius Bibliothecas Mediolani erectas in vtroque Ordinis Cœnobio celebrat Pamphilus, eiusque sepulturæ locum in Monasterio S. Mariæ incoronatæ designat, vbi illam vidimus non ita pridem posteris solatium & exemplum.

P. Paulus Pr. cenus Episc. & Abbas Cauarum.

Bibliothecæ beneficium.

Celebrat præfatus Pamphilus, Reuerendiss. D. Iacobum Perez Hispanum, hac ætate Theologum, & in exponendis sacræ Scripturæ arcanis eminentissimum, Episcopatu Christopolitano donatum; de quo hoc addam non paruæ sanctitatis indicium: repertum enim fuit ante paucos annos huius viri caput, illiusque cerebrum in cranio integrum, viuum adhuc palpitans maximo accurentium Religiosorum Valentini monasterij stupore: acclamantium indubie diuina beneficentia hoc integrum conseruari, quod ita in diuinis canticis enucleandis, & decantandis excelluerat, Christique incarnationem ita super omnia mysteria, etiam vltra humanum cerebrum extulerat.

P. Iacobus Perez Valent. Miraculum de cerebro eiusdem. *Refert Prosper.*

Cum iam Reuerendiss. P. Generalis Anselmus aduersa semper affligeretur valetudine, neque posset eam operam Ordini impendere quam officium requirebat, petijt quam potuit humillime constitui Vicarium, & à S. D. N. Alexandro VI. impetrauit P. Marianum Genazzanensem.

CAPVT XXXII.

De P. MARIANO GENAZZANENSI XXX. Generali.

ANNO M.CCCCXCVII. Comitijs habitis Romæ, declaratus fuit Generalis, Exim. P. F. Marianus de Genazzano, qui paulo ante Congregationem de Liceto ac deinde Ordinem vniuersum feliciter rexerat cum titulo Vicarij, magnumque sibi nomen fecerat ob dotes non exiguas etiam sub initio omnis ferulæ.

Vixerunt cum hoc Generali in Congregat. Lombardica sanctitate, doctrina, ac rerum experientia viri insignes P. Barthol. de Palazzuolo, P. Benignus de Genua, P. Thadæus de Hipporegio, & P. Panlus de Bergamo, qui suæ Congregat. fuere Vicarij, ac rerum Ordinis promotores maxime seduli.

Patres Congreg. Lombard.

Ad borum Patrum, præfatique P. Mag. Mariani feruentes preces, Innoc. VIII. concessit, vt festa S. Pauli primi Erem. S. Guillelmi, S. Simpliciani, Translatio S. Monicæ, Canonizatio S. Nicolai de Tollent. & alia, quæ tantum in aliquibus locis Ordinis celebrabantur, possint tum in Congregat. Lombardiæ, ac Liceti, tum in alijs locis Ordinis obseruari, sub ritu duplicis.

Concessio festiuitatum Ordinis.

Eadem fere ætate, ab Alexand. VI. obtenta fuit communicatio priuilegiorum pro Ordine S. Augustini, cuicunque Ordini, loco, & personæ Religiosæ respectiue concessorum, tamquam si expresse, ac in indiuiduo Ordini Eremitarum fuissent concessa.

Concessio communicationum priuileg.

Vixit adhuc hisce annis Ven. P. M. Ioan. Baptista Alonisianus, Rauenna oriundus, quem ferunt scripsisse accuratam Ordinis historiam, quæ à multis citatur, rara ac inaudita suggerens Ordinis Eremitani incrementa. Inter quæ hoc

Ioan. Bapt. Alonisianus historicus Ordin.

Commentaria refert Sabell.

hoc non infimum, quod recenset, *suo tempore extitisse in Ordine Eremitano S. August. monasteria circiter duo millia, initiatos ad XXX. millia Virginum loca trecenta, viros Theologica facultate claros, quiq; Orthodoxam fidem scriptis illustrabant, centum, & amplius, sanctos ac beatos octoginta quinq.* Circa hæc quoque tempora referente eodem Sabellico, peregre in Italiam delati sunt Eremitæ, referentes magnum esse Eremitarum Augustinianorum numerum in Ægypto, conuentusque plurimos, quorum certus non posset iniri, in tanta terrarum vastitate, numerus.

Numeros Augustinian. Amplitudo Ordinis.

Status Vngariæ miser.

Adhuc florebat hac ætate Ordo S. Augustini in Vngaria, vbi in Capitulo Prouinciali Agriæ celebrato *Anno M. CCCCXCVIII.* numerabat illa Prouincia viginti Conuentus superstites, Religiososque fere ducentos, quibus hoc ipso anno imperabat P. Matthæus de Crisio, nunc vero in eadem Prouincia immo in Regno nec superest Monasterium, nec extat Religiosus: hos enim Turcarum furor extinxit, illa idem partim concremauit, partim in prophanos, sordidos, ac sacrilegos vsus conuertit.

Authores Congregat. Saxonicæ.

Andrçam Proles hoc loco ponit Pamphilus, eumque infelicissimæ Cōgregationis Saxonicæ facit Authorem, ex qua postea prodijt infaustum, ac infernale illud Diaboli instrumentum, Martinus Lutherus: mihi tamen constat in illa Congregatione præcessisse Rectores P. Henricum Zolter, P. Simonem Lindtner, & quem primo huius Congregationis Authorem facerem P. Osualdum Norimbergensem; Is enim etiam ante annum M. CCCC. LXXX. vna cum alijs Patribus, nescio ambitionisne an superbiæ spiritu ductis, vel zelo regularioris vitæ motis, quod magis credo, varia monasteria Germaniæ, eaq; opulentiora vt melius disciplina conseruaretur coniunxit, eaque primo à Prouincialibus, deinde à Generalibus exemit authoritate variorum legatorum in partibus Germaniæ, incuria tamen vel maxime Generalium, Germaniæ partes non visitantium. Magis enim hi Religiosi Principum aulam reformationis harmonia delinitam venerabantur; cuius magis ab illa auxilium sperarent & sentirent. Vnde eadem aura fulti, paulatim sese subduxerunt, maxime turbato sæculo bello Bohemico à Zisca excitato: sicque reformatio in deformationem in[?]dit, non defectu boni finis, sed malorum mediorum. Laudandæ interim sunt reformationes modo fiant sub obedientia vnius capitis maxime Romæ residentis, modo fiant per Religiosos, intrinsecè & extrinsecè Religiosum habitum gerentes, modo non totaliter innitantur sæcularibus Principibus: hos enim si mutari contingat, Religiosi mutantur, titubant, ac facile corruunt. Verum vt ad Andrçam Proles reuertamur, obijt is syncere Catholicus *Anno M.DI.* postquam Ioanni Episcopo Misnensi fuisset à consilijs secretis, Ducumque Saxoniæ egisset Ecclesiastem non minus pium, quam doctum. Rexitque eandem Congregationem post illius obitum P. Ioannes Staupitius de quo infra latius, vti & de funestissimo partu hæresiarchæ Lutheri.

Exemptio Congregat. Saxonicæ nociua.

Laudandæ reformationes.

Obitus P. Andreæ Proles Catholicus.

Professor & Rector Vniuersit. Treuerensis.

Anno M. CCCCXCVIII. In antiquiss. Vniuersitate Germaniæ Treuerensi, laurea magistrali donatus fuit, Theologicamque professionem exercuit Exim. P. Mag. F. Ioannes Pfaltz, qui & ad Vniuersitatis concilia adhibitus, breui in Rectorem eiusdem electus, mox ab Archiepisc. secretæ ipsius pietati fuit adhibitus, eamque vrbem doctissimis, necnon disertissimis concionibus in sancta Religione & pura obedientia seruauit.

Viri insignes Ital.
Nic. Palmer. Episc. Ortanus.
Obitus P. August. Castell. Sacristæ.

In Italia etiā eminebant Ordinis personæ cōplures, præ cæteris P. Valerius Gennensis, P. Augustinus Anconitanus, & P. Nicolaus Palmerius Siculus, quē Innoc. VIII. Episcopū Ortanum renunciauerat, quoq; tum ipse, tum successor Alex. VI. frequenter in arduis Theologicis difficultatibus vtebantur.

Eodem etiam anno vitam hanc terrenam cum cælesti commutauit Ven. P. August. Sacrarij Pontificij præfectus, summo totius curiæ luctu, in eiusque

locum

Aſſumptio P. Zachariæ Sauonen.

locum ſufficitur P.F.Zacharias Sauonenſis,qui dudum apud S. Petrum Pœnitentiarij officium geſſerat poſtquam ſacrorum Canonum acuratiſſimum interpretem egiſſet Romæ,& alibi.

P.Nicol Frieſz Epiſc.Tripolit. Patres Germani eminentes.

Viuere deſierat paulo ante Reuerendiſſ. D. Nicolaus Frieſz ex Ordin. Eremit.S.Auguſt.ad Epiſcopatum Tripolitanum promotus, cui etiam ex eadem Germania familiares fuere P.Tilmannus Limperger, P.Iacobus Federer, & P. Ioannes Scherer, huius Religionis docti, ac virtuti deditiſſimi viri.

P.Theodoricus ſingul.cul. tor Deiparæ.

Hiſce Patribus coætaneus fuit P. F. Theodoricus de Porta cæli, Saxo D.Virginis cultui addictiſſimus,cuius etiam notabiles ſenſit fauores, vnde in eiuſdem Deiparæ laudem,librum ſcripſit iuſtæ magnitudinis,quem Hortulum virginitatis appellat,plenum ſpiritu,plenum Scripturis ſacris, ac doctrina ſublimi refertiſſimum, in quo pleraque miracula enarrat ſub alieno nomine, ipſi tamen vere patefacta, & circa illum diuino fauore perfecta.

P.Iacob.à Prato I. Prior Lædij.

Anno M.CCCCXCIX. P.Iacobus à Prato Gallus primus Prior Monaſterij iuxta Lædium Eremitis S.Auguſtini fundandum, locum iam alias Ordini conceſſum,teſtamento D. Alexandri à Seramo cæteris Ordinis poſſeſſionibus adnumerauit.

P.Ioan.Bened.

Viguit etiam inter primos Philoſophos ſublimioris Philoſophiæ P. Ioan.Benedictus Moncetus è Caſtellione Aretino oriundus, qui cum incidiſſet in formalitates Scoti,& in tot entia rationis diſtincta, contra eundem Scotum ſcripſit, eiuſque fundamenta ſatis debilia eſſe deduxit, reali ſtylo & doctrina,etiam à D.Thoma diſſentiente.

Obitus P.Mariani Genetanis. *In dialog.qui Ægid.inſcribitur.*

Hiſce diebus,ſcribit Pontanus, *Marianus à Genazzano Eremita maximo deſiderio Chriſtianorum omnium, Italiæq; præſertim totius, his in locis diem obiens, naturæ conceſſit,dum muſas Chriſtianas colit venerabiliter, & illarum ſecreta per Diuorum templa,perq; ædium ſacrarum pulpita mortalibus enucleatiſſimè aperit.*

Ab Alexandro enim Sexto ad Fridericum Regem Neapolitanum tum affinitatis ineundæ,tum grauiſſimorum negotiorum gratia miſſus fuerat, eaque ad votum S.D.N. expediuerat, iamque Sueſſam aduenerat Romam rediturus,cum in febrim incidens ab eadem fere primo ictu abripitur: Motus fato tam lacbrymabili canebat idem Pontanus,certam fere ſibi promittens in hoc viro beatitatem.

Qualis Alphæi liquidos ad amnes,
Siue Mæandri viridante ripa
Concinit feram moriens in ipſo
Funere Cygnus.
Talis ad plectrum, ad thyaſos deorum
Ludit in cælo Marianus,ipſa
Morte victurus Marianus, ipſo
Funere felix.
Ipſe ſis felix,faueaſq; nobis,
Ipſe ades feſſis Mariane rebus,
Tu preces audi miſerorum, & iras
Siſte Tonantis.

De hoc Mariano præclarissima scribunt elogia illius sæculi Scriptores. Bergomensis, inquit, *Marianus Vir Theologus præstantissimus suo æuo Lucifer & Sol perfulgidus, suis exquisitissimis declamationibus, & nouo concionandi genere emicuit, ac veluti alterum electionis vas mundo oblatus, tantam ingenij vim & dicendi robur de se ostendit, vt dicere ausim, neminem in hoc sæculo inueniri potuisse, qui cum eo posset comparari. Erat profectò talis ac tantus, vt nihil in eo esset ex omni politiore disciplina frustra desiderandum. Nam in suis declamationibus ita verbis lectis erat disertus, & sententiosus, canora voce, vultuq; ac cæteris corporis motibus ad rem ita accommodatus, vt tanquam alter Demosthenes nihil ad laudis cumulum accedere posset. Deinde tanta Religionis pollebat modestia, vt potuisset tum vniuerso terrarum orbe de omni genere laudis facile contendere.* Angelus Politianus multo plura in laudem huius P. Mariani congerit, *in Theologia inquit nulli secundus, omnium quos in Ecclesia concionatores audiuimus, non prudentissimus modo, sed & facundissimus.* & paulo post idem Politianus Tristano Chalco scribens, non minus eleganter totum hunc Patrem describit, *Verba illius electa, vocem canoram, sententias grandes, & quod maxime oratorem felicem decet, motum animorum ad nutum*; aliaque quæ breuitatis ergo omitto, Lectorem remittens ad scripta eiusdem.

Iacob. Bergom. in Chron.

In Miscell. præf. ad Laur. Medicem.

Fuit hic Marianus viris doctissimis totius Italiæ stupori, immo Regibus ac Ecclesiæ principibus venerationi: Florentiæ ita Mediceum in sui amorem attraxerat, vt eundem non tantum ad frequentes deambulationes adhibuerit, sed vt ab illo totus dependeret, quare ab eiusdem munificentia exstructionem illius Ecclesiæ, cui vix est alia similis, etiam extra Florentiam, & restaurationem Monasterij impetrauit. Romani Pontificis Alexand. VI. animum ita sibi deuicerat, vt is primo Generalem Ordinis voluerit esse P. Marianum, dein ad secretiora sua consilia admiserit, mox ad purpuram prouehendum, nisi immaturus casus acerbæ mortis, *Anno M.CCCCXCIX.* adegisset Pontificem ad suspitium, quo absentes non rediuiuos requirimus.

Picus Mirandulanus, alij viri familiares P. Mariano.

Vtilis Ordini familiaritas Medicea.

Rom Pontif. animus erga P. Marianum.

Substituebatur interim R. P. Gratianus Vmber Vicarius Apostolicus, quem varia Ordinis officia, & sublimis Theologica disciplina commendauerant, hoc & maiori officio dignissimum.

CAPVT XXXIII.

De GRATIANO FVLGINATE XXXI. Generali.

ANNO *M. DI.* Comitijs Ordin. habitis Firmi in Piceno, declaratus fuit Generalis P. Gratianus Fulginas Vmber, sub cuius regiminis initium, per P. Franciscum de Zampano Calabrum, omni pietate ac sanctitate insignem excitata fuit in Calabria Congregatio piorum Religiosorum, in omni rigore, pietate, & zelo Deo famulantium, quæ in breui tantum exercuit, vt ab vno regi non potuerit, sed diuisa fuerit in Calabriam citra, & vltra, cui subsunt facilè XL. Monasteria. Excitata etiam fuerunt Monasteria S. Mariæ Gratiarum Ebnræ, & in Regno Castellæ Astigitanum operâ piorum ciuium.

Congregatio Calabriæ.

Anno M. DIII. Vrbs Papiensis eiusque districtus, sæuissima affligebatur peste, desperato etiam irritoque omni humano auxilio, vnde ad Diuinum conuersi deprecatorem B. Augustinum interpellant, solenni ac publico ritu, voto etiam emisso communi Senatusconsulto ac plebiscito sese quotannis duodeuiginti faces (totenim sunt Consiliarij ciuici) albas oblaturos. Quo voto videtur placatus Deus intercedente S. Augustino, nam è vestigio cessauit morbus, morbidi fuere in integrum restituti, vixque interim illa-

lues

lues illas regiones vlterius inuasit, prout hoc æterno apposito monumento S.P. Q Papiensis clarius in sua æde Senatoria expressit.

Anno M.DIV. Zaccharia Sauonensi defuncto, in officium Sacristæ Pontificis sufficitur P.F. Nicolaus Aquileosis, quem paulo post Iulius II. promouit ad Archiepisc. Dyrrachiensem, eiusque opera vsus fuit in varijs Legationibus, quibus obeundis erat dexterrimus.

P. Nicol. Aquileos Sacrista & Archiep.

In Hispania P. Antonius de Fuentes tanta sanctitate & doctrina dicitur inclaruisse, vt illius suasionibus Sarraceni Hispali commorantes fidē Christianam amplexi sint: qui etiam pleraque Monasteria Castellæ in muris & moribus collapsa restituit, ac tandem sanctissime obijt miraculis clarus in Eremo, iuxta Arenatis oppidum.

B. Antonius de Fuentes Apost. Hispalensium.

Magnum nomen *istis diebus*, & sibi apud Deum, & Ordini apud homines fecit P. Martinus Vllate, de Estella Hispaniæ oppido, qui cum Illustris. esset familiæ, consilijque Regalis Nauarræ Præsidens, Ordinem S. Augustini ingressus fuit, auctaque fama, & authoritate, qua antea pollebat in fæcularibus, vberrimos in Ecclesia Dei fecit fructus; eius enim intuitu ciues Estellæ, inprimis Ecclesiam ac Monasterium S. August. ex primis fundamentis intra vrbis mœnia extruxerunt, continuisque beneficijs illud deinde prosecuti sunt.

P. Martinus Vllate Præsidens consilij Reg. Nauar.

Doctissimos etiam Religiosos tunc protulit Italia, Hieronymum Romanum, & P. Basilium de Ripa Brixiensem concionatores eximios, quales vix habuerat Italia. P. Iacobum etiam Philippum Bergomen. Historiographum insignem, qui septuagesimo quinto suæ ætatis anno Bergomi decessit è viuis, cum prius Monasterium illud, vna cum Ecclesia pristinæ formæ ac nitori, amplissimis sumptibus. Præ cæteris tamen in omni scientiarum genere, & vitæ grauitate antecelluit P. Paulus Zabarella Patauinus, quem virtus & industria euexit non solum ad Archiepiscopatum Pariensem, sed ad administrationem Patauinæ Ecclesiæ, cuius extitit Vicarius perpetuus, Academiæ Procancellarius continuus, & sanctissimi Clementis VII. Consiliarius intimus. Illius aliorumque opera, quæ extant, refert Pamphil. Obijt Zabarella *Anno M.DXXV.* eique hoc Epitaphium posuit Franc. Sauonarola.

Viri eminentes Italiæ.

Paul. Patau. Zabarella.

Epitaph. P. Pauli Zab.

Doctus adit cælum facundo carmine Flaccus,
Et dedit Euganei lumen vterq; soli.
Nomen ad æthereum Patauì lux mittit Olympum,
Romanæ princeps Liuius historiæ.
Paulus in eloquio, Corneli, numine cælum
Possidet, Aonias hinc facer ambit aquas.
Quantum alijs igitur numeris, aut ore soluto
Antenor debet, tam Zabarella tibi.

Anno sequenti P. Gratiano Priori Generali communem viam carnis ingresso Perusij, substituitur P. Augustin. de Interamna, qui difficillimo tempore ad Ordinis clauum admotus, fortius eundem pressit.

Obit. P. Gratiani Perus.

CAPVT XXXIV.

De P. AVGVSTINO INTERAMNENSI XXXII. Generali.

Anno 1505. P. August obitus primo anno.

PROMOTVS ad Generalatum Reu. P. Augustinus, rem Ordin. ita sibi cordi duxit, vt breui oneri succubuerit, vix enim sanum diem passus, breui post primum regiminis annum occubuit.

Fund Conu. Burgimbresi.

Illius interim tempore, Deo corda Principum dirigente. Margareta Maxæmyliani Imperat. filia, & vxor Philiberti Sabaudiæ, extrui iubet in honorem S Nicolai de Tollent. Monasterium celeberrimum Burgibressiæ, vna cum Ecclesia: vbi videre est certamen inter artem, & materiam, quæ nobilissima ac splendissima à nitore lapidis commendatur, cui tamen non cedit industria manus artificis, ad regulam Mathematicam adstrictissima.

Duo Episc. Siciliæ August.

Docuerat tunc etiam, annis fere decem in Parisina Vniuersitate Theologiam P. Dionysius de Murcia Hisp. qui Archiepisc. Messanensis, & Hieronymus Patauinus qui Argoliceosis vrbis Episcopus in Sicilia creati fuere.

Cong. Saxonica celebrat capitul. Norimb.

Hoc eodem anno Fratres Congregationis Saxonicæ cum sese subduxissent ab obedientia Generalis, Congregationem seu Capitulum suum celebrarunt Norinbergæ, cui interfuerunt sacræ Theolog. Doct. VII. constitutiones particulares ediderunt, easque typis mandauit Ioannes Staupitius Vic. Generalis. In eadem Congregatione, cum animaduerterent Patres congregati, sese nullo modo, vel saltem difficulter posse carere Romanâ curiâ, vbi iam non habebant Generalem, legarunt P. Nicolaum Beslerum Vercellas ad Capitulum Congregationis Lombardicæ, qui vnionem cum illis Patribus talem texeret, quæ non esset eorum vt subditorum, sed vt sociorum annexio, non in alium finem quam vt gauderent beneficio Procuratoris Curiæ, eiusdem Congregat. quod etiam obtinuerunt; fuerunque in eorundem Patrum vnionem admissi, vt constat ex litteris originalibus, quas legi in Archiuio Monachiensis Cœnobij, expeditis Vercellæ *XV. Calend.* Maij, à R. P. Alphonso Mustio Vic. Generali, & Præside capituli Congregationis Lombardicæ.

Edit consti. tus speciales.

Vnitur illa Cong. cum Lombardiæ Congreg.

Godescalcus, & Reinardus viri docti.

Vixit in eadem Congreg. Saxonica Godescalcus Hollen, natione Saxo, vir religiosus, disciplinæque amantissimus, doctrina & eloquio celebris, vt testatur Præceptorium ab illo editum Norimbergæ anno M.CCCCXCVII. vbi etiam suum opus quadragesimale impressit P. Reinardus à Laudenburch Theologus præstantissimus, ac concionator disertissimus.

P. Calepinus laudatur.

P. quoque Ambrosius Calepinus, notissimus bonarum litterarum studiosis, hisce annis edidit suum Promptuarium latinæ linguæ, in quo egregie ostendit, quantum tum in illa, tum in alijs idiomatibus profecerit, cum vix apicem omiserit, vix phrasim aut dictionis vmquam non attigerit.

Sub finem huius anni in quo versamur, Læodieosis Cœnobij structura committitur Ven. P. F. Thomæ Iaupenio: is etenim, cum paulo ante fundus testamento D. Alexandri Seranij in commodiorem, nec valde ab illo dissitum transmutatus fuisset, videreturque is locus ad ripam Mosæ, & amœnior, & frequentiori populo expositus, ibidem prima Monasterij ac Ecclesiæ iecit fundamenta, Deo imprimis, Illustrissimo deinde Principe à Marca, alijsq; fidelibus opitulantibus, quod describit vulgaris ac illius sæculi Poeta hoc versu:

ALter TarpeIa IVLIVS præfVLget In ArCe
erarDIqVe saCra LegIa fVLta basI est.
tVrba aVgVstIno statVens VbI sanCta noVeLLi
teCta LarIs, IVnCtIs VIrIBVS aVXIt opVS.

Idem

Idem P. Prior, vt feruorem populi excitaret, celebrem instituit ibidem confraternitatem S. Annæ, cui magna pars illius ciuitatis nomen dedit, quæque adhuc hodie maxima populi pietate viget, ita vt exciti ciues singulis diebus Martis accurrant turmatim, ad officia Ecclesiastica huic gloriosæ Deiparæ parenti dicata, ex euidentibus signis frequentissimis, tantæ pietatis sentientes effectum.

CAPVT XXXV.

De ÆGIDIO VITERBIENSI XXXIII. Generali.

ANNO M. DVII. Conuentus Ordin. celebratus fuit Neapoli, vbi in Priorem Generalem creatus est Ægidius de Viterbio, trium linguarum peritia, prædicandi gloria, & apud Principes singulari gratia insignis. Fuit hic Ægidius Iulio II. Pont. Max. percharus, ab eoque plurima Ordin. priuilegia impetrauit, magno Ordin. bono. *Promotio Ægidij Viterbien.*

Claruit in Bohemia his annis P. Georgius Dux de Theck, qui Ordinis S. August. habitum assumpserat inuictis Fratribus, Ludouico, Friderico, & Vldarico, quibus postea fuit dilectissimus, ob insignem pietatem, singularemque virtutum exemplar, quo nobilibus omnibus plus virtute quam genere prælucebat. *Dux de Theck Ordin. S. August.*

Anno M. DXI. Obijt D. Nicolaus Archiepisc. Dyrrachien. Apostolici Sacrarij Præfectus, eidemque ex Ordine substituitur Ven. P. Gabriel Anconitanus, Theologus insignis, vt præclara testantur opuscula relicta non pauca.

Fratres quidam in Illyrico, seu Dalmatia, ad meliorem vitæ frugem anhelantes, restaurant Monasteria illius Regionis, præcipue Lesinæ, vbi sub arcta disciplina piissimam Congregationem instituerunt de Reu. P. Generalis licentia, eamque Dalmatiæ Congreg. appellarunt, estque Reuerendiss. Generali ex integro submissa. *Congregatio Dalmatiæ.*

Hoc etiam anno fundatur Monast. monialium S. Mariæ de Gratia Abulense in Hispania à quibusdam nobilibus mulieribus, quæ in sancta Societate ibidem viuebant absque vlla Regula, & Religiosoamictu, donec pijs moribus, verum quæ ab Episcopo impetrarunt. In hoc Monast. vixit aliquamdiu, educataque fuit B. Teresa Ordin. Carmelitanorum restauratrix. Ædificatum etiam fuit eodem hoc anno Monast. S. Mariæ de IESV, in Betica Guecij, à D. Teresia Enriquez, quod fœcundum seminarium fuit beatarum puellarum, atque in odium Christianæ Religionis à Mauris, *Anno M. DLXVIII.* exustum, & omnino deletum iacuit, nunc vero rursus assurgit. *Fund. Monast. Abulæ.* *S. Teresia educata fuit inter Augustinianas.*

In Regno Castellæ fundata fuêre monasteria Monialium S. Mariæ Paradisi in oppido Chincon, ab Andrea Cabrera, & D. Beatrice Bouadilla Marchionibus Mogiæ, & Monast. S. Crucis in ciuitate Rodrigana, à D. Beatrice Packeco, quæ in eodem Monasterio professa, vitam asperrimam egit, sanctissimeque obijt. In comitijs Ordin. Eremit. Generalibus Viterbij celebratis, præsedit hoc anno Card. Farnesius qui postea Pontifex Max. fuit creatus, & Paul. III. appellatus. *Fund. Monast. monial. Chin. con & ciuit. Rodrig.* *Capit. Viterb.*

Florebant tunc temporis in Italia PP. Desiderius Parodius, Antonius Dulciatus, Philippus Mantuanus, Nicolaus Veronensis, August. Fiuizanus, Antonius Melius Cremonensis, & Ioan. Bapt. Signorinus, quorum monumenta scripta refert Pamphilus. In Gallia etiam Guichardus de Lessard Patricius Lugdunensis Episc. Hierapolitanus, & Ioannes de cruce Ambianensis, quorum laudes recenset idem Pamphilus. *Viri eminentes Italiæ.*

Conc. Lateranense a Theologis Augustinianis decoratum.

Anno M. D XII. Concilium Lateranense celebrari cœpit, ad quod præter frequentes Episcopos Ordin. Theologi plures fuere Romam euocati, nonnulli etiam Ordin. S. Augustini. Prima oratio in eodem Concilio commissa fuit Reu. P. Ægidio Generali, vt is classicum pulsaret, omniumque animos ad recipiendum Spiritum sanctum excitaret, quæ oratio à Sadoleto vti omnibus numeris absoluta commendatur.

Ægidius Viterb. fit Card. & Legatus, ad Reges ac Princip. Cath.

Idem Ægidius non ita post à Leone X. in Cardinalium numerum assumitur omnium applausu maximo, & ab eodem Pontifice mittitur Legatus ad Hispaniæ Regem, aliosque Principes, vt etiam eosdem, qua pollebat eloquentia, excitaret ad bellum coniunctis viribus ineundum contra Selymum Turcarum Imperatorem, qui victoriâ Persarum adeptâ, contra Christianum nomen, quasi radicitus illud extirpaturus insolescebat.

Defectio Lutheri.

Eodem hoc anno M. D XVII. Quo tantum bonum per Ægidium Card. procurabatur, ex Congreg. Saxonica quæ defecerat à capite Generali Ordin. S. Augustini, etiam à vera fide Catholica defecit Martinus Lutherus, merum Diaboli instrumentum, non tam ob præsumptam euidentiam veritatis Euangelicæ, quam ob conceptum odium P. Ioannis Techelij, Ordin. S. Dominici, qui Saxo Pyrnæ natus authoritate Leonis X. Pontificias indulgentias Wittembergæ deprædicabat, sese ibidem magnum ac gratum Ecclesiastem posthabitum nequaquam ferens. quæ nec prima causa fuit odij, quod altiores egerat radices, Ordinis in Ordinem, ob frequentes concertationes pro suggestis, ac cathedris; quæ æmulationes quantum noceant, vtinam vel alios doceant.

Accedebat magnum mali animi fomentum, Fredericus Saxoniæ Dux, qui cum iniquo in Romanos esset animo, ob Carolum Austriacum ad Imperium promotum, venabatur ansam vindictæ, vnde faciles aures obgannientibus Romanæ dignitati præbebat, sicque placuit altissimo permittere vnius Lutheri casum, forte vt plures ex eodem Ordine ardentius assurgerent, & magni Parentis Augustini vitam, mores, ac doctrinam penitius imitarentur. Apologiam vlteriorem Ordinis nolim hic adscribere, cum pro eo eandem scripserit S. August. in Psal. 111. *Qui dicturus es mihi*, &c. Nec Ordini quisquã merito succenseat, bonus est Ordo, bonum est caput Ordinis, Augustinus Sanctiss. ac doctissimus, qui adhuc hodie pugnat, & pugnabit scriptis suis pro Dei Ecclesia. de hoc scribit ipse hæreticus Stanearus. *Plus valet vnus Austin quam centum Lutheri, ducenti Melanthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri martyres, qui omnes si in mortario tunderentur, non exprimeretur vna vncia veræ Theologiæ.* Immo inter S. August. encomia, & Lutheri infamiam magnum est chaos.

DE S. AVGVSTINO CANTAT ECCLESIA.	DE LVTHERO PIVS POETA.
De profundis tenebrarum	*De profundis tenebrarum*
Lumen mundo exit clarum,	*Prædo surgit animarum,*
Et scintillat hodie.	*Et punitur hodie.*
Olim quidem vas erroris,	*Olim quidem vas honoris,*
Augustinus vas honoris	*Luther erat, mox erroris,*
Datus est Ecclesiæ.	*Hostis inde Ecclesiæ.*
Verbo Dei dum obedit,	*Verbo Dei dum vix credit,*
Credit, sperans, & accedit	*Fuit errans, & recedit*
Ad Baptismi gratiam.	*A baptismi gratia.*
Quam imprimis tuebatur,	*Quæ tam prius tuebatur,*
Verbis, scriptis, execratur	*Nunc blasphemans execratur*
Erroris fallaciam.	*Veritatis dogmata.*

Firmans

Firmans fidem, formans mores,
Legis sacra peruersores
Verbi necat gladio.
Obmutescit Fortunatus,
Cedunt Manes, & Donatus,
Tanta lucis radio.
Mundus marcens & inanis,
Et doctrinis doctus vanis,
Per pestem hæreticam,
Multum cœpit fructum ferre,
Dum in fines orbis terra,
Fidem sparsit vnicam.
Monachalis vita formam
Conquadrauit iuxta normam
Cœtus Apostolici.
Sui quippe nil habebant
Tamquam suum, sed viuebant
In commune Clerici.
Sic multorum pro salute,
Diu viuens in virtute,
Tandem bona senectute,
Dormiuit cum Patribus.
In extremis nil legauit,
Qui nil suum æstimauit:
Immo totum reputauit
Commune cum Fratribus.
Salue gemma confessorum,
Lumen Christi, vox cœlorum,
Tuba vitæ, lux Doctorum,
Præsul beatissime.
Qui te Patrem venerantur,
Te ductore consequantur
Vitam in qua gloriantur.
Beatorum animæ.

Scindens fidem, fœdans mores,
Legis sacra professores,
Lingua truncat gladio.
Stant Hussitæ, Anabaptistæ,
Et inclamant, quis est iste,
Nouus author hæresis?
Saxo mollis, & inanis,
Fores recludit profanis,
Per pestem hæreticam.
Malam cœpit frugem ferre.
Dum per fines suæ terræ,
Seminat zizania.
Monachalis vitæ formam,
Deformauit iuxta normam
Cœtus Diabolici.
Sui quicquid rapiebant,
Suum erat, & viuebant,
Vxorati Clerici.
Sic multorum cum ruina,
Diu viuens hac doctrina,
Morte tandem repentina,
Decidit in barathrum.
In extremis nil legauit,
Qui tunc mori non putauit,
Immò cum bene potauit,
Ore clauso crepuit.
Procul cæce, dux cæcorum,
Vmbra fœtor inferorum,
Tuba mortis, vox bellorum,
Exul perfidissime.
Qui te Patrem venerantur,
Te ductore condemnantur
Igni, in quo cruciantur
Damnatorum animæ.

Notauit Ezechiel casum Luciferi, Euangelistæ casum Iudæ Coapostoli, & D. Ioannes casum Antichristi, quid ni, & nos exprimamus casum Lutheri? Frater fuit in Ordine S. Augustini, sed fuit; esse desijt, vbi ex Ordine ad confusionem transijt: & sic ex nobis non fuit, & vere nec tunc membrum fuit, cum recessit, nam capiti Ordinis, nec ipse, nec ipsius Congregatio parebat, vt latius superius, & postea plenius deducam.

Antagonistæ Lutheri ex Ordin. S. Augustini diuina proud. submissi.

Eodem hoc anno, immo eadem die, Diuino miraculo Salamanticæ suscepit habitum Ordin. Eremit. S. Augustini, Beatus Thomas de Villanoua, per quem Deus voluit restaurare in Ordine, id quod tunc per Lutherum adimebatur, cuius etiam meritis, pro demeritis scelesti illius Apostatæ videbatur ita Deus delectari, vt Religioni parceret, in illaque eodem tempore plures viros eruditione, ac pietate præstantes excitaret, qui spiritu Dei acti, ad pugnandum pro S. matre Ecclesia egrederentur armati doctrina, ac moribus fortissime.

B. Thom. de Villanoua.

In Lusitania P. Rodericus S. Crucis vir in omni doctrinarum genere eruditus, Emmanueli Lusitaniæ Regi domesticus Consiliarius, zelosissimus multum Religionem Christianam, maxime in Maurorum oppugnatione, promouit.

P. Rodericus S. Crucis.

P. Ber-

P. Bernard. Tolos.

P. Bernardus Andræas Tolosanus hac ætate in Angliam descendebat, ibique Regi Henrico author fuit, vt Defensorium contra Lutheranos errores scriberet. Is enim vel maxime excelluit in arte oratoria, ac poëtica, eoque nomine Regius orator fuit declaratus, ac Regiæ Bibliothecæ, nec non Typographeio præfectus accuratissimus.

Dionysij Vasq. merita.

Doctor Doctorum vocatus fuit.

Dionysius Vasquez à Toleto celeberrimus, claruit hoc sæculo in Italia, tantæque ibidem erat famæ, vt à Leone X. alter Dionysius Areopagita vocaretur. Missus etiam fuit hic Dionysius Carolo V. Imperatori ab eodem summo Pontifice, cum hac præfatione: *Mittimus tibi alterum Eliam.* Mirum quomodo hic Dionysius tantum abhorruerit dignitates, vltro citroque non semel oblatas à Cæsare, malens Euangelicæ prædicationi, & sacræ Theologiæ professioni insistere, quam magnis Ecclesijs præesse. Illius voluptas & gloria fuit, dum Compluti doceret, quadraginta Doctores Theologiæ, in subsellijs, tamquam auditores ab eius ore pendentes, frequenter numerare. Multo etiam plures in concionibus frequentissimis, nouitate expositionis litteralis, antehac non vsitata in Hispanijs excitos. Obijt tandem Toleti non sine euidentibus sanctitatis signis, cum prius diem sui obitus, multis renunciasset, mansitque illi nomen, *Doctoris Doctorum.*

Ioan. Staupitij vita.

In ipsa Germania vbi ecclypsim patiebatur Ordo, per ortum Lutheri, micabat eodem tempore, & doctrina, & genere & meritis insignis P. Ioannes Staupitius Congreg. Saxonicæ Vic. Generalis, qui pluribus Legationibus functus, nomine Illust. Princip. Salisburg. Conc. Lateranensi interfuit cum plenaria potestate agendi, ac concludendi. Lutheri ante defectum Mœcenas, post hæresim infensus hostis, cuius plura extant scripta Catholica, Lutheri hæresim non parum damnantia. In illius perditi Apostatæ reductione, vna cum Cardinale Caietano Augustæ plurimum laborauit, at incassum, vnde in Salisburgensem Archiepiscopatum concessit, vbi mox Cardinalis Archiepisc. Consiliarium egit, atque ad Abbatialem dignitatem celeberrimi monasterij S. Petri Ordin. S. Benedicti etiam Monachorum suffragio, prouectus fuit, quam laudabili officio biennio tantum rexit, corpore exutus in festo SS. Innoc. Anno M.DXXIV. cuius hoc extat Epitaph.

Aspice mortalis præsentia busta iacentum,
Quid valeat fastus, diuitiaq; vide.
Arida comperies exhaustis ossa medullis,
Fidere quid possis, ipse videre potes.
Quem probitas, quem cana fides, quem cinxit honestas,
Qui tenuit, quicquid pagina sacra docet,
Abbas Staupitius tumulo requiescit in isto,
Sit precor huic requies, in regione poli.

Bartho. Vsing.

In Anastasi.

Huic libet adiungere P. Bartholomæum D'Vsingen quondam Lutheri Magistrum, qui illius inter primos, & acerrimos numeratur antagonistas. Statim enim ortâ hæresi, librum scribit: *De falsis Prophetis, tam in persona, quam in doctrina euitandis:* alterum, *De prædicatione Euangelij; De cœlibatu Sacerdotum; De merito bonorum Operum*, aliosque Lutheranæ doctrinæ oppositos, quos refert R. P. Gratianus oblitus insignis operis de Missa stabilienda, quo Fratres Wittenbergenses firmauit. Huius viri extat memoria Herbipoli cum hoc epiphonemate.

Epitaph. Vsinghij.

Olim me Luther sit præceptore magister,
Fit simul, & frater Religione mihi.

Deser-

Deseruit sed vbi documenta fidelia, Doctor
Dexteri primus, falsa docere virum.

Omisit etiam Pamphilus, & alij cum illo, insignem illius ætatis virum P. Augustinum Cappelmayr, cuius meminit Eckius, qui in illis turbis nouæ doctrinæ, insignes edidit tractatus Ingolstadij impressos, præcipue opus eruditissimum *de littera occidente & spiritu viuificante*. Huic P. August. fidem Catholicam conseruatam, in sua Bauaria frequenter adscripsit Ser. Dux Albertus.

P. Aug. Cappelmayr.

Floruit etiam, & doctrina sua plurimum profuit Palatinatui inferiori P. Augustinus Lupff, in Academia Heidelbergensi tunc Professor, & egregius præco verbi Diuini, quo Vigilante & Latrante hæresis nunquam illas ditiones inuasit.

P. Augustin. Lupff & Matius.

Tantundem præstitit in Diœcesi Augustana P. Ioannes Cantzeler Mindelhemiensis, Episcopi Augustani Theologus, & Pœnitentiarius Generalis. Illis annis florebat P. Augustinus Marius præclarus Theologus, Lutheri condiscipulus, qui postea creatus fuit Episcopus Saloniensis, & Illustrissimi Principis Herbipolensis suffraganeus. Ratisponæ vixit, & monasterio præfuit P. Hieronymus Streitelius insignis verbi Dei præco, plurimum laudatus à Christophoro Ostrofranco Religioso S. Emerani, ob peritiam sacrarum litterarum, & historiarum veritatem; ex eodem monast. tunc vixit, & scripsit Viennæ P. Stephanus Sutorinus, qui totam Austriam eloquentia sua rapuit, maxima cum laude ibidem Theologiam professus.

P. Ioan. Cantzeler & Hieron. Streitel.

Agmen claudat inter coætaneos Lutheri antagonistas, Ven. P. Conrardus Tregarius Heluetius, suæ Prouinciæ Prior Prouincialis, qui enascentem hæresim egregie studuit pessundare, in quem finem edidit *Paradoxa centum de Ecclesia, conciliorumq; authoritate*. Huic vni, adhuc hodie adscribit conseruationem suam in Catholica Religione Friburgum cum vicinis oppidis. De eodem Patre hoc laudabile scribit Surius, quod sub initium Zvvinglianismi, Bernæ in Heluetia *indicta Catholicorum cum Zvvinglianis disputatione, nullus Catholicus Doctor, præter vnum F. Conrardum Trigarium ausus fuit comparere*, hic vti alter Athanasius solus causam Dei, & Ecclesiæ, etiam cum euidenti periculo vitæ acriter defendit, ac ne tunc inter Heluetios totaliter reijceretur effecit.

Tregarius Heluetiorum Apostol.

Omitto P. Mag. F. Augustinum Antipolitanum, P. Achatium Claus, P. Petrum Stiglerum qui omnes, omni conatu vnà cum alijs multis Luthero sese opposuerunt primo, vt matrem Ecclesiam tuerentur, deinde vt Ordinem S. Augustini à tali næuo hæreseos, infamiæque liberarent.

CAPVT XXXVI.

De GABRIELE VENETO XXXIV. Generali.

ANNO *Christi M. D. XIX.* Synodus Ordinis coacta est Venetijs *tertio Idus Iunij*, vbi præsente Cardinali Ægidio electus fuit in Generalem P. Gabriel Venetus, vere industrius, & ad magna natus, prout in ipso sui regiminis initio satis declarauit egregijs suis statutis, ac ordinationibus, quibus Ordinis vnionem firmauit, ac paupertatem mirabiliter fouit, commendans silentium, laneorum indumentorum vsum, clausuram cæteraque ab illo introducta.

Anno 1519.

Anno M. D. XXII. P. Philippum Æmilium de Penauillo martyrem nobis concessit, is enim Solimanno Turcarum Rege insulam Rhodi occupante,

P. Philippus martyr.

cum in eadem Insula, & ciuitate per septem menses obsidione durante, verbum Dei nodesesè prædicasset, populumque ad toleraodam inediam, vigilias, miseriam, & labores excitasset, fortitudinis egregiæ præbens exemplū, in medijs hostibus, confirmans militum animos, donec telorum vi occubuerit, constantissime persistit.

P. Gondisalnus Beatus. Vixit hoc anno in Regno Castellæ apud oppidum Duennas P. Gondisalus de Barolona Religiosissimus, & inter beatos merito censendus, de quo inter alia memoratur, quod aliquoties solus horas noctis persoluerit, assidentibus Angelis, psallentibusque ac respondentibus, Religiosi accurentes obstupefacti præ foribus chori dulce spectaculum intuiti sunt.

Venerum etiam Monasterium hisce anois iodustria, labore & sumptibus Prioris Generalis Mag. Gabrielis reparatur, non minus ornatè quam pretiose, quod describit amplissimis verbis Bembus lib. 6. epist.

P. Albertus historicus. Historiam Pannoniæ, quam Austriam & Stiriam nuncupamus, scripsit hoc anno Albertus Bosteten Teutonicus, præclarâ eruditione refertam, eamque Imperatori Maxæmyliano dedicauit, cui is eonomine gratissimus fuit.

Dignitates Patribus Gallis collatæ. Ludouicus Chantereau *Anno M. D XXV.* Episcopus Matisconensis, Abbas S. Euberti, Galliæ Regi Francisco Primo à Confessionibus, Ordinem plurimum exornabat, vna cum R. P. Ioanne Roualt Theologo insigni, qui cum esset Ecclesiæ Andegauensis Propræsul, hisce annis Episcopus Ranaoensis in Britannia creatus fuit.

Itali eminentes. Æterna memoria digni vixere hoc tempore in Ordine S. Augustini, P. Angelus Mediolanensis cognomento Bellabucus, Nicolaus Romagenus Turrioensis, Siluester Meucccius, qui omnes celeberrima opera typis mandarunt.

P. Felix Hebræor. flagellum. P. Felix Pratensis genere Hebræus Psalterium integrum, librum Iob, & alios è sacra Biblia felicissimè transtulit in Latinum idioma; multis annis Hebræis Romæ existentibus concionatus fuit, multarumque conuersionum author, cum ita clarè, ac feruenter illos confutaret vt *flagellum Hebræorum* communiter diceretur.

P. Ambros. Neap. dictus Plato Christianus. P. Ambrosium Neapolitanum virtus, & industria euexit eodem tempore ad Episcopatum Lamosensem, & ad Ecclesiæ Mantuanæ Propræsulatum, in qua dignitate Plato Christianus videbatur, ita doctè scripsit de rebus Academicis, Lutheri hæreses insigni tractatu pro missæ sacrificio refutauit, & Principes plurimos in recta fide solidauit, missus quoque à Seren. Mantuarum Duce Clementi VII. congratulatus est Pontificiæ dignitatis adeptę fastigium.

B. Thadæi de Canaria detectio. Mirum ac inauditum quod hic subtexam de Religioso S. Augustini apud Mauros celebrato, & hoc anno detecto. Refert Mag. Marquerz *Anno M. DXXV.* primum, ac deinde multoties diuersos Maurorum Satrapas iuxta Insulas Tenerife, ac ciuitatem Tagaus oriundos, dum captiui apud Christianos detinerentur, magno honore, ac reuerencia prosecutos fuisse Fratres Ordin. S. Augustini, idque quia illos videbant in illo habitu, quo referebant Sanctum quendam virum apud illos iam defunctum, superesse, ac indies miracula operari cuius relationis, necnon miraculorum fama excitati, inquit, Patres Ordinis Conuentus S. Christophori in Lusitania, statuerunt eo proficisci, ac coram singula huius viri monumenta discutere., in quem. finem literas impetrarunt à Gubernatore tum captiuo, ad Vicarium. ibidem relictum, vt eisdem Patribus aduentantibus permitteretur ac cessus ad hoc Sanctum corpus, & lustratio loci. Quibus habitis itineri

Visitatur locus à duobus Patribus. sese commiserunt. R. P. Henricus Oliuerius Prior S. Christophori, & P. Michael Vecobius, qui cum salui, ac incolumes appulissent ad Insulas Tene-

Tenerife, ac non procul à ciuitate Tagaust abessent, suum accessum Gubernatoris Vicario insinuarunt, à quo perbenigne habiti, ac non ita post ad inspectionem illius sancti admissi sunt. Nomen huius sancti inquirentes, nihil aliud resciuerunt, quam communi fama dici Augustinum. De obitu, modo, tempore ac loco nihil aliud obtinuerunt quam traditionem antiquam, extra hominum memoriam hunc virum ibidem semper fuisse. Notauerunt autem correspondere habitum, cingulum, caputium, rasuram, aliaque omnia veris Fratribus S. Augustini: Sacerdotem fuisse indicabat corona, & ætas quadraginta circiter annorum. Beatus vero esse colligebatur, & carnis integritate, quæ post tot annorum spatia incorrupta permanserat, ac constans in pedes oculis sub apertis, cælos intuens, immo sanctitas apparebat, & ex continuis illius miraculis, quæ infinita audiebant; & illa coram videbant. Illis etiam adhuc singula curiosius indagantibus, locus fuit ostensus parum à tuguriolo, in quo conseruabatur tale corpus, ad instar monasterij, vna cum cubiculo in quo & plerique libri, quæ omnia habitationi, nec non pietati illius dicebantur seruiuisse. Curauerunt autem prædicti Patres sibi de singulis testimonium authenticum, ac ita in Lusitaniam reuersi fuere. Eadē de hoc beato retulerunt alij Mauri ac Christiani *Anno M. D X L VI. & anno M. D L X V.*

Vocatur a barbaris Augustinus quia fuit Ordin. S August.

Miracula huius Beati.

Locus habitationis.

Immo recenter *Anno M. DCVII. die 11. May* Aluarus Ortiz Sambrana militaris disciplinæ præfectus in Insulâ Fortis venturæ, refert pleraque miracula huius sancti, quorum oculatus fuit testis. vidit ipse circumquaque illum Sanctum frequens noctu lumen, vidit cæcis lumen restitui ab eodem beato, & audiuit communi voce, & fama populum huius patriæ in omni sua necessitate solere ad hunc Beatum recurrere, eiusque gratiam demereri eleemosynis, quas primo Christianis aliquot solent offerre quæ etiam retulerunt vti verissima, tum Religiosi tum belli Duces posterioribus annis, de quibus latius ipse Marquez. Huius autem beati nomen dicit fuisse Bartholomæi vel Thadæi de Canaria, professum vero ex signis euidentibus dicit fuisse Vlyssipone, ac cum multis alijs descendisse in Africam Euangelij prædicandi gratia, ibique interijsse, ac iusto Dei iudicio ita seruari in testimonium fidei, & confusionem infidelium.

Gratiæ quæ præstantur infidelibus.

De hoc Beato est illud F. Cornelij epigramma.

Sub Ioue stat *pluuio* tria sæcula; *res miranda!*
Membraq́, cum tunicis salua Thadæus habet.
Dic quid erit, si non hæc est Constantia *vera,*
Non flexisse pedem Mortis ad imperium?

Hoc eodem anno Ferdinando & Elisabetha Regnum Hispaniæ gubernantibus, ac grauissimis bellis detentis, Adrianus Sextus concessit Regibus Hispan. perpetuum magisterium Equestris Ordin. S. Iacobi de Spata, eosdem Regulæ S. Augustini subijciens, quo tempore statuta Regularia fuère eidem Ordini conscripta, illudque inter alia, vt quotiescunque non fuerit Monasterium clericorum sui Ordinis, in loco residentiæ quocunque Equites S. Iacobi teneantur à Fratribus S. Augustini habitum suscipere, apud illos nouitiatum agere, profiteri, ac si intestati recesserint, sepeliri.

EQVITES S. IACOBI, sub Reg. S August.

Obligat Equitum S Iacobi erga Ordin. S. August.

Anno M. DXXVI. Comitia Generalia Ordinis habita sunt Taruisij, in quo Capitulo Ordo Eremitarum ostendit, quantum sibi displiceat casus Lutheri, cui tantum abfuit, vt in aliquo consentiret, quin eiusdem Apostatæ hæreses ibidem communi calculo damnarit, cauendo ne cui liceat libros eiusdem retinere, legere, declarare, defendere, aut de eius opinionibus disputare, sub grauissimis pœnis.

Anno 1526. Statutum Cap Taruis. cont. Luth.

Anno sequenti Parisijs in Monasterio S. Augustini celebratum fuit Concilium Prouinciale Senonense, Præsidente Antonio S. R. E. Cardin. Archiepisc. Senon. & Galliæ Primate, eni plurimi Patres Ordin. S. Augustini interfuere, illud ipsum Concilium non parum promouendo doctis disputationibus, ac votis eruditissimis ad Ecclesiæ reform. conducentibus.

Obitus Card. Ægidij.

Anno M. D XXXII. Cardinalis Ægidius sexagesimo tertio suæ ætatis anno, pituita subita oppressus Romæ interijt, quem egregie in Elogijs suis extollit Paulus Iouius, & Arnoldus Ferronus, tanquam Italiæ columen, Maronem, ac Ciceronem; immo Sadoletus cum vocabat, *clarissimum illius sæculi obscurascentis lumen Ecclesiæ*, cui etiam hoc Epitaphium posuit Ianus Vitalis Panormit. Poeta.

Ante sacrosanctos cineres bona verba viator
Dicito, diuinus hic iacet Ægidius:
Qui potuit linguâ humanas inflectere mentes,
Et trahere hærentes feruidus ad se animos.
Quidquid pandit Arabs, diuinum quidquid Erembus
Diues Arameis occulit in tabulis,
Explicuit populis; & si quid spiritus vltra
Sentit, adhuc sanctum, quod meditetur habet.

Viri eminentes Italiæ.

Celebrat etiam hisce sæculis, Ioseph Pamphil. inter præclaros viros Religionis P. Augustinum Fogiadenum, P. Augustinum Saturnium Brixtensem, P. Valerium Bononiensem, P. Hieronymum Fulginatem P. Bellinum de Padua, P. Nicolaum Scutellium Tridentinum, P. Marcum Boctutium, eiusque nepotem P. Anselmum Vincentinum, P. Hieronymum Plumatium, ac P. Stephanum Recanatensem, quorum scripta in omni scientiarum genere commemorat, illosque maxime Italiæ profuisse asserit, præceteris verò Bellinum Patauinum, quod illi debeat Ecclesia Catholica martyrologium.

Primi Patres August. qui in Indias adueneres.

Anno M. D XXXIII. Ex mandato sedis Apostolicæ ad instantiã Regis Hispaniæ, destinantur plures Patres Augustiniani in Indias, ex quibus cum multi aduersa maris procella perijssent, salui appulerunt F. Franciscus à Cruce cognomento Venerabilis P. August. de Caron, quem postea promouit Rex ad Episcopatum Popaian. Hieronymus Ximenez, Ioannes de S. Romano, Ioannes de Osegueta, Alphonsus de Borgia, Georgius de Auila, & alij, quorum operâ Prouincia nominis Iesv fuit erecta, cum septem Monasterijs, inter quæ excellit Mexicanum, quod aliquot centenis millibus florenorum ex ærario regio desumptis, procurante P. Ioanne de S. Romano ædificatum, non ita post centum aluit Religiosos, fuitque Principium quinquaginta Monasteriorum, & mater plurimarum parœciarum.

Ordo Clericorum Boni Iesv.

Paulo antè Romæ Paulo III. authore sub Regula S. Augustini militare cœperunt Clerici Boni Iesv P. Hieronymo Malusello institutore, qui Rauennæ & alibi collectis egregijs viris clerum restaurare studuit, cum eoque collegialiter viuendo singulorum saluti consulere, habitu omnino clericali.

Persecutio Henrici VIII. in Anglia.

Eodem fere tempore, quo tantus numerus oriebatur Monasteriorum Ordin. S. Augustini in Indijs, cum notabili augmento Religiosorum in Ecclesiæ vineâ insigniter laborantium, nouo tumultu excitato in Anglia furit Henricus VIII. & præter plura celebriaque Monasteria omnium Ordinum, aggreditur hoc anno celebre Monasterium Eremitarum S. Augustini Londinense, in eoque R. P. Priorem vna cum toto Conuentu

376. ruafit Monasteria.

eosque

ORDINIS AVGVSTINIANI PERSECVTIO IN ANGLIA SVB HENRICO VIII



Romanæ primum FIDEI DEFENSOR, *at inde*
Vltima Romanæ pernicies Fidei,
Vxoris pater HENRICVS *gratæque maritus*
Regin Papa sui, Rex quoque Pontificum

Post thalami maculam defœdat sacra sacroque
Auidi spolium de grege prædo facit
Claustra quidem vacuat Monachisq; hanc eripit auram,
Sed vitam æternam reddit, et astra replet,

eoſque quod ipſius ſacrilegio, ac prætenſo Pontificatui ſeſe opponerent iubebat occidi; quod etiam crudeles ſatellites in ipſa Eccleſia ante ſummum altare, orantibus Fratribus omnibus, perpetrarunt, Eccleſiæ ac ſacrarij præda diuites.

Martyrium Fratrum Londinenſium.

Eodem etiam anno M. DXXXIV. Moritur P. Gabriel Anconitanus Apoſt. Sacrarij præfectus, eique ſufficitur ex eodem Ordine P. Alphonſus Aquilenſis, quem paulo poſt Paulus III. creauit Epiſcopum Bouianenſem, ac deinde Archiepiſcopum Amalphienſem.

Obitus Sacriſtæ & Promotio P. Alphonſi.

Florebat iſtis annis in Belgio Læodico Reuerendiſs. D. Petrus de Fine ex Ordin. & Conuentu Brugenſi S. Auguſt. aſſumptus Epiſcopus Dauenſis, & Suffraganeus Læodienſis, qui bene de Religione & Eccleſia Dei meritus, ſepultus fuit ante ſummum altare Læodij *Anno M.DXXXVII.*

Suffrag Læod. P. Petrus à fine,

Quo etiam anno pergebat in perfidia ſua Henricus VIII. Anglicanæ Eccleſiæ tyrannus, ſub quo paſſim Religioſi carceribus mancipabantur. De Ioanne Stoneo Auguſtiniano Cantuarienſi ſcribunt Alanus, & Surius; quod in tetro carcere Vigilijs, orationibus, ac ieiunijs intentus, ab Angelo confortatus fuerit, iuſſuſque conſtanti animo ſubire martyrium, prout etiam non ita poſt illud conſtantiſſime ſubijt, exſibilans carnificum tormenta.

Martyrium B. Ioah. Stonei.

Dial. 6. c. 44.

Sub eodem tyranno paſſus fuit P. Georgius à Roſa regio ſanguine oriundus, vna cum ſocio confratre, qui eum Romani Pontificis authoritatem abiurare nollent, neque Regis prætenſam Cathedram adorare, eiuſque conſilio parere, Martyrio ſunt affecti, illudque ſumma animi alacritate amplexi ſunt, inceſſanter populum à tanta veſania auertentes.

Item Martyr. aliorum in Angl.

Defungebatur tunc officio, ac vita Reu. P. Gabriel Venetus, indicebanturque comitia Veronam.

Sub idem tempus inuenio in Hiſpania obijſſe virum Venerab. P. Alphonſum Borgia, è Ducibus Gandia oriundum, quem magis doctrina, & pietas commendauit, ſuæq; genti ſuſpiciendum reddidit.

P. Alphonſ. IX. Dux Gandiæ pie obijt.

CAPVT XXXVII.

De IOANNE ANTONIO VERONENSI XXXV. Generali.

CELEBRATIS comitijs Veronæ, electoque P. Mag. Ioanne Ant. Veronenſi, qui ſolum ſeptem menſibus præfuit, magnæ ſanctitatis, ac eruditionis viri comparuerunt, pauloq; poſt vna cum Reuerendiſs. Generali deſierunt.

Anno 1538.

Aluarus imprimis Montero Luſitanus Vlyſſiponenſis, Chriſtianæ pietatis officijs deditiſſimus, multis indicijs ſuæ ſanctitatis in obitu, & poſt illũ præſtitis. P. Nicolaus Tolentinus Hiſpanus, Prouinc. Caſtellæ, & Conuentus Salamanticenſis alumnus, dum bellum in Peloponneſo agereтur, & imaginem Chriſti circumferret, militumque animos accenderet, à Turcis captus, verberibus cæſus, quatuor primis digitis ſacris præciſis, ac deinde crudeli martyrio, amputatis brachijs, in fruſta conſciſſus, lætus animam Deo reddidit. P. Ludouicus etiam de Montoya, vir moribus integerrimus Vlyſſipone poſtquam nomine ſedis Apoſtolicæ Prouinciam illam ad iuſtam diſciplinam conduxiſſet, ac multis annis potentiſſimi Regis Sebaſtiani conſcientiam direxiſſet, denique plura opera Theologica non minus docte, quam piè ſcripſiſſet, magno ſui relicto deſiderio expirabat, adhuc hodie miraculis celebris.

B. Nicol. Tollen.
B. Aluarus Monter.
B. Ludou. Montoya.

Doctrina Alph à Corduba.

Alphonsus à Corduba Salamanticam veniens, primus hisce annis sublimem illam scholasticam Theologiam ex Gallijs inuexit, cathedramque Gregorij Ariminensis, quæ nominalium dicitur, ipsius institutu institutam, illique collatam dudum rexit, tanto cum applausu vniuersæ Academiæ, vt, sui sæculi *doctissimi* nomen adipisceretur.

F. Michaël Epis. Viellen.

In eadem Hispania, tum Valentiæ tum Ilerdæ eminebat omni virtutum ac scientiarum genere P. Michaël Magniches, qui postquam in præfatis locis Theologiam ac deinde Ius Canonic. professus fuisset, Ecclesiæ Viellensi in Insula Sardiniæ præficitur, vbi infulam non minus, quam cathedram, magno cum Ecclesiæ fructu adornauit.

Iacobi Martin. Ioan. Beonardi & Ioan. Hoffmeisteri laudes.

Non minus Galliam, ac Germaniam ornabant hoc anno præclari illi viri Iacobus Martinez Galliarum Regi Francisco charissimus, Ioannes Beonardus Audeganus, & Ioannes Hoffmeisterus Colmariensis, præclari suis scriptis contra Lutheri hæreses euulgatis. Hoffmeisterus enim tanquam verus Anti-Lutherus Carolo Cæsari, ac Ferdinando Regi concionator assiduus, fraudes hæreticorum passim detexit, præcipuorum etiam ciuitatum Germaniæ Ecclesiastem egit, omnibus comitijs imperialibus, à Catholicis Principibus iussus adesse, ac Augustanam Confessionem oppugnare, prout doctissima illius scripta attestantur, maxima ex parte ab illo declamata, non sine euidentissimo vitæ suæ periculo.

Duo Itali Luth. opposit.

Hisce libet addere R. P. Peregrinum Nasellum Patauinum, qui eodem tempore, quadraginta & vnum articulos Lutheri iusto opere doctissime refutauit: quod etiam præstitit P. F. Petrus Aurelius Venetus libro suo, cui titulum præfixit *soli Deo*, exterminans omnia hæreticorum idola.

CAPVT. XXXVIII.

De HIERONYMO SERIPANDO XXXVI. Generali.

Anno 1539.

Hieron. Serip. encomia.

Octavo quo rexerat mense, Reu. Generali Ioanne Antonio moriente, comitia indicta fuere Neapolim vbi 8. Cal. Iunij Generalis eligitur P. Hieron. Seripandus, vir super omnes eximius, ob raras ingenij ac naturæ dotes, quibus parem addidit industriam, quâ ita apud homines profecit, vt cunctis gratus, cunctis vtilis, cunctis etiam venerabilis fuerit. Hispaniam quam primum visitauit, & inde Indiarum colonias multum promouit, submissis nunc quadraginta, nunc quinquaginta, nunc centum operarijs selectissimis ex grauissimorum Patrum numero, ne deesset qui panem frangerent esurientibus.

Ordinis incrementum in India.

Hinc non ita post, sub Indiarum Vicario P. Georgio D'Auila monasteria Oquilan de Malinalco, Acumulan, & d'Epatzoyachan elegantissime fuere inter Mexicanæ ditionis limites exstructa, cum decem alijs parœcijs.

FF. Augustinians sunt primi in detegendis & conuert. Philippinis.

Hoc etiam tempore Antonio de Mendoza ad inquirendas nouas regiones, nomine Regis proficiscenti, adiuncti fuere ad consilia P. Hieron. Ximenez, Alphonsus de Aluarado, Sebastianus de Traffiera, & Nicolaus de Perea, quorum opera detectæ sunt insulæ Maluceanæ, in quibus August. diu soli perstiterunt Christum prædicantes, nec nisi post nouum annum hi rediere, spirituali messe ditissimi, effoetnatis ac relictis alijs illius vineæ cultoribus.

Hisce alijsque obsequijs Fratres S. Augustini Hispaniarum, ac Lusitaniæ Regibus longe gratiores passim Monasteria impetrant, eaque exornant in vtroque Regno, Ioannes III. Collegium S. Mariæ de Gratia Conimbricæ construi,

construi, dotarique mandat. Madriti Rex Philippus adhuc adolescens egregium Monasterium Ordin. S. August. vna cum Ecclesia, sua maiestate non indignum promouet, alijsque locis aomnum addit, vt Monasteria S. Augustini erigantur publico bono. Nec segnioresio Indijs studio Ioannis Romani duo rursus Monasteria eriguntur *Anno M. D XLI.* Quachinanco, & Meztitlan, cum parœcijs duodecim.

Erectio Coll. Comm. & Mon. Madriti.

Nouæ Colon. Indiar.

Hoc etiam anno nouus surculus Regulæ S. Augustini inseritur à B. Ioanne Lusitano, qui hospitalibus, ac infirmis addictissimus, plures sibi adsciuit socios, constitutiones edidit, Ordinemque formauit, postea à sancta sede approbatum, hodieque satis per Italiæ, ac Hispaniæ oppida auctum, ac gratum ob indefessum illud obsequium, quod infirmis, ac conualescentibus impenditur magna charitate.

ORDO MINISTRANTIUM INFIRMIS.

Anno seq. Aquilæ vita defungitur B. Christina miraculis clara, sepeliturque maximo concursu in Eccl. S. Luciæ.

Anno M. D XLIII. Generali Seripando ex Hispania redeunte, comitia Generalia fuere habita Romæ, in quibus eidem Seripando in aliud quadriennium magistratus fuit prorogatus, actumque de nouis Constitutionibus Ordin. S. Augustini edendis, cui operi destinati sunt Patres ex diuersis locis eruditione ac pietate insignes, B. Thomas de Villanoua pro Hispanis, P. Petrus Guerente pro Gallis, ac nomine Italicæ nationis P. Fabianus de Ianua, Franciscus de Gambascia, & Siluester Viocentinus, quibus incumbebat easdem constitut. in compendium redigere, ac obseruatu digna, necessaria, vtiliaque huic sæculo seligere.

Constitut. Ordin. examinantur.

Anno M. D XLIV. Alphonso Aquilensi custode Sacrarij Pontificij ad meliorem vitam euocato, in eius locum sufficitur P. Ioanoes Barba Neapolitanus, cui collata fuit primum sedes Episcopalis Teramensis in Aprutio, ac deinde Interamnensis in Vmbria, post labores adhibitos Concilio Trident.

Obitus Sacristæ ac promotio P. Ioan. Barbæ.

Insignem operam hisce annis Religioni præstitit P. Rogerius iuuenis in Belgio, vbi *hoc anno* Hasseleti, secundum Prouincialis eligebatur; ac paulo post, dum exorto tumultu in Conuentu Parisiensi, Reuerendissimi Generalis Vicarius ibidem constituebatur, vbi rursus raro ingenio, solertia, ac dexteritate commotos animos composuit, vnde in Belgium reuersus, & tertium Prouincialis electus, summa laude eandem Prouinciam rexit.

P. Rogerij iuuenis officia.

Sequenti anno, in ciuitate Mexicana congregatis Patribus, omnium calculo defertur Vicariatus Indiarum Ven. viro P. Ioanni de Staccio, cuius diligentia fundata fuere Monasteria quatuor, ac inter alia celebre illud Ciuitatis Angelorum. Maximus tunc etiam fructus fiebat in Indorum conuersione, ita vt vno anno recenseret Vicarius Indiarum bis centena millia hominum fuisse baptizata, & ad Christianam Religionem reducta operâ, ac diligentiâ FF. S. Augustini.

Sub P. Ioan. Staccio fructus magnus in India.

Odor tantæ famæ deuenerat ad aures Regis Catholici Ferdinandi, eiusque filij Philippi tunc Principis, cuius tantus fuit erga Religionem Augustinianam zelus, & adfectus, vt hoc ipso *Anno M. D XLV.* Madriti regia liberalitate, ac magnificentia insigne Monasterium Ordini S. Augustini excitarit, illudque in honorem sui tutelaris S. Philippi consecrari mandarit, Deumque pro felici regiminis auspicio deprecaturus, sub suæ ætatis initium.

Fund. celebr. mon. S. Philippi.

Anno M. D XLVII. Conuentus Generalis Ordin. habitus fuit Recanati, in quo rursus Seripando cura Ordinis in aliud quadriennium fuit commissa, cui etiam Romam accedenti, tunc à Paulo III. mandabatur, vt Oecumenico Concilio Tridentino, Bononiam aliquamdiu translato, assisteret.

Confirm. Seripando.

Moritur paulo post P. Ioannes Hoffmeisterus pie Gunzberge, vtriusque Germaniæ Vicarius Generalis, postquam Monachiensibus, Vlmensibus, Ratispo-

Obitus Hoffmeist.

nensibus, Dilinganus, Augustanus, alijsque populis longo labore verum Dei verbū deprædicasset, tanta cum laude, quanta vix vllus à sæculo.

Fundatur vniuer. Mexicana per August.

In Indiarum Vicariatu *anno sequenti* succedit Alphonsus à vera cruce Theologus, & Professor insignis, sub quo nouem celeberrima eriguntur in Indiarum partibus Monasteria. Per eundem Patrem fundatur Mexiaca vniuersitas studiorum, eamque primo regit, cathedram Theologicam primus ingreditur, Philosophicasque disciplinas omnes per Fratres Augustinianos primo adornat, maximo cum fructu nouæ Christianitatis.

PP. August. proficiscuntur in Peruntinas Prou.

Anno M. DL. Deo sic inspirante, illiusque zelo accensi aliquot Patres Augustiniani ex ijsdem Indijs in Peruntinam prouinciam soluunt, quorum ductorem agebat P. Andreas Salazac, adiunctis sibi P. Ioanne à S. Petro, P. Andræa Ortega, & P. Hieronymo Melander Theologis eximijs, qui primi in illis locis, & Regionibus mysteria Sanctiss. Religionis prædicarunt, pluraque Monasteria construxerunt, incredibili cum fructu, millia aliquot centena Religioni Cathol. consignando.

Ruina Monast. German.

Tam felici successu nouarum coloniarum inuidus humani generis hostis Diabolus, bisce annis, totidem immo plura Monasteria destruxit in Germania, vsus pro instrumento Alberto Brandeburgico, qui cum Elector, Archiepiscopus, & Cardin. esset Moguntiæ, propriam diœcesim, Treuirensem, aliasque adiunctas spoliauit, incendit, Lutherana perfidia infecit, multaque Monasteria funditus destruxit.

P. Nicol D'agreda magnæ posuit exemplar.

Vixerat paulo ante in Indijs P. Nicolaus D'agreda, Vir summa Religione præditus, sanctitate & miraculis clarus, qui reuersus Pampilonam illius Cœnobij Rector constitutus, diem suum obijt; cuius corpori catena ferrea infixa reperiebatur, quam multis annis secretissime, quamuis ingenti cum dolore gestauerat, editis magnæ sanctitatis indicijs.

P. Ioan Munnat.

Religionem etiam in Hispania, & Germania maximopere sub idem tempus promouebat P. Ioannes Munnatones, quem multa eruditione, ingenuisque moribus exornatum Carolus V. sibi in concionatorem, ac filio Philippo in Præceptorem delegit, eiusque consilijs in arduis Germaniæ negotijs frequenter vsus fuit, quem etiā ad Episcopatum Segobiensem denominauit.

P. Guill Colon. alijque Theol. huius sæculi.

Lubens prætereo hic P. Guilielmum Alatzhem Coloniensem, in Concilio Prouinciali Coloniensi sub Adolpho Archiepisc. ob præclara consilia celebrem, vti & PP. Petrum Aurelium Venetum, Augustinum Musæum, Gregorium Patauinum, Theodorum Quallia, & Ioannem Augustinum Bassaninum, qui omnes editis libris magnum sibi nomen fecerunt, vt scribit Pamphilus. Romanoque Pont. Paulo tertio gratissimi fuere.

P. Ambr Quistell. Vicarius Generalis.

Vnius adhuc P. Ambrosij Quistellij lubet meminisci, qui absente Generali Seripando, cum Vicarij titulo Italiam rexit, summa cum prudentia, quem eadem Italia concionatorem venerata est eximium, Patauium Professorem, Roma aliquot Cardinalium Magistrum, ac tandem Pontificium Theologum; quo vnico aliquando sperabat Paulus III. Germaniæ hæreses sopiendas, eoque vti Legato vsus fuisset, nisi morbi acerbitas eundem iam legatum, Sanctæ sedis ante abitum oppressisset.

P. Gedeon. suffrag Laed

Florentem in omni scientiarum genere huic adiungam P. Gedeonem Vaudergraebt Gandensem, qui ad Lædiensem suffraganei infulam, & ad Episcopatum Castoriensem promotus, difficillimis temporibus res Principum dexterrime composuit, frequentibus Legationibus perfunctus, cui postea munere regio, cessit celeberrima Cambronensis Abbatia in Hannonia, Ordin. Cisterciensis, in qua dum soli Deo vacaret, pie defunctus est. Complutensem Academiam, & Collegium Ordinis annis fere viginti hoc tempore rexerat Ven. P. F. Petrus D'Aceuedo, maxima cum laude tote tempore Theologiam professus.

Obijt Abbas Cambronen.

Anno

Anno M. D L I. cum Generalis Seripandus annis duodecim Ordin. præfuisset, illumque fere vniuersum aliquoties visitasset, Neapolim ad Paulilippi Monasterium S. Mariæ de consolatione sese recepit, obfirmato animo omni valedicens officio, solique Deo statuens sibi in posterum vacare, vnde indictis comitijs Ordin. sigillum, aliaque quæ officium concernebant per Ven. P. Aurel. Rocheusem transmisit, obtestans Patres omnes diserta oratione per viscera misericordiæ, vt eundem patiantur salutis suæ rationem habere, ac sepositis curis respirare.

P. Seripandus renunciauit Generalatui.

CAPVT XXXIX.

De P. CHRISTOPHORO PATAVINO XXXVII. Generali

EODEM anno 16. Kal Junij habitis comitijs Bononiæ P. Christophorus Patauinus, vir rari ingenij, eloquentiæ, ac doctrinæ non minoris, sufficitur in locum Seripandi sese subducentis, sub quo Generali felicissimè Ordini cuncta successere, vnde regimen illi protelatum ad annos octodecim continuos, quos indefessè Ordini summa cum laude ac fructu impendit, sæculo infelicissimo, ob Germanicas turbas.

Anno 1551.

Hoc etiam anno prophanata, ac direpta fuere omnia Ordinis Monasteria in Palatinatu Heidelbergæ, Altfheimij, Lauringiæ, Vallis speciosæ, Fridburgi & his plura, quæ Electore Palatino ad Lutheranã hæresim ob alias causas deficiente, illius culinæ cesserunt, prout Monasterium Anglibergense, Tubingense, Islingianum, aliaque Duci Wirtenbergico, vt & is offas suas pinguiores habeat, nescio tamen an videbunt IV. Generationem ex illa.

Perditio Monast. in Palatinatu.

In quorum Monasteriorum vices, rursus à Diuina clementia, longe plura Ordini adiunguntur, eodem fere tempore in Indijs, sub Vicariatu P. Hieron. Ximenez, ad quas etiam colonias selecti mittuntur ex Hispanijs operarij P. Nicolaus Perca, Andreas de Mura, Ioannez Perez, Ioan. de Medina, Michaël de Aluerado, Didacus de Salamanca, Ioan. Bapt. de Moia, Ioan. à S. Romano cum viginti alijs. ex recensitis autem Patribus, plerique miraculis claruerunt, alij ad Episcopalem dignitatem euecti sunt, ac tanta gratia polluerunt, vt idiomata Othomitida, Mechoacanensia, aliaque breui compendio didicerint, totius fere Regni Othomidarum conuersione, quæ præcæteris debetur B. F. Ioanni Bapt. Moya, cuius vitam mirabilem, piam ac vere sanctam scripsit Medina.

Ordin. S. Augustin. incrementum in India.

In Indias 26. mittuntur operarij sancti viri.

In eadem India præter Didacum Salamanca ad Episcopat. Porturicium euectum, & præter Ioannem de Medina ad Iaconensem, P. Franc. à cruce Lusitanus, in Insula capitis viridis, Episcopus eligitur, barbarisque illis nationibus, per plures annos Euangelium annunciat, de quo hoc memorabile, quod octogenarius, & Episc. pueros, adultos, & senes quotidie Cathechismũ docuerit maiori consolatione, ac fructu, quam dum olim D. Thomam explicaret ex cathedra. Innocentes inquiebat, & recti adheserunt mihi.

Prælati Ordin. in Indijs.

Nec defuerunt eodẽ tempore amplissimo progressu PP. Peruntini, qui Limnæ conuenientes, P. Ioannem à Staccio Ordini præficiunt, quondã Antonij de Mendoza proregis nouæ Hispaniæ celebrẽ consiliarium, ac secretæ pietatis præfectũ, cuius industria plura excitantur inter Peruanos Cœnobia.

Prouincialis Peruantinus.

Tunc etiã P. Gaspar Cano Lusitanus, vniuersæ insulæ S. Thomæ antistes præficitur, quã barbaram paucorũ annorũ spatio ita excultã reddidit, vt Religione, & pietate nulli cederẽt illius incolę, pietate fere omnes antecellerẽt.

P. Gaspar Cano. Episc. S. Tho.

Vigebant in Hispalensi ditione P. Ferdinandus à Castro Verde, Episcopus Genensis, qui Carolo V. multis annis à concionibus fuerat, quo etiam tempore decem Religiosi Augustiniani in sola Hispania infulas gerebant.

P. Ferd. à castro Episc. Genen.

P. Ioan-

P. Ioannes de Guenara Burgensis inter alios Hispan. bac ætate celebres[a], vigebat multiplici scientiarum cognitione eruditissimus, obtinuitque hoc ipso anno primam in vniuersitate Salamanticensi Cathedram proprietatis, de quo traditur tantæ fuisse memoriæ, vt semel lecta absque vlla hæsitatione recitarit.

De B. Thoma à Villa noua.

Omnes tamen doctrina, pietate, ac morum integritate antecellebat Beatus Thomas à Villa noua Archiepisc. Valentinus, quondam in Academia Complutensi S. T. Professor, disciplinæ Regularis amantissimus. prælatorum omnium exemplar, habitum Ordinis ad finem vitæ vsque semper seruauit; doctissimis, zelosissimisque concionibus suos instruxit; meditationibus, orationibus, & sacrarum Scripturarum lectionibus plerumque vacauit. Pauperibus ita sua distribuit, vt vix sibi in Archiepiscopatu reseruaret competentia, immo vt subtraheret necessaria; frequenter ieiunaret, vt indigentes, & infirmos reficeret; nunquam pauperem vacuum, frequenter bene vestitum ac nummatum dimisit. Raro exemplo, *Anno M. DLV.* ipsa die Natiu. glor. V. Mariæ, obijt adeo pauper, vt ne lectum seu culcitram propriam haberet cui incumberet; illam enim cui incubabat, pauperrimo famulo iam donauerat. Collegia duo fundauit, vnum Compluti Fratribus Eremitis, alterum Valentiæ pro clericis Archiepiscopatus; in eius funere plusquam 8500. pauperes interuenere collacbrymantes. De miraculis autem infra erit dicendi locus[a].

Commendatur extrema illius paupertas.

Vide Bautum in synopsi de Guallino.

Anno 1621.

ORDO S. PAVLI PRIMI EREM.

Ordinem S. Pauli primi Eremitæ, hoc *anno M. DLIII.* restauratum in Italia & Hispania ponit Myreus, at in Italia vix vllum huius Ordin. extat Cœnobium integrum; Anachoretarum cellulæ plures, eodem fere habitu cum Patribus Augustinianis vtentes, Episcopis tamen subditi, vt videre est iuxta Spoletum, Fanum, Ariminum, & Florentiæ montes. Plures Cœnobitas, & egregiè instructos alit Hispania: Germania Pannonum decem aut duodecim circiter, vni Generali subdita conseruat monasteria, ast in ijs vix vllos Religiosos[a].

Eodem anno Augustinianis Peruntinis præficitur P. Andræas de Salasar, ac postea P. Ioannes à S. Petro, quorum opera Truselli, ac alibi fuere erecta Cœnobia ac magna pars Regni Peruntini Catholicæ religioni adscripta. Mexiaci etiam, sub Vicariatu Iacobi de Vertauillo, & Alphonsi à vera cruce, sex monasteria Ordin. S. August. accessere.

Increm. Ord. in India.

P. Hier. Serip. fit Legatus & Archiep. Salern.

Anno M. DLIV. Reu. P. Hieron. Seripandus qui alias quieti sese dederat, turbata ciuitate Neapolitana, omnium precibus Legatus illius vrbis ad Carolum V. transmittitur; quo in munere, & Oratorem & Catonem sese præbuit, adeoque gratus fuit, vt à Carolo V. Archiepisc. Salernitanus, nō ita post designaretur; obtenta etiam confirmatione, ac consecrat à Iulio III. Salernum rediit, vbi Ecclesiam ac Diœcesim antecessorum incuria incultum, summo studio ad Canones reduxit, non sine molestia, at magno fructu.

Christophoro Patanino interim Generalatus officio fungente, habebantur comitia Arimini, ac quadriennio post Venetijs, in quibus semper eidem magistratus prorogabatur, resque Ordinis non parum promouebantur.

Fund. Monast. Segobien.

Florebat in Hispania Fr. Alphonsus de Madrid pietate, ac virtutibus insignis, cuius opera in Regno Castellæ construebatur Monasterium Segobiense.

Viri eminentes in Belgio.

In Belgio magnum Consiliarium, ac Ecclesiasten multis annis agebat apud Georgium ab Anstria, Lædinæ ditionis Principem, F. Lambertus Merhodius S. T. D. Læodius, cui contemporanei fuere in eodem Belgio multis nominibus commendandi P. Arnoldus Regius Louanien. aliquoties Prouincialis. P. Henricus à Werda Colonien. Adolphi Arch. Colonien. Theologus

gus, Ioannes à Iuliaco S.T.D. Coloniæ Professor, & Henricus Lavvarts præclaris Legationibus apud Principes habitis, celebris.

Anno M.DLVIII. Graue bellum gerebat in Lutzenburgenses Rex Galliæ Henricus II. Duce Guisio, qui Thenisuillam inter limites Lutzenberg. expugnat, conuentumque Ordin. S. August. ad vrbis mœnia situm deijcit. Quo in loco postmodum Rex Hispaniæ receptâ vrbe fortissimum exercitauit castrum. Hic locus quondam Prouinciæ Galliæ à Reu. Fulum Asculano Prouinciæ Belgicæ fuit additus, & anno M.DCXIV. loco nostri Monasterij diruti, à Sereniss. Alberto, etiam me instante, alius locus designatus fuit, redditus non nulli restituti, ac certa pecuniæ summa in nouum ædificium concessa: ita vt locus rursus assurgat.

Monast. Teonisuillanum

Anno 2606.

Anno M.DLX. nouo animo & nouis viribus contendunt Patres August. in Indias noui Orbis, vbi præfectura donabatur P. August. de Catonio, qui secundo in Peruntinam Prouinciam dimissus, ibidem primus Episcopus fuit Ordinatus Prouinciæ Popaian. quo in munere ita strenuum sese exhibuit, tantumque pastorali vigilantia effecit, vt tota Prouincia verum religionis cultum agnouerit. Interfuit is Capitulo Prouinciali Limnæ in Vrbe Regia celebrato, quo tempore promouebatur P. Andreas d' Ortega, qui simili fere labore, Ordinem propagauit, Monasteriaque quatuor erexit, vti etiam *anno M.DLXII.* tria alia de la Paz, de la Platea, & Guadalupe.

P. August. Catonius primus Peruntinorum Episc.

Propagatio Ordin. apud Peruntinos.

Eodem anno à Pio IV. in Cardinalium numerum asciscitur D. Hieronym. Seripandus iam Archiepisc. Salernitanus, vtraque dignitate non indignus, quod vt anteacta vita, mundo Italico, & Hispanico patefecerat, ita postmodum vniuerso voluit patere: in Collegium enim Cardinalium vt intrauit, statim & Theologum, & Canonistam, & Politicum ita egit, vt omnium calculo, sacrosanctæ Synodi Tridentinę Legatus declarari meruerit, in qua etiam dignitate, rursus pluribus Congregationibus, maxime Theologicis, vbi grauissimæ materiæ fidei discutiebantur, præsedit triennio integro, donec ad meliorem vitam euocatus, naturæ pensum, maximo eruditissimorum virorum gemitu persoluit, sepulturâ donatus Tridenti in Ecclesia S. Marci, amplissimis ingenij sui relictis monumentis, quæ refert Anastasis Gratiani, ex Pampb. cum hoc Epitaphio.

Seripandus fit Cardin.

Legatus Conc. Trident.

19. Martij Anno 1563 obijt.

Si quis honos tumuli, quantum sol Lampade lustrat,
Terrarum, cæliq; tuum est, Seripande sepulchrum.

Hieron. Seripando familiares fuere; ex Ordin. S. August. & chari Theologi P. Hieron. Niger Fossaninus, qui præclarum opus edidit contra Waldenses, & aliud contra Lutheranos de Ven. Eucharistiæ Sacramento; & P. Franc. Libertas Tarnisius, quem Roma concinnantem tanto plausu excepit, quanto à multis annis neminem. cui etiam pauperes, & indigi debent Montem pietatis primo erectum per vniuersum Italiam, vbi sine fœnore mutua datur pecunia, cum ante apud Iudæos ad nummum vigesimum, pauperes grauarentur mutui vsura grauissima ac intolerabili.

P. Franc. Tarnis. inuenit montem pietatis Romæ.

Superuixit etiam Cardinali, Ven. P. Fabianus Clauarius Genuensis, sæcularibus, ac Theologicis disciplinis optimè instructus, qui Reipubl. suæ licitam campsoriam artem Scholastice explicauit, tantumque apud omnes valuit, vt ad Abbatiam S. Matthæi in illa vrbe celebrem, euectus fuerit, tranquilliorem vitam agens vsque ad annum ætatis suæ LXXX. suis, exterisque venerationi.

Ars campsoria licita debetur P. Fabiano Clauasio.

P. Caro-

P. Carol. concionator Regis Episc. & Abbas.

P. Carolum Ardier Gallum adhuc memorant hodie suggestus Galliæ, declamandi gloria insignem, quo in genere excelluit apud Christian. Regem Henricum II. à quo Episcopatu Niuernensi, & Abbatia nostræ Dominæ de Leuriaco donatus fuit.

P. Iacob. Vueldius Belga.

Eadem fere ætate protulit Belgium Flandricum, Brugis disertissimum P. Iacobum Vueldium, cuius adhuc hodie extant præclara scripta, extiteruntque præclariora illius merita, cum Patriæ intereunti probe consuluit, hæreticisque non semel restitit, quorum tandem furori cedere iussus, ad Abbatiam S. Bertini Audomari secessit, propter Deum à patria exul, vbi etiam sero confectus sacras litteras dum profiteretur, obijt *anno M. DLXXX.*

P. Laurentius a Villa Vicentio.

In eodem Belgio aliquamdiu Vicarij Generalis munus obiuit Eximius P. Laurentius à Villa Vicentio Xercensis, Hispanus, genere nobilis, in libris Canonicis, & Patrum doctrinis eruditissimus, vt testantur pleraque illius opera typis euulgata Antuerpianis. qui non parum belli tumultibus sub ipsum eorundem exordium occurrere conatus fuit in Belgio, ad quos etiam patienter, ac sapienter perferendos frequenti exhortatione Patrum Augustinianorũ animos excitauit, maxime in Capitulo Lædiensi *anno M. DLXVI.* quo etiam anno Prouinciam vltimo visitauit, præclaris relictis suæ prudentiæ monumentis, Hispaniam abituriens, ibidem in honore fuit, secretiori consilio Regio non infrequenter adhibitus, donec immaturè obijt, maioribus officijs obeundis non inidoneus.

Martyrium B. Antonij d'Elnas & socij.

Anno seq. B. Antonius d'Eluas vna cum socio Lusitani, dum peractis studijs in Gallia, ex eadem Lusitaniam cogitant, in Caluinistarum Foroneronensium manus incidunt apud Tectosagum, à quibus ad verę fidei, cucullique abiectionem incitati, fortiter resistentes, vnamque Ecclesiam Romanam, extraque eam nullam esse salutem prædicantes, miserrime enecantur 17. Martij, cælestis patriæ ciues effecti.

D. Gaspar Casal. Episc Conimb.

Anno M. DLXII. E media Lusitania, ad Concil. Trid. euocabatur, vti alter Anti Lutherus. Reuerendiss. D. Gaspar Casalius, primum Leiriensis, ac deinde Conimbricensis Ecclesiæ Episcopus; Ioan. III. Lusitaniæ Regis consiliarius intimus, ab illo enim omnia controuersa modernis hæreticis doctissime fuere ventilata, ac Pio IV. inscripta, illum multoties viua voce grauissimis quæstionibus Concil. Trident. audiuit, & sequutum est, maxime vbi saluberrima remedia animorum morbis curanda proposuit, iustitiamque in quatuor membra diuisam exactissime enucleauit. Quem etiam Lusitania adhuc diu postea, vbi alterum Ambrosium suscepit, suspexit, eique vti Patri Patriæ acclamauit.

Innocentia B. Damiani d'Vdanc.

Vitã cum morte, *sequenti anno* cõmutauit, Ven. P. B. Damianus D'Vdancos, in monast. oppidi de Risco, Castellæ Regni, cuius tanta fuit vitæ innocentia, vt integram patriam solo exemplo ad pietatem excitaret, viuus & mortuus infirmos plurimos sanati restituit, multa etiamnum præstans accurrentibus beneficia.

D. Bernard. Hoiguin Episcop.

Exceperat etiam paucis ab hinc annis Hispania Reu. D. Bernardum Hoiguin Episcopum Elfinensem in Hibernia, exulem à patrio solo, ob doctas, frequentes, ac pungentes conciones hæreticis exhibitas, virum certe integerrimæ vitæ, ac in dignitate pauperem ac patientem, qui per sanctè obijt hoc anno Villauitiosæ.

Viri eminentes Indiæ.

In Indiæ Hispaniæ Regnis, obierunt sub idem tempus viri religiosissimi, ac exemplares omnibus pœnitentibus P. Antonius de Roa, P. Ioannes Hispalensis & P. Nicolaus de Witte Flander, quorum operam in conuertendis Indorum animis ad verum Religionis cultum, magna laude prosequitur Pamphilus, addens de P. Nicolao quod relictis paternis opibus, quæ amplæ erant, totum se in Indorum salutem concesserit, in administrandis Sacramentis diligen-

diligentissimum præstans obsequium, de quo & alij scribunt eundem miraculis etiam hodie clarescere.

Anno M. D L X I V. Absoluto Conc. Trident. peragitur Synod. Ordin. Mediolani, vbi rursus P. Christophoro Patauino in Magistratu continuato, Concil. Trident. leges sancitæ, & doctrina exhibita omnibus indicitur, ac ab omnibus acceptatur. Preclaræ item fiunt leges Ordinis, maxime vt ignorantiæ, ac desidiæ malis occurreretur, quas etiam ipse Generalis aliquandiu, rigida ferula executioni demandauit. Cæterum Concil. Trident. interfuere, suamque operam eidem præstitere 34. Theologi scilicet, *Hieron Seripand. Prior Generalis, ac deinde Archiepisc. Salern & S R E. Cardinalis Concilij Legatus.*

Patrum Conc. Trid. nomina.

Reu. *Ioan. Xuares Episc. Conimb.*
Reu. *Ioan. Barba Episc. Interamn. Sacrista.*
Reu. *Caspar Casalia Lusit. Episc. Leirensis.*
Reu. *Francus Richard. Burg. Episc. Attreb.*
Reu. *Ioannes de Munatones Episc. Segobien.*
P. *Christoph Patauinus Prior Generalis.*
P. *Aurelius Patauinus & Gregorius.*
P. *Paulus & Adeodatus Senenses.*
P. *Gabriel Anconitanus, Cherubinus à Cassia.*
P. *Aurelius à Rocha Angelus Venetus.*
P. *Tadaus Perusinus, & Gaspar Syracusan.*
P. *Guillel. Bononiensis, & Ambrosius Veron.*
P. *Marianus Feltrensis, & Sebastianus Fanensis.*
P. *Simon Florentinus, & Simon Patauinus.*
P. *Ioan. Baptist Burgos Valentinus.*
P. *Christophorus de Sanctotis Burgensis.*
P. *Adamus Florentinus.*
P. *Antonius de Mondulpho.*
P. *Ægidius de Pesaro Contionator Concilij.*
P. *Ægidius & Andreas Volaterranus.*
P *Aurelius. Coronalten. & Balthasar de Massa.*

Ioan Barba Episc. interr.

Reu. D. Ioan. Iacobus Barba Sacrarij Pontificij custos Episc. Interamnensis Romam tendens, grauissimo morbo in ipso itinere affectus, interijt Ocriculi, in ciusque locum officio Sacristæ præficitur P. Ægidius Pisaurensis, quem etiam Pius V. non ita post, ad Episcopatum Nepesinum euexit, eique Scholam Cantorum Pontificiorum commisit.

Ægid. Episc. Nepesinus.

Primi inuentores & Apostolici Philippin.

Anno M. D L X V. P. Andræas d'Vrdineta, vir nauigandi arte peritus, vna cum P. Iacobo de Herrera, Martino Erradio, Petro de Gamboa, & Andræa de Aquirre Augustinianis, cum in Insulas Moluccas traijcerent, ad speciosam Insulam zeba applicuerunt, indeque detectis alijs Insulis, adeptis etiam pluribus operarijs ex eodem Ordin. ibidem Monasteria ædificauerunt, illasque Insulas à Rege Philippo, Philippinas vocauerunt, vbi & primi, & aliquamdiu soli PP. Augustiniani Christi fidem, oon sine maximo fructu ita disseminarunt, vt primis annis ad ducentena millia conuerterint, hodieque ad viginti vsque Monasteria, vna cum centum parœcijs inueniantur ædificasse. Huic spirituali messi plurimum conduxit mortui cuiusdam resuscitatio, Deo sic volente, per primos hos Apostolos facta, à quo mortuo iam ante obitum baptizato populus frequentissimus intellexit, post hanc vitam baptizatis superesse iucundissimum Dei aspectum, cum summa beatitudine ac delicijs immensis, quibus se iam frui dicebat, vi & vigore fidei, ac baptismatis nouiter deprædicati.

Philipp. habent 20. Monast.

Tumultus Belgici.

Dum nouæ hæ coloniæ Catholicæ Religioni, ac Regi Catholico accederent, scelerati rebellionum tumultus in Belgio oriuntur, partim ex Germaniæ, partim ex Galliæ vicinis locis, hæresibus subintrantibus, & quo Rebellioni fortius vinculum annectaretur, à Catholica Religione deficiunt fere omnes, passim violatis, ac spoliatis templis, in quibus tumultibus, subsequentibus annis maximam cladem passi fuerunt Augustiniani in plerisq; locis.

Encomia P. Alph. Orosco.

Anno M. D L X V I. Studio, & diligentia Fratris Alphonsi de Orosco Concionatoris Philippi Regis Hispan. & ante Cæsaris, erigitur Monast. in oppido Talauera, scripsit hic Alphonsus sermone patrio quam plurima, maxime quæ ad spiritualem Dei amorem possunt excitare, quæ ad longum recenset Anastasis. Fuit is adeo gratus Philippo Regi, vt frequentissimè sacra maiestas

Ven. Patris cellam accesserit, horas integras cum illo contulerit. Plurimos Episcopatus etiam præcipuos Hispaniæ oblatos recusauit, sanctè vitã transigendo, immo miraculis dicitur claruisse: constat enim quod frequenter angelorum manibus Sacramento refectus, ac incredibili consolatione affectus fuerit. In huius Patris obitu, corpore triduo integro exposito, valuis vndiq; apertis, tantus fuit populi cõcursus cõtinuo, vt Ecclesia vnâ cũ claustris, quamuis latis, nõ posset excipi populus, aut inde auelli ob fragrantem odorem à corpore emanantẽ. De hoc Alphonso bene etiã scribit Poeta Belgicus.

P. Prosper in collect.

Cæsaris est aliquid, Regum fauoribus vti
Sed laus est ingens, te placuisse Deo.

P. Petrus Pistor, magnanimus.

Hoc anno cum hæreses Flandro-Galliam inuasissent, ac Tornaci passim violatis Ecclesijs imagines deijcerentur, vnus P. Petrus Pistorius August. Galliæ Prouincialis, contra Iconoclastas ausus fuit publicè agere, sacrilegia detestari, frendentibus in illum hæreticis, quęrentibus etiam occasionem eundem occidendi, prout non semel comminati fuerunt: quibus etiam minis non obstantibus armata manu, non paruo Catholicorum numero obstrepentium hæreticis seditiosis, ad suggestum fuit deductus, ac ita fidem Catholicam aliquot annis tutatus, non sine euidenti, ac quotidiano vitæ periculo.

Obitus P. Arcil. Valent.

Vixit atque obijt hisce annis Valentiæ in Conuentu Ordin. S. August. P. Melchior de Arcil, Latinis, Græcis, Hebraicisque literis eruditiss. Theologiæ quondã Professor, quem viderunt varij testes orantẽ, ac lucidiores flammas ab ore inter orandũ erumpentes, insolitoq; lumine cubiculo splendente. Cuius etiã ossa pluribus annis post obitũ, vnâ cum cartilagine adhuc integra, cohęrebant, eaq; à F. Ioanne de Archero ablata, ac scalpro tacta, sanguinis copiã reddiderunt, plurimis Patribus hoc videntibus, ac stupentibus.

Miracula eiusdem.
Citat testes P. Prosper. diss. 8.

Anno M. DLXVII In Galliæ ciuitate Nemausiana, Monasterium S. August. ante annos ducentos quinquaginta ibidem pietate ciuium erectũ, Caluinistica feritate inuaditur, appręhenditurque P. Adræas Quatiebras anno ætatis circiter XXX. disertus Verbi Dei declamator, Theologus, ac Episcopi assumptus coadiutor, quem impia illa turba puteo sistit, in quem paucis ante annis vltra CCCC. Catholici, omnis generis, ob Religionem Romanam, quam profitebantur fuere demersi, eumque huic puteo includendum minitantur, nisi mentem moret vnâ cum religione, quod cum fortiter negaret se facturum Christi Athleta, multaque de falsitate fidei, quam profiterentur dissereret, atque mille mortes sese malle subire, quam à vera Catholica, Apostol. Romana fide deficere, assereret; statim lictores linguã P. Andręę pręsciderunt vnâ cum extremitate digitorũ, & viuo pellem detraxerunt, capiteq; abscisso, eum puteo concitum barbara crudelitate incluserunt.

Martyrium P. Quatiebras.

Magnes vide in Surculo sacrat.

Martyrium aliorum X.

Simile martyrium feruntur subijsse in monte Pessulo decem Religiosi Augustiniani, inter quos recitantur Guillelmus Lugdunensis, & Augustinus Mareschalcus, eodem anno trucidati cum aliquot Confratribus.

Obitus Ægid. Pisaur.
Assumptio Iosephi Pamphili.

Anno M. DLXVIII. Ægidius Pisaurensis, sacrarij Pontificij custos & magister Scholę cantorum vita defungitur, ac in eius locum assumitur P. Ioseph Pamphilus Veronensis, cuius hic Chronica describimus & augemus, præfuit hic sacrario Pontificio vsq; ad *An. M. DLXXIV.* quo sese quietis amore ad Ecclesiam Signensem vbi Episcopum agebat, recepit; ibidemq; superuixit adhuc quinquennio; quo tempore otij impatiens plura edidit, quæ ipse refert in fine sui Chronici.

Viri eminentes Italiæ.

P. August. Moreschinũ, P. Gabrielem Anconitanũ, P. Sebastianum Broilum, P. Angelum Frerũ, P. Adeodatum Senensem, aliosq; in Conc. Trid. inter Augustinianos recensitos hic omitto, cum & omnes apud Pamphil & apud Gratianum vnâ cum pulcherrimis suis laboribus in librorũ scriptione impensis, recenseantur.

Vixit

P. ANDREAS QVATIEBRAS, ALIIQVE IN GALLIA MARTYRES



Vre, seca, crucia quantum vis dire Tyranne,
Omnes frange mei corporis articulos,
Cum digitis manuum, totam nuda cute carnem;
Non dabor ad magnum iamua laxa polum

Dixerat Andreas. Gallus rabit, et recutitum
A capite ad calcem, saeuiter interimit.
Augetur furor in puteum duo demerguntur.
Et media in terra repperiunt Superos

Vixit hoc anno Onuphrius Panuinus Veronen. vir ad omnes Romanas, & Ecclesiasticas antiquitates eruendas natus, nam præclarissima industriæ suæ monumenta reliquit, ab eisdem authoribus recensita; multoque plura reliquisset, nisi præmatura mors, iuuenem vix quadragesimum annum attingentem, abstulisset. Annales Ecclesiasticos inceperat; eosdem quos postea Cardin. Baronius prosecutus est, eodem stylo, & dicendi methodo. Sunt qui viderunt tomum primum, vel saltem magnam illius partem, paucis immutatis Onuphrij manu scripti. Tantus hoc anno fuit zelus inuandi proximos PP. Didaci de Herera, & Hieron. Marini, vt sese pro mancipijs vendiderint mercatoribus Chinensibus, quo ita Regnum illud ingredi possent, ac Euangelij doctrinam disseminare, quamuis nec hac arte tunc multum potuerint proficere.

P. Onuph. Panuinus historiarum hel. luo appellatus.
P. Didac. & Marinus sese mancipia statuerunt.

Francisci etiam Richardoti in Augustiniana Religione professi, apud Burgundos hic libet meminisse, qui non paruum nomen sibi, & suis in Belgio reliquit. Cardin. enim Granuellano in itinere Romano adiunctus, eloquentia, maturitate iudicij, ac ingenij hoc effecit, vt primus omnium Duaci Academiæ erecta, Theologiam docuerit, vbi etiam ministrum insignem ab hæresi ad Catholicam fidem primis annis conduxit, ac talem sese præstitit, vt deinde Belgico consilio præfectus fuerit, ad quod etiam officium, immo ad maius nepotem, ex fratre filium euexit, dum se ad Atrebacensem residentiam, vbi Episcopus designatus fuerat, recepit, in eaque dexterrime rexit.

P. Franc. Richard.

Pari ætate vixit P. Ioan. Bapt. Burgos Valentinus, in iure Canonico non secus ac Theologica facultate peritissimus, quod publica sua professione, Valentię multis annis testatus fuit, disertissimisque suis orationibus, ac votis Concil. Trident. adhibitis.

P. Ioan Bapt. Burgos.

P. F. Franciscus à Christo Lusit. S. T. Doct. eiusdemque Professor in Academia Conimbricensi, eodem anno floruit, varietate linguarum, ac ingenio præstantissimus, inter primos Scholasticos qui normam D. Thomæ sequuti, ac Metaphysicas quæstiones, subtili methodo tractarunt.

P. Franc. à Christo.

P. Rodericus Solis Regno Castellæ eruditione, ac pietate notissimus, à Pio V. in Regno Valentiæ Arag. & Cathaloni. reformatur, ac Vicarius Generalis constitutus hisce annis, quo authore omnes illæ Prouinciæ plurimum profecerunt, sesequealijs in disciplina monastica conformarunt tanti Patris adminiculo.

Annum hunc finio enim Ven. B. Augustino Guarino, qui dum Montispessulii in Gallia Priorem ageret, illiusq; vniuersitatis Rectorem, acer fuit in defensatione fidei Catholicæ, & oppugnatione hæreseos, quam luem verbis & scriptis, publice ac priuatim indesinenter execrabatur, in frequentibus disputationibus antagonistas conuincens: quare ab iisdem randem vinculis ligatus, grauissimisque supplicijs affectus animam Deo reddidit.

Martyr. P. August. de Guarino.

Cum per B. Hieron. Æmilinm circa *an. Dom. M. DXXX.* inter Bergomum, & Lacum Larium apud Tamasebi castrum, initium sumpsisset Congregatio Regularis clericorum, eademque demortuo P. Hieronymo, indies maiora rum ob euidentissima miracula institutoris, tum ob egregios fructus in Ecclesia Dei, incrementa sumeret. S. D. N. PIVS V. hisce annis, eandem Congregationem iam alias à Paulo III. laudatam, sub Regula S. P. Augustini confirmauit, atque illam inter alios Ordines sæcularium Sacerdotum ab alijs distinctam, Regulæ tamen S. Augustini subditam esse voluit, vti & adhuc hodie sub illa floret, curam iuuentutis, tum in Collegio S. Athanasij Græcorum, tum in Collegio Clementino Romæ gerens, fructu non modico.

CONGREGATIO CLERIC. SOMASCHI. NORVM.

Circa hæc tempora summus Orator, ac Theologus ad oras Dalmaticas, & Adriaticas per omnia fere oppida celebrabatur Reu. P. Nicolaus Ambrosiades Flaminensis, quem ob præclara merita, & exantlatos labores Serenissimus Dux Hyriæ & Carinthiæ, ad Episcopatum Signinum nominauerat, post designationem, tamen ad cœlestem curiam ibidem maiori honore, consecrandus æterna mitra fuit euocatus, magna præbens exempla patientiæ, tolerantiæ, ac diuinæ consolationis.

Obitus Mag. Christophori.

Anno M.D.LXIX. Moritur Romæ Reu. P. Christophorus Prior Generalis, plenus dierum & meritorum, non sine euidentibus sanctitatis indicijs, intrepido corde, & animo proferens verba: *In manus tuas Domine com ꝑ.me.* Christum crucifixum amplexando, inter ipsam expirationem, eodemque tempore Vicarius Apostolicus præficitur P. Thadæus Perusinus, vir in omni officij genere exercitatissimus, tunc agens Ordinis procuratorem. Quo etiam authore comitia indicuntur Perusium, in annum subsequentem.

CAPVT XL.

De P. THADÆO PERVSINO XXXVIII. Generali.

Anno 1570. Diligentia P. Mag. Thadæi.

COMITIIS coactis Perusij omnium calculo, absque vlla deliberatione, Ordini præficitur in Generalem P. Thadæus Perusinus Rom. Pontif. ac Cardinalium Collegio gratissimus, Ordinique vt tunc sperabatur proficuus, cuius iam fere certam fecerat in antea ctis officijs spem, prout reuera officio suo nullo vnquam tempore defuit annis XII. quibus præfuit; vix enim promotus, statim Italiam visitauit, & in ea non tantum Generalia Monasteria, sed & minores Conuentus, quorum amplificationi, restaurationi, & restitutioni se, suaque sæpius impendit. Gymnasia præcipue erexit, separataque aliquot studia Philosophicis disciplinis, multaque saluberrima præcepta studijs excitandis apta ita sanciuit, vt notum sit omnibus, quo progressu.

Externas Prouincias visitauit.

Secundo sui Magistratus anno, Italia relicta in assumpto sibi M. Spiritu Vicentino fuarum peregrinationum socio, destinatis prius in Germaniam Vicario Mag. Ægidio, & in Belgium Mag. Christophoro à Sanctotitio in Galliam, Hispaniam, & Lusitaniam perrexit, vbi non rariora sui regiminis reliquit monumenta, Res Parisiensium turbatas sedauit; Hispanicas Prouincias diuisit, eosdemque Patres ad seriam restaurationem disciplinæ excitauit. Tantumque effecit vt Salamanticæ postea totpene fuerint Magistri, quot tunc erant discipuli, idem de Valentinis, de Complutensibus, & Conimbricensibus audeo asserere.

Studia promouit.

Encomia P. Mag. Ludouici Legionensis.

Vnicum habebat Salamantica Ludouicum Legionensem, virum Latinis, Græcis, Hebraicisque literis instructissimum, cathedraticum: successere postmodum Mendozzæ, Aragones, Antolinez, Marqueli & decem alij insigniores. At ne Ludouicus ille excidat, præter egregiam operam Reipublicæ literariæ impensam in cathedris, præter scripta innumera sacram Scripturam elucidantia ab illo in publicum emissa, edidit heroicum specimen præclaræ patientiæ, & magni animi indicium. Cum enim aliquorum inuidia Sac. Inquisitioni delarus fuisset, simulque constrictus, eiusdem carceribus biennium integrum detentus fuisset, tandem, infracti animi vir, publico triumpho cum palma, & laurea educitur, ac veste candida in signum innocentiæ amictus præcone præcunte, deducitur, pristinisque honoribus, titulis, ac professioni Theologicæ restituitur. Primam vero lectionem post tenebras, vt auspicabatur, pleno concef-

Triumphus P. M. Ludouici.

concessu ad nouitatem cunctato, inquit, *Dicebamus hesterna die.* Vicarij Generalis officio, & Prouincialis munere donatus. Prouinciam laudabiliter rexit, arctioris que vitæ initium fuit, ac tandem obijt emeritus *Anno M. DXCI. die 23. August. ætat. suæ 64.* magnum sui relictu nomine, & desiderio.

Mala sorte occupauerunt Mauri in Regno Granatensi Anno M. DLXX. Guesixam Vrbem, in qua præ cæteris infidelitatis tenebris, omni marte, & arte sese opposuerunt Patres Eremitani. Vnde maiori odio in Antagonistas suos insurrexerunt Mauri rerum domini facti, & ad internecionem omnes Religiosos S. Augustini quæsiuerunt, repertosque Sacerdotes fere viginti in fide baptismatis constantes, crudeliter mactarunt. Nomina aliquorum sub dubio refert P. Maigretius, sed vt audio agnomina potius fuêre, veraque nomina in libro æternæ vitæ asseruata esse planè confido.

Crudelitas Maurorum.

Anno M. DLXXI. Pius V, antiquis Sanctorum Patrū decretis insistens, rursus Ordines nullius alicui certæ Regulæ subiectos esse voluit, ac inprimis Regulæ S. Augustini adiecit, Patres Eremit. S. Hieronymi, Fratres Ioannis Dei, aliosque non paucos, quamuis à primis suis institutoribus sub hac Regula formatos.

Viuebat, illisque annis scribebat pręclara sua commentaria in Iob P. Didacus de Stunica, quæ ob varietatem admirantum, ac translationum sunt vtilissa ac gratissima.

Viuebat etiam P. Petrus de Rechas Episcopus Asturicensis ex Ord. Augustiniano assumptus, in sua diœcesi restauranda insignis. Qualem etiam se præbebat Ioannes Xuarez Episcopus Conimbricensis, vir supra modū pius ac eruditus, vt ex operibus conscriptis colligitur.

Petrus de Rechas & Ioan. Xuarez Episc.

Hoc eodem anno M. DLXXII. in Belgium immissa Diabolica instrumenta, Auraici inquam milites, Mechliniam inuadunt, vbi inter alia Monasterium S. Augustini aggrediuntur, spoliant, Clenodia abripiunt sacrilegi, nec bis cessant, Monasterium vna cum Ecclesia solo æquant. R. P. Henricum Iauperium Priorem vinciunt, & captiuum abducunt. Ernnn ita post, in eodem Monasterio P. Georgius Placentinus, vna cum P. Marino Iansenis equuleo torquentur, fune ad collum ligatā à lictoribus attrahuntur, fuissentque vere strangulati, nisi alius mitiori spiritu motus, laqueum præscidisset, martyriumque inuidisset bene volentibus, beneque paratis.

Destructio Conc. Mechliniensis.

Simili fere clade Patres Augustiniani, *anno sequenti* proscripti fuere Wesfalia, & ex Maria Valle, cum enim ciuitas Wesaliensis aliquot annis ante Religioni Catholicæ nuncium misisset, diutius non valuit obstrepentes pati Religiosos, tamquam in vlcere suo vngues, & in domo Domini latrantes canes. Eodem morbo laborabant Hollandi, & Zelandi, vnde simili sacrilegio, Monasterium Middelburgense, & Harlemiense inuaserunt, *anno M. DLXXIV.* Religiosis omnibus, vel occisis, vel maxima cum infamia profugatis.

Wesaliensis Mariæ Vallis.

Harlemien. & Middelb.

Eodem anno ingenti classe ex mandato Regis Hispaniarum, eiusque consilij in Insulas Moluccas defertur P. Alphonsus Gutierrez à vera cruce, vna cum viginti quatuor Religiosis selectis ex Hispaniæ Prouincijs, vt ibidem Catholicam fidem, verumque Dei cultum disseminarent, quod quanto zelo ab ijsdem Patribus præstitum fuerit, docuit effectus: nam *post viginti annos* vt scribit Mendozza, *vix illa Insula habuere Gentilem cum ante nullum habuissent Christianum.* Quod cum primis Deo, deinde P. Alphonsi tribuebant XXX. annis laborantí Proreges Indiarum: vnde non semel, & non vnum Episcopatum eidem Patri detulerunt, quos tali renuntiauit animo, vt in magnorum calculo APOSTOLI indiarum nomen obtinuerit. Obijt *hoc anno* Barcinone P. Vincentius Montagnesius Valentinus in liberalibus artibus, maxime Philosophicis eminentissimus, publicus Vniuersitatis Valentinæ Professor.

Diligentia & zelus P. Alphonsi crucis.

Anno M. D LXXIV. Iosepho Pamphilo Signium anhelanti sacrarij Pontificij custodia, P. Augustino Fiuizano, quem Greg. XIII. sibi à secretis Confessionibus delegerat, committitur, cui etiam non ita post commissa fuit administratio magni Xenodochij S. Spiritus Romæ, ac prius Vicariatus Generalis totius Ordinis. Præclare certè in Belgica Prouincia, officio Vicarij Gener. fungebatur P. Christoph. à Sanctotis, qui hoc anno celebrat Capitulum Mechliniæ, turbatisque illis temporibus præficit P. Ioannem Cæsarem, virum animo, & virtute insignem, vere Cæsarem repræsentantem.

P. Augustinus Fiuizanus.

Instante anno Iubilæi, vt illud solennius celebraretur, ac à pluribus Ordinis nostri Religiosis tantus thesaurus exciperetur, Reuerendis. P. Generalis in annum sequentem indicauit indicanda comitia Generalia Romam, præparaturus interim quæ in totius Ordin. visitatione notauerat obseruatu, & correctione digna, ad medicam manum exhibendam paratissimus.

Anno itaq. M. D LXXV. Romæ Patribus congregatis, Reuerendis. P. Thadæus, de restituenda disciplina Monastica celebri oratione habita, detectisq; impedimentis, remoram Ordinis profectui facientibus, postquam rursus omnium votis fuisset in Generalem confirmatus, in medium produxit eisdem malis opposita remedia, ac inprimis Religionem S. August. passim esse sine Constitutionibus, sine legibus, diuersa apud diuersos obseruari, exemplaria etiam antiquarum Constitutionum fere nulla superesse, eaque quæ forte supererant esse confusa, & huic ætati minus commoda. Quare hunc amperauit, vt onus corrigendarum Constitutionum, in illius humeros conijceretur; in quod opus non ita post, vna cum pluribus Ven. Patribus totus incubuit, factis interim aliquot decretis, quibus grauioribus malis mederetur.

Reformatio Ordinis per P. M. Tadæum.

Constitut. emendantur.

Huic Capitulo interfuit Mag. Petrus D'Aragon in Salamantina Academia Professor Ordinarius, qui postmodum edidit præclara illa commentaria in secundam secundæ D. Thomæ, vna cum eruditiss. explicatione materiæ de iustitia & iure, in quibus non minus Scholasticum Theologum, quam vtriusque iuris interpretem se præbuit, quibus sese, & Ordinem non parum commendauit.

P. Petrus D'Aragon insignis Theol.

Celebris ille etiam P. Michaël Salon, Ordinarius Professor Academiæ Valentinæ qui eodem fere tempore, & sua commentaria de iustitia, & iure, aliotamen stilo, & non dissimili acumine euulgauit, vna cum alijs ingenij sui fœtibus non exiguis, diu illam Academiam doctissimis suis lectionibus ornauit vsque ad ætatem decrepitam.

P. Mich. Salon.

Hisce Patribus additus erat Pater Rodericus Chiauos Indorum apud Peruntinos diffinitor, qui pluribus annis illi nationi efferatæ Euangelium prædicarat, dura quæque perpessus, magnaque Patrum Augustinianorum operariorum frequentia conducta, quartum iter hoc anno suscepit.

P. Chiauos.

Ex Italis præclarum operam huic Capitulo, vti & alijs ante hac præstitit P. M. Aurelius Roccbensis iam senio fere confectus, consilio ac prudentia multorum annorum, ac officiorum peractorum experientia adepta insignis. Huic merito addendus est P. Augustinus Cornetanus, in celeberrimis Italiæ ciuitatibus Theologiæ Professor, ac postea Ordinis bene meritus Procurator, nulli parcens labori ac industriæ.

P. M. Aurelius Rocbea.

Hoc eodem anno celebrem nauigationem in Chinensem ditionem, suasu & instinctu P. Didaci de Gerrera idiomatis Chinensis peritissimi instituerat Rex Hispaniæ Philippus, eundemque Patrem vna cum quadragintà Religiosis Augustinianis instructis io idiomate Chinensi fratrem suum, eidem Regi destinauerat, cum spe Euangelium ibidem disseminandi, quare omnes habitu Chinensium vestiti post Generalem confessionem impetrata benedictione sedis Apost. nauem conscendunt 13. Iunij, cumque iam Insulas Philippi-

P. Didacus de Gerrera Legatus Hisp.

lippinas attigissent, ac ad Chinenses diuertere meditarentur auersa tempestate acti, in aliam Insulam barbaram deferuntur, vbi omnes à barbaris crudeliter fustibus, sagittis, ac securibus trucidantur, vnico Indo à Reo. P. ex Philippinis reduce dimisso, vt is successum nuntiaret.

Martyrium eiusdem Patris cum 40. August.

P. Dionysius à Sigillo tunc Perusij extremum clausit diem, postquam multis annis per Italiam pulpita, & cathedras summa cum laude rexisset, in doctrina Ægidij Rom. exercitatissimus magno sui apud discipulos relicto desiderio.

P. Dion. à Sigillo.

Anno M. DLXXVI. P. Cherubinus de Cassia non vulgaris Theologus, Concil. Tridentini laboribus fractus, denunciatur & consecratur Episcopus Thelesij, vbi paucis annis sed vtiliter superuixit.

Præfuit tunc etiam maxima cum laude Coloniensi Monasterio Ven. P. Antonius Hinselmannus S. T. Licent. concionator celeberrimus, quo non infrequenter vsus fuit Catholicus illius ciuitatis Magistratus, cum pro antiqua Religione continendi, ac animandi essent ciues, quos ad nutum suum ducebat, ne seditione excitata Ecclesiasticos inuaderent.

P. Anton. Hinsel. Prior Colon.

Anno sequenti, cum à Greg. XIII. malis Germaniæ pararetur remedium spirituale, & author fuisset Reuerend. P. Generalis restaurandi Monasteria Germanica, mittitur in Germaniam vti Vicarius Generalis P. Augustinus de IESV, qui omnia fere Monasteria Germaniæ in sæcularium potestatem redacta, partim diruta, partim oppignorata, solerti sua prudentia, ac nobili qua pollebat authoritate etiã apud magnos redemit, Prouincijs ac monasterijs vtiliter consulendo, maxime Pragensi quod impensis Gregor. XIII. restaurauit, quamuis maior pars ibidem debeatur diligentiæ P. Mag. Ioan. Bapt. Cristellij. In Ratisponensi Monasterio argentea vasa, calices, aliaque supellectilia ad summam 2000. fere flor. diuendidit, præsente Nunt. Apostol. totamque summam, certis reditibus coëmendis, pro eodem Monasterio assignauit. In Hispaniam aliquot annis post reuocatus, ad Archiepiscopatum Braccarensem promouetur, eique Sedi circiter 26. annis summa cum laude præfuit, excitatis aliquot Monasterijs Ordinis, & Collegijs nationi Hybernicæ, suæque Ecclesiæ clericis, quos ad politiorem literaturam, & mitiores mores diligenter redegit.

P. August. de IESV diligentia in Germania.

Eodem anno M. DLXXVII. Post longam controuersiam de professione, ac habitu B. Claræ de Monte-Falco, quam Patres Franciscani suæ familiæ adscribebant, publicatum fuit Romæ, à Congreg. Cardinalium rescriptum in fauorem Ordin. S. August. sub hac forma ad Episcopum Spoletanum. *Reuerende. D. controuersiam quæ in hoc libello continetur, S. D. N. Illustriss. Cardinalibus interpretationi decretorum Concil. Trid. præpositis, cognoscendam commisit, qui auditis sæpius vtriusque Ordinis Procuratoribus, & quæ ab vtraque parte, mature adducebantur, ac diligenter consideratis, postea rem totam ad eius sanctitatem retulerunt, quæ etiam ex sententia ipsorum Cardinalium declarauit B. Claram à Monte-Falco esse Ordin. S. Augustini, adeoque restituendum esse corpori eius habitum dicti Ordin. nec non picturis, & imaginibus de ea factis aptandum esse habitum, & colorem qui conueniat Ordin. S. Augustini. Tua igitur amplitudo, tam in ciuitate Spoletana, quam in cæteris tuæ diœces. locis, hæc ita exequenda sedulo curabit, & bene in Domino valebit. Romæ die 17. Octob. M. DLXXVII.* Philipp. Boncampag. Cardin. S. Sixti.

Decretum de habitu B. Claræ.

Rursus in Belgium quamuis inuitus adducor, vt videã gentis meæ mala. Hæretici enim passim omnia inuaserant loca, suoque more in vitam, famã, & bona Ecclesiasticorum debacchabantur. Brugis Religiosi omnes fuere proscripti, intra triduum solo externo habitu amicti abire sunt iussi, illo triduo exacto Monasterium nostrum cessit in prædam, Ecclesia quæ duplicem referebat, partim deiectum fuit, cæterum tectis spoliatum, Monasterium vna domo excepta, funditus euersum. Ex eodem S. August. Monaster.

Calamitates Belgij.

Anno 1578. Exilium Brugensibus indictum.

P. Paulus Zillius eloquentiss. occiditur in vinculis.

P. Paulus Zillius exul, vt piam turbam Catholicorum exulantem solaretur, ad vicinam ciuitatem Insulensem secesserat, iamque ibi in exilio cantabat canticum Domini, concionibus suis disertissimis, proborum exilium alleuians, & ecce, hæresi ibidem etiam inualescente, bonus Pater in vincula conijcitur, & ne viterius proficiat, in vinculis enecatur. P. Nicolaus Barhantus ex eodem Brugensi Monasterio, Bergas ad Zonam abducitur captiuus eodem tempore, qui simili morte in ipsis ergastulis interijt. P. M. Rogerius iuuenis vir bene meritus de Relig. Catholica decrepitus anno XCVII. suæ ætatis inter has angustias Brugis occubuit. vti biennio post P. Walterus Rotarius, septuagenario maior delitescens.

Eadem morte afficitur P. Nic. Barb.

Infamis calumnia Gand. Augustinianis apposita.

Eodem anno in Gandauensi ciuitate plures ex Religiosis mendicantibus in vincula coniecti quo populo fierent detestabiliores, grauissimorum delictorũ finguntur rei, præ cæteris ex Augustinianis duo, Iudocus van Dycke, Subdiac. & F. Nicolaus Daniel, annorum XVIII. ad ignis suppliciũ (quamuis innocentes vt protestabantur publice & priuatim) cõdemnati à iudice adiguntur. Quis non dicat iniustum, & sacrilegum iudicium, vbi viderit Ecclesiasticos iudicari, à iudice sæculari, à Magistratu Caluinistico, non audita parte, in medijs illis tumultibus, quo perfidi nomen Catholicorum, & præcipue Religiosorum, obscurare & infestum reddere nitebantur. Dixit certe Deus iniustum hoc iudicium, nam non ita post, Prætor ille, seu Iudex, aut iudicij executor, sanguine horum innocentum clamante vindictam, exulare cogitur à proprijs ciuibus, postea apprehensus, officio & dignitate exutus, in eodem loco capite truncatur, illudq; ad perpetuum exemplum, maioremq; confusionem hastæ imponitur spectandum.

P. Ioan. Gonzal. Episc. Lippar.

Floruit hisce annis in Hispaniæ Regnis P. Ioaones Gonzales à Mendozza, qui postquam viginti annos in Chinensi Regno, & in Indijs occident. præfuisset varijs officijs, eorumque gentium mores, Leges, Ceremonias, Reges, & Religionem accurate comprehendisset, eadem scriptis publicauit, scitu dignissima, tandemque ad Episcopatum Lipparensem euectus, plurimum profecit annis plurimis.

P. Ioan. Medina diligentia.

Huic Patri ætate, moribus, professione, & scientiâ çqualis, zelo vero maior fuit P. Ioannes de Medina, strenuus in vinea Euangelica operarius apud eosdem Indos, quem etiam renitentem Rex ad insulam celebrem nominauit, Prouincialis adegit. Illam tamen adeptus, vt obedientiæ satisfaceret, tamquam gregarius pastor vna cum socio zelo Diuini amoris accensus, totam illam regionem percurrit verbo, & exemplo Prædicans, infinitas animas in borreum Dominicum congregauit, nomenque sibi VIRI verè APOSTOLICI promeruit.

Titulus VIRI APOSTOLICI.

P. Ioan. Sumarga Episc. Mexic.

Nec cessit eodem tempore P. Ioannes de Sumarga in ijsdem laboribus, aonis plusquam viginti versatus, qui cum primis annis Episcopatum Nicaraguensem recusasset, iam meritis, & ætate prouectior Mexicanum acceptauit, eique laudabiliter præfuit.

P. Hieron. Roman. Historicus.

Viuebat etiam tunc in Hispaoijs P. Hieronymus Roman, & Ioannes à S. Iosepho Lusitani, & res Ordinis nostri scribebaot, antiquitatis scrutatores egregij, præter quæ P Hieron. nonnulla alia edidit Reipub. Christianæ proficua, quæ vtinam Latino idiomate extarent, vt pluribus possint esse vsui.

Destructio monast. Gand. et Iprensis.

Anno M. DLXXIX. Miserabili clade interierunt, vel potius hæreticorum insolenti malitia destructo fuêre Ordin. nostri Ecclesiæ, ac monasteria Gandaui, & Ipris, mera inquam insolentiâ, & in Religionem Catholicam odio. Gandensis enim Ecclesia demoliri debuit ob Enopolam prædiuitem, qui hoc impetrauerat à senatu, qoo illius officina clarior redderetur; quamuis nec hac diu vsus fuerit, vix enim Ecclesiam vidit deiectam, repentina morte fuit præoccupatus, iusto Dei iudicio; ita quoque primus Faber, qui

can-

eandem aggressus est demoliri, ex Ecclesiæ fastigio cadens interijt, cæteris ad terrorem, non ad conuersionem.

Eodem anno intercepta vrbe Traiectensi ab Alex. Parmensium Duce, post longam obsidionem, partim iniuria temporum, partim conquassatione tormentorum bellicorum, partim impetu aquarum alluentium corruit Ecclesia Ordinis eiusdem oppidi, non sine grauissimo, immo irreparabili Monasterij damno.

Corruit Eccl. Ordin. Traiect.

Romæ vigebat, ac inter præcipuos Philosophos Italiæ locum obtinebat P. Theophilus à Vairano publicus Philosophiæ Professor maximo cum applausu, & multorum nobilissimorum discipulorum frequentia, quare à Vicerege Siciliæ M. Antonio Columna filij sui Ascanij Magister constitutus fuit, vt eundem Cardinalitia dignitate mox insigniendum Philosophicis disciplinis imbueret, quod dum conaretur Panormi obijt, morte pene repentina.

P. M. Theophil. acamen.

Anno sequenti, Obijt P. Eugenius Pisaurensis quondam in Concil. Trid. celebratus concionator, & Theologus, ac familiaris Cardinali Vercellensi, cuius conscientiæ multis annis rationem habuerat, quemque Theologiam perfecte edocuerat. Creatus fuerat posteà Episcopus Smirnensis, & Veliternorum Propræsul vbi etiam sepeliri petijt, in cathedrali Ecclesia S. Clementis, præclara sui relicta memoria.

Obitus P. Eugenij Pisaurensis.

Eodem anno promotus est ad Episcopatum Nepesinum, & Sutrinum P. Alexius Saradella, patria Fiuizanensis, Procurator Ordin. S. Augustini, & sui temporis Orator, ac Concionator præcipuus Italiæ, quem etiam Greg. XIII. ob egregiam eloqnentiam, & agendi dexteritatem, Nuncium destinauerat Græcium ad Ser. Carolum Archiducem Austriæ, quo dum pergeret, in itinere febri correptus, obijt in vigilia S. P. August. cælestis aulæ nuncius effectus.

Promotio P. Alexij Saradel.

Mittitur Nuncius Apostol. Græcium.

Hoc etiam tempore & literis & moribus clarebat P. M. Constantinus à Monte S. Sauini, primum Episcopus ciuitatis Scalæ, deinde per Greg. XIII. ad Ecclesiam Cortonensem, in Tuscia translatus, vbi & Prouinciali Concilio, & grauissimis actionibus præsedit.

P. Constant. Episc. Cortonen.

Profitebatur etiam tunc Theologiam in publico Gymnasio Pisano F. Franciscus, vir summi ingenij, & in Scholasticis disciplinis exercitatissimus, Ordinique multum proficuus, ad maiora procul dubio euchendus, nisi & eundum mors euexisset.

P. Franc. Pisanus.

Egregiam tandem operam præstabat hisce annis Ord. P. Donatus Martha de Beneuento, in restaurando Monasterio Neapolitano, & Beneuentano, quæ non solum egregijs ædificijs, sed fundis & redditibus auxit, tum ex proprio patrimonio, tum ex piorum largitionibus illius opera, ac industria acquisitis.

P. Donatus de Martha.

Fuerunt hoc anno editæ, ac publicatæ constitut. Ordinis, quibus adhuc hodie vtimur ab Illust. Cardin. Sabello Ordin. Protectore, & à Reu. P. Generali Thadæo Perusino, postquam à S. D. N. Gregorio XIII. & à Card. Alciato, ac Iustiniano fuisseot approbatæ.

Const. Ordin. approb à S. D. N. Greg. XIII.

Constitutionibus vt morem gereret Reuerendiss. Thadæus anno sexto à Capitulo non celebrato, Capitulum Generale indixit Romam, ibique anno seqnenti Generalatui liberè renunciauit, dimisso animo petens absolutionem, vt quieti cui inbiabat posset vacare, Perusij, vbi ætatem produxit ad dno & amplius sæcula.

Renunciat P. M. Thaddæus General.

CAP. XLI.

Capvt XLI.

De FRANCISCO RECANATENSI *XXXIX. Generali.*

Anno 1581. Assumptio & obitus P.M. Francisci.

COMITIIS celebratis Romæ Reu. P. Thadæo renunciante, communi suffragio electus fuit P. Mag. Franciscus Recanatensis insignis Theologus, & integerrimæ vitæ vir, qui etiam Ordinem non parum ornasset, nisi paulo post promotionem, continuis infirmitatibus misere afflictus, etiam ante primum annum sui officij, obijsset.

P. Adamant. Florent præclara munia.

Paulo ante obierat Romæ P. Adamas Florentinus, vir humanissimus, Græcis literis, Latinis, & Hebraicis eruditus, Geographica etiam, & Mathematica scientia ornatus. Is enim comparuerat in Concil. Trident. nomine septem Cantonum Heluetiorum Catholicorum, eorumque Oratori assistebat, & nonnonquam vices eiusdem gerebat. Residebat is postea Romæ iussu Grego. XIII. vt Thalmud Hebræorum, eiusque glossas examinaret & emendaret.

P. Ioan. Baptista Augubinus.

Huius Patris discipulus fuit P. Ioan. Baptista Augubinus, qui & ipse mirabiliter, tum in Hebraica lingua, tum in sacris literis profecit, ita vt à Paulo Aretio Cardin. & Archiep. Neapolitano in Præceptorem, & Lectorem assumptus fuerit, vbi & ipse plurimos habuit discipulos non impares suo studio.

Martyrium P. Thomæ à IESV.

Hoc *eodem Anno M. DLXXXI.* Inter alios qui accensi zelo procurandi proximorum salutem barbarorum fines petebant, fuit P. Thomas à Iesv Lusitanus, quem vna cum socio in Africa interceperunt barbari, Marocumque adduxerunt; vbi ambo maximis ærumnis afflicti præclarissima patientiæ opera ediderunt, scribentes consolatorias literas liberis Confratribus, enucleantesque amarissimæ Passionis Iesv Christi mysteria, quibus non secus quam alij corporali fomento pascebantur, vti delicijs, inter inediæ, & tormentorum mala.

Hoc eodem anno desperatis ferè totius Germaniæ Conuentibus Ordin. S. Augustini, destinatus fuit in illas partes Exim. P. Mag. Antonius Kerbekius Louaniensis, qui Prouincialatum gerens, singulorum ibidem Monasteriorum administrationem animo vere paterno gessit, Bauariam imprimis tam in temporalibus quam in spiritualibus auxit, Confratrum suorum Augostinianorum vigorem procurans, nec cessit laboribus ferè infinitis constantis animi vir, qui potuisset regnare, si voluisset alicubi adulari. Primus Seminarium Salisburgense rexit, Theologicas disciplinas ibidem professus, & ad maiora prouehendus, eadem sic dictante conscientia reliquit, donec in inferiores partes Rhenanas euocatus parem operam impenderet, quod & præstitit maiori suo dispendio, ætate adultiore & maiori labore, ex hac vita, nescio quo fato, ereptus Moguntiæ.

Progressus Ordin. apud Peruuinos.

XX. Septemb. ex Hispalensi nobilissimo Hispaniæ emporio in Peruuinam regionem, & Philippinas Insulas soluerunt 22. Patres Augustiniani Theologicis literis, & peregrinis idiomatibus apprime instructi, ingenti spe messis concepta; cui non defuit successus: quadriennio enim post nonnulli horum Patrum reduces, præter Limense Monasterium, ibidem Collegium studiosis proprium, Chisiacci, Ychiæ, Eiusgoni, Tarigæ, Cotobambæ, Zanne, & alibi retulerunt Monasteria Ordin. fuisse fundata, diligentia ac industria non parua P. Petri de Royas, quondam Marchionis de Poz & P. Andreæ de Aguirre.

Moritur

Moritur interim Generalis Franciscus, & Ordin. regimen manet penes Procuratorem Ordinis, qui Vicarias partes, vsque ad insequens Capitulum denunciandum in Maium proximum laudabiliter peregit.

CAPVT XLII.
De P. MAG. SPIRITV VICENTINO XL. Generali.

Anno 1582. Elogia P. M. Spirit. Vic.

INGENII dotibus, animi virtutibus, & meritis omnes congregatos Patres in comitijs *anni M. DLXXXII.* superabat Eximius P. Spiritus Vicentinus, in Ordinis officijs, ac negotijs versatissimus, cuius opera in visitandis vltramontanis Prouincijs maxime vsus fuerat Reu P. M. Tadæus Perusinus, quem etiam extra Ordin. negotia, Neapolitana nobilitas delegerat, vt illorum nomine magno Melitensis militiæ Magistro, adeptas victorias congratularetur: vbi ipse magnus Magister, eloquentia, dexteritate, & gratia agendi huius Patris allectus, eundum per biennium sacris suis concionibus præfecerat, ac in comitijs generalibus Melitensium Equitum iusserat eundem interesse, consilium dicere, vota recensere, concludere, conclusa & stabilita pro firmiore, ac saniore calculo, ad sedem Apostolicam deferre, ac confirmationem desuper impetrare.

Legatus Neapolitanæ nobil.

Consil. ac concionator. Magist. Melitensium.

Hunc itaque Patrem adeò meritis eminentem, communi suffragio vocales omnes ad Generalis dignitatem in Ordin. S. August. euexerunt, moxque verè benignissimum parentem, ac mœcenatem clientes senserunt, dum singula fere Monasteria lustraret, salubertima antidota reparandæ disciplinæ suggerendo.

Aldeb. protector Ordin.

Sub illius regimine magnus ille Hippolitus Aldebrandinus, postea Clemens VIII. dictus Ordin. protectionem suscepit, iussu Sixti V. cuius animum quamuis offensum Ordini, Reuerendiss. P. Generalis placatum reddidit, munificum ac beneficum. Mirum etiam in hoc Generali, quam fortiter restiterit Regularium Congregationi tunc institutæ, qua videbat præsago fere oculo, Religionis mala, extra parietes Monasteriorum deferenda, magno malo, strepitu, ac infamiæ nota, cum Religiosæ obedientiæ interitu.

Congreg. Regul.

Conuixit huic Patri Generali, Exim. P. Mag. Augustinus Cornetanus Ordin. Procurator, Scholasticus insignis, ac rerum Ordin. quam maximè sollicitus, cuius operam vicariam fidam, integram, ac quietam expertus est Generalis, turbatissimis licet temporibus. Excelluerunt tunc in literis Diuinis apud Hispanos, P. Ferdinandus Zaratte Oxoniæ Professor, Petrus de Auila, & Petrus de Malon, quorum scripta refert Anastasis.

P. M. August. Cornetanus.

Memorabilis futurus est omni æuo hic an. M. DLXXXII. in quo Calendarium Rom. à Greg. XIII. emendatum prodijt, in cuius mutatione, & hoc memorabile pro Ordin. S. August quod beneficium nouı epactarum cycli inuenti, & ad aureum numerum directi, cum accommodatione ad annuam solaris cursus magnitudinem, adscriptum fuerit Aloysio Lælio, qui illud fatebatur sese habuisse à R. P. F. Antonio Dulciato Florentino, cuius scripta de eadem materia adhuc extabant solidissima, quorum originalia petebantur ex Romano Ordin. S. Augustini Archiuio.

P. Ant. Dulc. author mutationis Calendarij

Simili laude celebrandi sunt PP. Hieron. de Sauona, Marcus Antonius Camos, Ioannes ab Angelis, Ioannes ab Annuntiatione, qui omnes Theologiam Professi præclaros libros ediderunt æternitate digni.

Viri eminentes Hispaniæ.

P. Ludo-

P. M. Ludou. Professor bononiæ.

P. Ludouicus de Beia Palastrellus publicus Academiæ Bnnoniensis Professor, Theologus Cardin. Palæotti hisce annis magno honori fuit Ordin. S. August. doctissimis suis disputationibus, ac casuum conscientiæ prælectionibus coram Clero Bononiensi, cum interuentu non interdum ipsius Archiepiscopi Cardinalis, ac Legati.

Congregatio CENTOREL V M. *Anno 1586.*

Anno M. DLXXXIV. in Sicilia apud Vrbem Centorbij, diuino spiritu acti duo Patres Ordinis S. Augustini bona Superiorum Facultate, in remotas ab omni populo partes recesserunt, vt soli Deo vacarent, cum non ita post aduentantium sociorum importunitate victi, plures admiserunt, & primum Monasterium Centorbij ædificarunt, cui mox alia successerunt, nomenque suæ Congregationis à primo loco sumpserunt, sub obedientia Generalis, hodieque obtinent duodecim Monasteria, plerumq; gloriosissimæ Virgini Mariæ dedicata, præter Recabbatense D. Antonij, Meonense D. Basilij, & Melitense S. Michaelis titulo decoratum.

ORDO CLERICORVM MINISTR. INFIRMIS.

Simili omnino spiritu ductus D. Camillus de Sellis, vnà cum Francisco Propera, Bernardino Noreino & D. Curto de Lodi, videntes magnam ergà infirmos Agonizantes vbique socordiam, cum ab iisdem soleant plerique tamquam mortis vim metuentes, secedere, Ordinem nouum, seu nouam Clericorum congregationem erexerunt Romæ anno M. DLXXXIV. eiusdem approbationem à Sixto V. biennio post impetrarunt sub Regula S. Avgvstini, sub titulo Ministrantivm Infirmis: in veste parum hi Patres differunt à Clericis Societatis Iesv, nisi quod pectus gerant munitum cruce oblonga ferruginei coloris, cessitque illis primus locus iuxta Collegium Capranicæ, titulo S. Mariæ Magdalenæ.

Obijt etiam tunc in Polonia P. Stanislaus Iandronius Doctor disertus Sigismundo Regi à concinnibus, quem se quebatur fuit in officio Regij concionatoris. ac Prouincialatus; P. Simon Mnisenius; cuius vsque ad an. M. DXCI. tanta fuit eloquentia, ac doctrina, quanta à multis sæculis nulli in Regno Poloniæ.

Eodem anno cum P. Gener. Mag. Spiritus, Vincentiæ Monasterium S. Augustini non sine maximis sumptibus reparasset, sibique idem pro quietis loco delegisset, non procul à Vicentia suæ mortis præsagus interijt, Vincentiæ postmodum sepultus.

Præerat tunc cathedræ Pontificiæ Sixtus V. patria Picenus, cui iam olim, tum ob vicinam patriam, tum ob Religiosam professionem familiaris fuerat, cum P. M. Gregorio Petrochino Montelparensi, quem etiam promotum desiderabat, vnde eundem ex Sicilia vbi Regentis, ac concionatoris munere fungebatur Romam euocari iussit, ac in Generalibus comitijs, eundem Generalem impetrauit, immo imperauit.

CAPVT XLIII.

De P. M. GREGORIO MONTELPARENSI XLI. Generali.

Anno 1587. Condit. P. Greg. de Montelp.

Ad maiora adspirans Reuerendiss. Elparensis, statim à promotione viam sibi ad eadem strauit, virtute iustitiæ, ac mansuetudinis, quæ duo ita in hoc Generali eminebant, vt timeretur, & amaretur ab omnibus. Italiæ enim loca primo sui regiminis tempore vt decurrisset, relicto optimo sui officij odore, hortatu S. D. N. in Hispaniam contendit, vbi mox tanta quiete, tantaque industria singula composuit, vt omnium adfectus in se conuerterit, maxime potentissimi Regis Philippi, à quo & literis ad S. D. N. & pensione annua aliquot millium ducat. fuit honoratus, ità vt paulo post, Cardinalium collegio fuerit adscriptus.

Paulo

Paulo ante hanc electionem, duo Religiosi Belgæ Ordin. S. August. Fr. Gerardus Redder clericus, & F. Heoricus Zegheis Laicus, eum ex superioris mandato de conuentu in conuentum progrederentur, ab hæreticis Sicarijs iuxta syluam Zoniacam trucidati fuere, eorumque corpora inuenta quinque circiter septimanis post sacrilegorum homicidium, absque graui odore non paruam ansam præbuerunt pijs Catholicis credendi & asserendi, eosdem Religiosos patienter violentas manus sensisse, ac in odium Religionis Catholicæ fuisse interemptos.

Trucidantur à Sicarijs duo Religiosi Belgæ.

Soluerunt etiam circa idem tempus ex Hispalensi ditione XV. Religiosi Hispani in Indias, ductore Ven. P. Ioanne ab Aonunciatione, quorum opera Prouincia del Quitto fide Christiana fuit imbuta, atque sex annorum spatio XIV. Monasteria Ordin. S. Augustini erecta, inter quæ excellunt Quitense, Conchense, Popayanense, Riobambeose & Tacoogense.

Missi in Indias XV.

Obijt Moguntiæ R. P. F. Ioannes Walrap. fac. Theol. Lector, concionator celeberrimus olim Prouincialis, postea vero Prior ibidem, maxima sanctitatis oota insignitus à sacro, & à lachrymis io eodem nunquam abstinuit, exhorrens vitia vitam dutissimam vixit annis LV. Veneratiooi fuit Moguntino Electori, cui à Secretis confessionibus seruiebat, vti & suffraganeo, Canonicis, & pijs quibusque.

Obitus P. Ioan. Walrap.

An. sequenti cum Rex Philippus ingentem classem, aduersus Belgij & Angliæ Hæreticos rebelles pararet, zelo Religionis Catholicæ accensi plures Nobiles, ac Principes viri oaues conscenderunt, præ cæteris XXIII. Patres Augustiniani, qui superiorum suorum impetrato consensu, huic tam sanctæ intentioni pro viribus morem gerentes, socios ac spirituales exhortatores sese adiunxerunt; ac cum alijs constanter profundis maris fluctibus obruti, interierunt, non sine merito, & digno vt speramus præmio, cum in bello iustissimo, ac cum bona intentione, pioque zelo contra hæreticos ducti, obierint.

Perijt classis Belgica.

Hisce annis promouebatur ad Archiepiscopatum noui Regni Granatensis Ven. P. Ioannes à Castro, concionator Philippi II. disertissimus, qui multis annis aulam Regis doctissimis suis concionibus, ac consilijs direxerat, omniumque animos in se conuerterat.

P. Ioan. à Castro Archiep.

Anno M. DLXXXIX. Ad Regulam S. Augustini accessere CLERICI MINORES, qui principium habuere in ciuitate Neapolitana, à quodam R. P. Augustino Adornio Genuensi, cui se adiunxerunt Ioannes Franciscus, & Fabricius Caracciolì, alijque viri pietate ac zelo iosignes. habitu vestiuntur nigro, ac rudi, toga ac chlamyde oblonga, clericorum more, cingulo coriaceo ad instar Augustinianorum præcincti, operibus misericordiæ, spiritualibus maximè sunt atteoti non sine magno fructu; quo commoti Pontifices Sixtus V Greg. XIV. eorundem viuendi modum libenter approbarunt, eisdemque priuilegia concesserunt. Clemens VIII. illis concessit sacellum S. Agnetis in Agone Romæ, & Paulus V. Eisdem Patribus assignauit Ecclesiam S. Laurentij in Lucina, cum prius solam domum S. Mariæ Maioris haberent Neapoli.

CLERICI MINORES sub Regula S. August.

Hoc etiam anno illucescente oona facie Catholicæ Religionis in Belgio, cœpit Capitulum Prouinciale rursus celebrari hactenus per viginti fere annos intermissum. Die itaque *16. Iunij* congregatis Patribus Louanij Præside R. P. Ioaone Crabbio electus fuit Prouincialis Belgij Ven. P. F. Henricus Iaupenius, quem alias diximus acerba tempora vidisse, ac tolerasse Mechliniæ, constantis, sublimis, ac modesti animi vir, sub quo non parum incrementi sensit Ordo Augustinianus in Belgio, ad interitum alioqui prope adductus, quem fulciendo sustinuit.

Capit. Prouinc. à Belgis reassumptum.

AVGVSTINIANI Discalceati Hisp.

Tunc etiam laudabile ast rigosorum vitæ genus sub Regula S. Augustini commentus est quidam P. Andræas Diaz Hispanus, in Castellæ Regno eodem habitu nigro ac forma nō absimili Eremitarum, illudque Discalceatorum S. Augustini nuncupari fecit, imitari gestiens Ven. Patres Cappucinos Ordinis S. Francisci, à quibus hi Religiosi Discalceati S. Augustini, solo externi habitus colore ac cingulo differunt, in victus austeritate, ac mortificatione fere pares.

Habent hodie 30. Monast.

Fautores inuenit in Hispaniæ Regnis non infrequentes, ac imprimis, magnum illum Theologum P. Magist. Ludouicum Legionensem, aliosque Hispanos rigidiori vitæ magis aptos, quorum opera breui tantum hi Religiosi profecerunt, vt separatum Prouincialem sub Generali obtinuerint, eiusque curæ hodie habeant in sola Hispania triginta Monasteria submissa. Præter ea quæ sunt noui Regni, & Insularum Philippinarum ac Indiarū, quo etiam non sine fructu penetrarunt.

Conu. Bruxel ad August. deuenit.

Sub finem huius anni Fratres Ordin S. August. industria ac diligentia P. Henrici Iaupenij Prouincialis Belgij transactione facta cum Fratribus Franciscanis tertiæ Regulæ, de eorundem Fratrum consensu, habito etiam assensu Archiepiscopi Capituli, ac Magistratus ciuilis, ad possessionem Conuentus quondā Ordin. S. Francisci Bruxellæ, admissi fuerunt. Primusq; post metamorphosim tam felicē Prior constitutus fuit Ven. P. Ioannes Crabbius, sub quo etiam, Fratres tertiæ Regulæ ibidem Habitantes 17. Decembris habitum S. Augustini sumpserunt; ac post annum integrum deliberationis professionem in eodem Ordin. S. Augustini emiserunt. Erecta fuit in eodem Monasterio Fratrum S. Augustini Illustrissima illa Confraternitas S. Antonij, seu potius translata illa fuit ex vrbe Dordracensi, vbi non ita pridem Catholica religio desierat, actis in exilium magnatibus, & cum illis P. Ioanne Crabbio, qui memor pristinæ pietatis ac venerationis S. Antonij Confraternitatem restituit, cui nomen solent dare soli viri Principes, vt Auraicus, Spinola, Buqnoyus, Arschottanus, alijque non minoris familiæ Duces, Comites, ac Barones, qui vt in viuis fuere ac sunt Confratres, ita post obitum, suorum Confratrū memores, precibus, ac largis eleemosynis Deum student plácare.

Anno M. DXCIX. Reuerendiss. P. Gregorius de Montelparo Generalis à Sixto V. 25. Decemb S. R. Eccl. Cardinalis renunciatur, maximo omnium applausu, certaque fere spe supremæ dignitatis successuræ, quam sibi quilibet in hoc viro spondebat, ob mite ingenium, doctrinam, & praxim non vulgarem, aliasque dotes internas ac externas, quibus hic Prælatus eminebat.

Parum ante promotionem idem Reuerendiss. Generalis Monasterium Tornacense Ordin Eremit. S. August. iniuria temporum, ac incuria hominum fere muris, & moribus destitutum, à Prouinciæ Franciæ superioribus rescidit, illudque Belgicæ Prouinciæ adiecit, sub qua rursus in vtroque genere restaurari cœpit magna R. P. Mag. à Glano industria ac labore.

Rexit interim adhuc aliquamdiu Ordin. S. Augustini Cardin. Montelparo, cui deinde P. Mag. August. à Corneto Ordin. Procurator Vicarius Generalis Apostolicus fuit adhibitus quamuis & ille ante Capitulum obierit, succedente in Ordinis regimine Reu. P. Augustino Fiuizano.

Conu. Bullon.

Eodem anno, ad instantiam R. P. Thomæ Gratiani, Prioris Læodiensis, per Sereniss. Ernestum Principem Læodiensem additum fuit Ordin. S. Augustini Monasterium Bulloniense, cui etiam idem Pater primo præfuit magno illius loci bono, dum concionibus & exemplis, plantam nouellam irrigaret.

Obitus P. Walt. Rotasij.

Obijt etiam tunc in eodem Belgio, apud Brugenses Ven. P. Walterus Rotarius S. T. Doctor dira perpessus ab hæreticis, à quibus non semel exul, non semel vinculis, ac carceribus mancipatus, aliquoties morte intentata,

semi-

femiuiuus euaserat constanti fide,& fido animo vsque in hunc annum ætatis suæ septuagesimum, quo adhuc vegetus indefessè Verbum Dei, cui assueuerat à teneris, deprædicabat tanto cum fructu, vt dicatur plures Catholicos conseruasse, quàm superessent hæretici in illa vrbe ipso moriente.

Viuebat circa hoc tempus, ni fallor, Salamanticæ, sanctitate & virtutibus insignis P. Franciscus à Castro, alternis diebus Lunæ, scilicet Mercurij & Veneris solâ aqua & pane contentus; vitam durissimam; quem aliquoties inter orationum, ac missarum solennia viderunt Confratres è terra eleuatum in aëre consistere, in quo etiam mortuo notarunt verberibus sæuissimis tergum exulceratum; pellemque quasi glaciem perspicuam, quæ supercreuerat, & quod naturam excedit, post obitum multis astantibus labia indecorè biantia contraxit, os apertum clausit, visusque fuit sensum ac motum habere, qui iam aliquot horis ante expirauerat, huic extat sepulchrum signatum, cum venusto Epitaphio Salamanticæ.

Francisc. à Castro, virtutibus ac miraculis insignis.

CAPVT XLIV.

De P. M. ANDRÆA FIVIZANO XLII. Generali.

ANNO M. DXCII. Romæ celebratis comitijs ad officium Generalatus assumptus fuit communi Patrum suffragio P. Mag. Andræas Fiuizanus homo serius, maximi iudicij, ac in difficultatibus imperterritus, prout toto sui officij tempore satis ostendit; incidit enim in illud tempus, quo S. D. N. Clemens VIII. boni zeli Pontif. studebat Religiosos omnes ad strictiorè obseruantiā reducere, in quem finem bonus Pontifex, aliquot sæcularium Presbyterorum, ac Prælatorum Congregationem, cui Reformationis negotium committeret, instituerat. Vnde eidem Reuerend. Generali aliter iudicanti, nō parum fuere molestiæ; facilius enim putabat Religionem saltem Augustinianam, ab ipsis Religiosis quod experientia postmodum docuit, restaurandam.

Anno 1592.

Encomia P. And Fiuizani.

Illius itaque restaurationem inauguratus in Germaniæ partibus, primis sui officij diebus eò destinauit Vicarium suum, Ven. P. Mauritium Tertium Parmensem R. P. Augustini Cornetani Secretarium Congregationis Genuensium IX. Vic. General. & optimè meritum, qui etiam egregiam operam præstitit vniuersæ Germaniæ, Monasterijs cumprimis Pragensi, Monachiensi, ac Ratisponensi, vnde Seren. Principibus, nec non Imperatori Maiestati gratissimus ac charissimus, multo plura præstitisset nisi mors inexpectata, ante biennium muneris quod gerebat expletum, illum præoccupasset Viepacbij, vbi omnium mœrore sepultus *13. Febr. anno M. DXCIV.*

Mauritius Tertius Vic. Gen. Germaniæ.

Refert Mercurius Gallobelgicus & Genebrard. hoc *an. M. DXCII.* die 24. Decemb. Romæ in Ecclesia FF. S. Augustini S. Mariæ de populo, visam fuisse B. Nicolai imaginem Tollentinatis in conspectu multorum adstantium sanguinem sudasse, forte vt sanguinem spargendum in Sabaudia, Gallia, Belgio, Germania & Vngaria bis ceannis, bello maximè accenso, designaret.

Paulo ante celebratum fuerat Prouinciale Capitulum Belgij, in Conu. Eremit. S. August. Læodij, & in Prouincialem electus Ven. P. Mag. Ioan. Bapt. à Glano S. Theol. Doctor Parisiensis vir magnianimi, & meriti, doctissimus æquè ac disertissimus, & pijssimus concionator, quem etiam nulla pericula, nullæ hæreticorum insidiæ, nulli labores aut molestiæ itinerum à visitatione retardarunt. Inter Aquisgranum & Traiectum à Caluinistarum militibus interceptus, ac in carcerem mox abducendus Prouincialis, & Laicum

Capitul. Belg. Prouinc. à Glano.

cum & coquum Conuentus Læodiensis sese finxit, sicque pro carcere aliquot verbera sclopeti ictus tolerare coactus, euasit.

Restaur conu. Iprensis.

In eodem Belgio anno sequenti restaurari cœpit Conuentus Iprensis ac intra vrbis mœnia deduci, qui ab hæreticis solo æquatus fuerat ad vrbis fossam ante collocatus: in quo opere, extremam ac præcipuam manum appofuit P. Nicolaus Siluius omnibus incolis atque accolis gratissimus. Augiæ in eodem Belgio paulo post, nescio qua clade in cineres redacta fuit Ecclesia vna cum Monasterio Fratrum S. Augustini, quæ iterum Dei benignitate eodem fere tempore reparari cœpit, ac multorum benignitate ad coronidem perducta est.

Incendium Augiensis.

P. Alphons. Mendozza.

Hispaniam ornabat hisce annis P. Mag. Alphonsus à Mendozza, Salamanticæ cathedræ Scoti professor ac possessor, tanto acumine, vt vix Scoto videatur cessisse: quod abunde probant illius quodlibeta edita, aliæque Theologicæ relectiones publicatæ. obijt immature, cum iam Archiepiscopus Regni Granatensis esset designatus.

Sub hoc Generali in Gallia P. F. Stephanus Rabasche, & P. M. Rogerius Gyrard pristinam Religionis faciẽ cum moderna considerantes satis luridã ac deturpatam, animum erexerunt; atq; sub Reuerendiss. Generalis, immo sub ipsa Prouincialis Franciæ obedientia, iuxta Ordin. constitutiones ad literam viuere statuerunt, primisque annis aliquot socios, mox aliquot loca suo viuendi ritui adiunxerunt, suamque Congregationem *Communitatis* appellarunt, tantoque zelo, ita in pietate, scientia, ac virtutibus profecerunt, vt strictissimæ disciplinæ Religiosis pares censeantur, tantum etiam eorundem Patrum succreuit numerus, vt iam vltra viginti obtineant in sola Francia Monasteria, pleraque nouiter erecta, alia sponte à pertæsis oblata, alia etiam à sæculari manu liberioribus Religiosis erepta, atque his Patribus communitatis vti genti facienti fructum, consignata. Vtinam cætera omnia tam felici methamorphosi parerent, quod pij mecum voueant.

Fratres communitatis Franciæ.

P. M F. Paulus Vercell.

Non paruam ansam huic tam felici metamorphosi præbuit Ven. P. Mag. Paulus Vercellensis, qui Galliam vniuersam summa authoritate, summa sedulitate, summa etiam fidelitate visitauerat, ac torpentes animos erexerat, ad volendum, & bene currendum in via mandatorum Dei, in qua ipse exemplo doctrina, monitis & assidua pietate præibat.

P. Mag. Hippol Vic Gener Germ.

Cum in Germania extremum diem clausisset P. Mauritius, ne bonum semen proiectum rursus extingueretur, submissus fuit ad eundem agrum excolendum R. P. Mag. Hippolitus Rauennas, qui pro innata sua bonitate, ac clementia gratus omnibus, multum profecit triennio integro.

P. Alexius Menezes Arch. Goanus.

Anno 1594.

Maiori tamen fructu, authoritate ac dignitate in Indias orientales, seu Lusitanicas dimissus fuit eodem anno, Ven. P. F. Alexius de Menezes, ob generis nobilitatem, doctrinæ præstantiam, ac morum integritatem ex monacho Augustiniano factus Archiepiscopus Goanus, quo in officio ita sedulum ac serium sese exhibuit, vt centena aliquot millia hominum ad Dei fidem Christianam, ac Catholicam conduxerit, & in illa vacillantes cõtinuerit. A Clemente enim VIII. Rom. Pontif. *anno M D XCV.* Angalamensis Archiepiscopatus Visitator constitutus, amotis schismaticis Episcopis ac Patriarchis, eandem primo per commissarios aggressus est, ac deinde re infecta coram visitare decreuit, vbi Sacramenta valide conferri edocuit, schismaticos libros omnes Nestorianis erroribus refertos auferri, aut saltem expurgari mandauit, summi Pontificis authoritatem stabiliuit, Diœcesanam Synodum rite celebrauit, Parochos idoneos præfecit, octoginta nouas parœcias instituit, seminaria erexit, tantumq; ibidem præstitit (vt scribit Hayus) *nouẽ mensium spatio, in animarum salute promouenda, quantum quotquot à B Thoma adhuc vsq; tempora illam sedem tenuerunt*, Quæ omnia integro iustoq; tomo descripsit P. Ant. de Gouea.

Illius Prælati zelus.

Eiusdem fructus.

Eodem

Eodem Archiepiſcopo authore Patres Societatis permulti ad Abiſſinos fuerunt tranſmiſſi P. Valerius & P. Lennardus Ordin. S. Auguſtini ad Inſulas Sacotorræ, Patres Franciſcani ad Regem Coulam magno animarum compendio. Conſecrauit etiam in Epiſcopum Serræ R. P. Franciſcum Roz è Societate IESV, & amplius quam cum XXX. Regibus Indorum pacem iniit, nomine Regum Hiſpaniæ, veram & amicam fraternitatem firmando, præuia ſemper conditione de fide Catholica amplectenda, aut ſaltem apud ſubditos ſuos admittenda.

Duo Auguſtiniani mittuntur ad Sacatorrenſes.

Regis Hiſpan. ſtatum firmauit.

Egregiam operam in Euangelica hac meſſe præſtitit Ven. P. Blaſius de S. Maria Auguſtinianus, qui aſſiduus Archiepiſcopi comes, eiuſdem confeſſionibus & conſilijs præerat, frequenterque internuncij vices apud Dynaſtas illos Indorum agebat non ſine fructu; in quo & partem habebat illius Patris diligentia & dexteritas non modica.

Socius ac confeſſ. P. Alexij.

Patres Auguſtiniani Belgæ *Anno M. DXCV.* Capitulum ſuum Prouinciale celebrabant Angiæ, in quo Præſide P. Mag. à Glano, eligebatur in Prouincialem P. Guillelmus Nackart, chori zeloſiſſimus, ac indefeſſus Religioſus.

Capitul. Belgæ Angiæ.

Apud Toloſates florebat ſcientia, ac ingenio P. Mag. Auguſtinus de Trinitate Luſitanus, Toloſanæ Academiæ Rector, multiſque annis ſacræ Theologiæ Profeſſor, qui etiam doctiſſima edidit commentaria in D. Thomam, & Magiſt ſententi. Theologicæ Facultati vtiliſſima.

P. Auguſt de Trinit.

Eodem tempore apud Catalanos, maximè Barchinonæ magnum ſibi nomen fecerat, P. F. Marcus Antonius de Camos Prior, ibidè docto ſuo opere cui titulus *Regimen hominis Chriſtiani.* nec minus clarebat P. M. Hieronymus Sauona tum frequentibus ſuis prælectionibus Scholaſticis, tum inſigni, qua pollebat oratoris facundia, quæ duo poſtremis annis diſciplinæ rigor, ac vitæ integritas illuſtriora reddidit, hominemque doctum, ad pueritiam redegit, forte vt ſic paruulus effectus intraret cælos.

Viri inſignes Hiſpaniæ.

Eandem Hiſpaniam iſtis annis, & vitæ integritatè ſingularis & moribus innocentiſſimis, frequenter etiam miraculis editis, magno Ordinis S. Auguſtini bono, odore ſanctitatis impleuerunt P. Logragnus, apud Dulcenates, P. Fr. Ferdinandus Porterus, apud Toletanos, & P. Hieronymus Ortiz apud Pintiam celebres, quorum memoria adhuc diu in terris, & vt probabili coniectura ſperamus æternùm in cælis vigebit.

Viri Sanctitate conſpicui ibidem.

Circa Ann. M. DXCVI. Italiæ Monaſteria ac Prouincias illuſtres reddidit D. Auguſtinus à Fiuizano, Sanctiſs. Domino Clementi VIII. à Confeſſionibus, Apoſtol. Sacrarij præfectus, ac commendator S. Spiritus, cuius Xenodochium in orbe celeberrimum aliquot annis rexit, ibidemque ſepeliri voluit, diſcedens ex hac vita non ſine opinione ſanctitatis.

Obitus Aug. Fiuizani.

Succeſſit in officio Sacriſtæ R. P. Mag. Angelus Rocca Camertinus, qui multis annis non minus doctè quam diligenter Vaticanæ typographiæ attenderat, ibidemque ſicut & antea Venetijs præclara opera typis euulgauerat, ſuaque addidit poſtea non inconcinna, nec pauca.

Promotio P. M. Angeli de Rocca.

Vigebat etiam P. Mag. Sanctus Ariminenſis in Scholaſticis literis eruditus, cuius operâ impreſſum ac correctum fuit præclarum volumen Gerardi Senenſis.

P. M. Sanctus Ariminen.

Edidit tunc etiam Reuerendiſs. P. Generalis officium Ordin. ſtudio ac diligentia Mag. Sancti Sauinatis emendatum, aliquot nouis conceſſionibus Sanctiſſimi D. N. Clementis auctum.

Officium Ordin. emendatum.

Cessit officio P. M. Andreas Fitazanus. Visitauerat iam secundò Ordinem in Italia Reuerendiss. Generalis, nec gratus ipse, nec gratum valde officium præstiterat, ea maximè tempestate, qua nec ibidem, nec suis constabat homogeneis membris Religio in Italia, vnde nec prudenter parabat Generalis sese subducere, excitabatque sibi aliquot

Monast. S. Matthæi Ro. cubicula, cum humili commoditate, Romæ in loco S. Matthæi deuotissimo ob situm amœnum, plurimque inter S. Ioannis Laterani, & D. Virginis Maioris dictæ, sacras ædes, quem locum sibi pro senij requie delegerat, si modo posset ibidem consistere, indicebatque Capitulum *anno M. DXCVII.* in annum sequentem paratus cedere officio, suspirans non infrequenter ad terminum impatiens moræ, difficultatibus arduis tamen, vt resisteret, aptissimus.

P. Enricus Enriquez Episc. Osma. ac Placentiæ. Publicato Capitulo, dum ex Hispania abitum Romam pararet. R. P. P. Enricus Enriquez à Rege Hispaniæ Osmanæ Ecclesiæ, ac non ita post Placentinæ præficitur, Madriti præuia sedis Apostolicæ diligentia, & authoritate consecrandus. De quo Prælato, vt paucis expediam, fertur, quod magis ille mitram ac sedem Episcopalem ornarit, quam ab illis Episcopalibus signis ornatus fuerit.

CAPVT XLV.

De P. M. ALEXANDRO SENENSI XLIII. Generali.

ANNO M. DXCVIII. Capitulo Generali Romæ congregato in Generalem eligitur P. Mag. Alexander Senensis, vir mitioris ingenij, in quo probitas ipsa vna cum affabilitate, ac mansuetudine certabat, rigidioribus medijs ad Ordinem promouendum minus idoneus, horum itaque fluctibus cum immergeretur, adeo eadem cordi sumpsit, vt primis annis tabe, mœrore, alijsque malis obrutus cesserit, & ex hac vita decesserit.

Visitatio PP. Clementis. Publicatio decretorum. Illis etenim annis & ipse Pontifex, Visitationem personalem præcipuorum Monasteriorũ vrbis omnium Ordinum instituerat, nec præterire volebat Monasterium S. Augustini, prout postea nec illud præterijt, ast inopinato, concitoque accessu, singula Religiosorum scrutatus est cubicula, longè inferiores reperiens offensionis ansas, quam sibi bonus Pontifex aliorum suggestione impresserat, quamuis & tunc non deesset Fiscalis, in lucernis scrutans Hierosolymam.

Anno etenim M. DXCIX. die 25. Iulij publicabat S. D. N. Clemens, concepta de reformatione Ordin. S. Augustini decreta, sub grauissimis censuris, ac pœnis, iusta quidem, at pro illo sæculo, ac in tanta fratrum multitudine, tantumque ab illis distante, videbantur illa præpropera, & obseruatu impossibilia, vnde nec diu in vigore illa manserunt, immo sciente, ac tacente eodem legislatore, eadem fuere neglecta, passim ad antiquum viuendi ritum cunctis redeuntibus.

Assistentes primum dantur Ordini. Successit deinde non parua Ordinis, cuius vel maxima vis in vnione, ac authoritate Monarchica capitis consistit, diuisio. Idem enim Pontifex Reuerendissimi Generalis authoritatem, ad Congregationem aliquot Patrum

Habent votum decisiuum. redegit, voluitque duos Patres Generali adiungi in Ordinis regimine, qui Assistentes dicerentur; vno ex Italis, altero ex Vltramontanis assumpto, penes quos & Ordinis Procuratorem, esset etiam votum decisiuum.

Primi Assistentes. Tali officio ita nouo fungebatur P. Mag. Iacobus Cortonensis, vna cum P. M. Petro Manriquez Hispano & P. M. F. Ioanne Plumbino Ordin. Procuratore,

tore,at minus forte conuenientes,nec vtiliter,nec valde diu præfuerunt. Vita enim functo Mag. Alexandro Senensi, & bi officin defuncti subftiternnt.

Nec tamen desperabat S.D.N.Clemens, Zelosus Pontifex variorum reformatorum sæcularium,minus in negotijs Monasticis peritorum consilio pulsus,quin per conceptum iter mandaret procedendum. Defunctæ enim Generali,ex toto Ordine, detrectantibus fere omnibus officium capitis, tali tempore delegit in Vicarium Gener. Apostolicum Ven. P. F. Fuluum Asculanum ipso An.Iubilæi,aut sub finem antecedentis, cui nihil minus cogitanti hoc muneris imponitur,eoque fungitur magno animo, quamuis in tanta metamorphosi non satis constanti, voluisset si valuisset perumpere. Hoc tamen in ipso locum habuit,in magnis voluisse fat est.

Vic. Gener. Apost P.M. Fuluus Fortanius, Asculi.

Adiuncti fuerant Assistentes R.P.M.Hippolitus Rauennas pro Italis, & pro Vltramontanis P. Mag. Augustinus de Carauaial, viri in rebus Ordinis expertissimi. Hic etenim Hispaniam ac Indias olim rexerat, ille in Gallijs ac in Germania præfuerat,ac profuerat, nec tamen in isto Ordinis regimine adeo nouo,ac insolito valde proficiebant.

Assistentes P. M.Fuluij.

Bononiense Monasterium nescio quæ tempestas inuaserat, & huic sedandæ totum sese Carauaial feliciter aliqunt mensibus impendit, quietequ imposita,animisque rursus compositis Romam reuertitur.

Bononiens.redor per Carauaial.

Cum hi fluctus Ordinis altius sese erigerent,statim sub eorundem initium,aliquot Patres Itali, cum P. Andræa à S. Iob, & Augustino Maria, extremum quoddam reformationis genus inuenerunt, vestemque fere Capuccinorum, at atram assumpserunt, ab Hispanorum more, (de quibus supra) non absimiliter viuebant, non tamen in omnibus cum illis conueniebant, locum primum sibi delegerunt Romæ apud S.*Paulum della Regola*, inter corij coriariorumque fœtores, nomen sibi Discalceatorum S. Augustini assumpserunt,sed ab imperio & iurisdictione Reuerendissimi Generalis secesserunt,nec etiam inter suos caput,cui obtemperarent elegerunt,sed(quod mirabéris Lector) Generali Carmelitarum discalceatorum aliquot annis paruerunt,donec erumpente ipsa monstrositate, & ab huius obedientia dimissi, Vicarium Generalem suæ Congregationis impetrarunt, qui tamen tunc nulli Generali,nisi fortè titulo renus subesset.

PP. Discalceatorum in Italia origo.

Inter hos Patres Discalceatus vixerat P. Franciscus Hametus, qui idem viuendi genus vnà cum P.Matthæo in Galliam, Parisios vsque perduxit, ab Italis tamen adhuc dissimile illud fingens: nam illi Reuerendissimo Patri Generali parebant,nec Italis vllo modo communicabant. Habuit etiam & hæc violenta reformatio bonum initium in Gallia, at minimè correspondentem progressum,vix enim enata,emortua iacuit, loco Parisiensi etiam nunc adempto,hodie quatuor aut quinque in vniuersa Gallia obtinens Monasteria,vel potius tuguriola,Auenionensi excepto,tribus vel sex Fratribus referta,immo ipso primo autbore P.Francisco, hodie rursus inter calceatos viuente.

Institutum idem in Gallias deuenit.

Eodem anno M.DXCVIII. Quo Romæ Capitulum Generale celebratum fuerat,à quo huc vsque digressi sumus, celebratum fuit in Belgio Prouinciale Capitulum Bruxellis,in quo ad illius Prouinciæ gubernacula secundò assumptus fuit P.Henricus Iaupenins,in quo etiam crescente Prouincia numero ac viris,primum publicæ conclusiones Theologicæ,ac Philosophicæ fuerunt habitæ, maximo totius aulæ, ciuiumque applausu.

Capit. Prouin. Belgij Bruxell.

Obijt in eodem Conuentu,*eodemq; anno* Ven.P.Ioannes Crabbius,Prouinciæ quondam administrator ac Procurator, quem ex Hollandia ob fidem Catholicam exilio pulsum,ita ingenium,doctrina, & merita extulerant, vt Parmensi Principi gratissimus, ab eodé ad Philippú Hispaniarum Regé, ac à Rege ad Sixtum V. Pontificem pro grauissimis Catholicæ Religionis nego-cijs

Obitus P. Crabbij 13. Octob.

tijs missus fuerit. cui etiam Patres omnium Ordinum mendicantium debent insigne illud Regij Seminarij beneficium, quo hodie in Belgio fruuntur, ac multo plura Ordo Augustinianus, quem singulariter promouit authoritate, consilijs, doctis, disertisque concionibus, ad quas vti ad oraculum populus confluebat, siumque Oratorem podagræ doloribus præpeditum, deferri mandabat vsque ad vltimam vitæ diem.

Martyrium F. Augusti. de Rosa'r, Ocob.

Circa hoc tempus Martyrio coronatus fuit B. Augustinus de Rosario Ordin. S. Augustini professus in Lusitania, sub persecutione Maurorum Cunhalensium in Regno Cochinensi. Barbarorum enim ferias solenoes Mahometo institutas blasphemijs execrandis refertas, dum detestaretur, Christi fidem, eiusque subsidium inculcando, à furore populi, pedibus ac pugnis arreritur, dumque io confessione fidei persisteret, pugientibus primum repetitis ictibus coofoditur, ac deinde capite coram toto populo truncatur, tanquam Mahometi victima, truncumque corpus profundo immergitur. Christo simul cum anima reseruatum.

P. Petrus Manriquez Arch. Cæsaraugust.

Viuebat *anno M. DXCIX.* in Hispanijs ex Italia redux nobilitate, doctrina ac meritis insignis P. Petrus Manriquez Ordin. S. August ad Episcopatum Tortosanum primum euectus, nunc Archiepiscopatu Cæsaraugustano donatus; quem Canonici, Regulares, Nobiles, Ciues, & quælibet æquè vt Patrem venerantur, quemque Archiepiscopalis Synodus per ipsum non ita pridem celebrata, maximo cum fructu illustrem, ac commendabilem reddidit.

Casteri mancipatur Belgij Prouinc ab hæreticis.

Hoc anno cum in Belgio ciuitas Wesaliensis, pestilens alioqui Caluinistarum nidus, ab Hispanis compulsa, Catholicam Religionem, ac reditum in gremium S. Romanæ Ecclesiæ simulasset, eo descenderunt RR. Patres P. Henricus Iaupenius Prouincialis Ordin. S. Augustini vna cum R. P. Thoma Gratiano Visitatore alijsque Religiosis, vt electos quondam Religiosos reducerent, nouumque femen terræ hactenus in cultæ mandarent: sed ecce reduces ab hæreticis insolentissimis vinciuntur, R. P. Prouincialis vnâ cum socio gladijs appetitur, fustibus excipitur, teterrimoque carceri Breuordij includitur, vbi & squallore, & inedia fere vterque interijsset, nisi pia manus Catholica lytrum non exiguum submisisset.

Vide Gratiani prolog. anasta sis.

Monast Cot. gal.

Eodem anno apud Malabaricos, & Congalenses per Illustrissimum D. Alexium, placuit altissimo plura excitare miracula, tum in malignorum spirituum electione, tum in reproborum repressione per diuini luminis concessionem, plura etiam excitata sunt templa, ac Monasteria S. Augustino, eaque fuere bonis Patribus ac Fratribus fructum inter barbaras nationes operantibus repleta, sub eiusdem Prælati patrocinio, è quibus licuit postmodum non paruum fructum colligere, qui & hodie inde deducitur.

Felicissimus subsequitur annus Iubilæi M. DC. quo vir ille Dei P. F. Simoo Morales in Collegio S. Augustini Conimbricæ Religioso habitu donatus, & volatu albæ columbæ super illius humeros tunc quiescentis magnus Dei Apostolus futurus aliquando, designatus nomine Regis Hispaniæ missus fuit ad Regem Persarum, tum vt pacem inter ipsum & Christianos Reges stabiliret, tum vt eundem Regem excitaret ad bellum Turcis inferendum.

P. Simon instruit Regem Persiæ.

Quod officium dum R. P. Simon gereret, talem inuenit gratiam in oculis & mente Regis Persiæ, vt primogenito suo filio eundem voluerit præesse, eius Mathematicæ, & Astrologicæ disciplinæ eundem subdere; qua occasione habita idem Pater Simon, vna cum his discipulis, altiores Catholicas & Christianas instillauit, tantumque profecit vt adolescentis animum ad aliquam notitiam Christianæ Religionis, & ad cultum magis Christi, ac gloriosissimæ Virginis perduxerit; quæ omnia maiorem effectum habuissent, nisi paulo post vita & Parente, & filio discipulo defecisset.

Eodem

Eodem P. authore, Arabs quidam Philosophus, apud Persarum Regem non minimus, cum tota sua familia Christianam fidem suscepit, victus rationibus & disputationibus Patris F. Simonis. cognouit ergo primum fidem Christianam non esse alienam à recta ratione, immo eidem valde conformem: vnde constanti animo secutus est eundem Patrem, ita vt nulla ratione, tentatione, aut superueniente casu potuerit dimoueri ab illa bausta Christi doctrina, quam placuit Christo non semel, sed aliquoties miraculis in eodem stabilire.

Conuersio celebris Philosophi.

Paulo post dimittitur Ven. P. Simon à Rege Persarum, subscriptis omnibus postulatis vna cum Legato ipsius Regis ad Sum. Pontif. & Regem Hispaniæ, cum certa spe, post moralem hanc bonitatem, altiorem ac Christianam successuram. Quo in itinere rursus P. Simon indefessè omnes societati suæ adiunctos, in fidei mysterijs instruxit, ita cooperante Diuina gratia, vt omnibus fuerit animus Christianam Religionem assumendi, sacrumq; lauacrum acceptandi, quod etiã obtinuerunt Ormutij, vbi idem P. Simon maximo hominum concursu, eosdem baptizauit, baptizatosque secum Goam, ac deinde in Lusitaniam abduxit, tanto omnium applausu, vt iam integrum Persarum Regnum videretur fidei Christianæ restitutum, quod cum adhuc non esset Deo placitum, occulto eiusdem Dei iudicio inter Goam & Lusitaniam, tota hæc baptizatorum plantatio, vna cum Legato, ac P. Simone tempestate acti à maris fluctibus absorbentur, illudq; Deo sistitur, quod magno labore fuerat acquisitum.

Remittitur P. Simon Legatus ad Pontif. & Regem.

Naufragium dolendum P. Simonis.

Interim in Italia noua oritur filiorum S. Augustini adunatio PP. COLORITORVM sub Regula eiusdem magni patris AVGVSTINI, & sub ferula Reuerendiss. P. Generalis, quæ iam à LXX. annis & amplius à F. Bernardino Rolano in citeriori Calabria originem sumpserat.

CONGRET. COLORITORVM. Anno 1600.

Florentiæ hoc anno à D. Micheolorsi, in Ecclesia S. Spiritus Ordin. Eremit. S. August. extruitur altare maius, ornaturque Chorus: in quo opere vario lapide pretioso ad inuidiam exempli, ascendentibus sumptibus, vltra centum aureorum millia liberaliter profusum est.

Chorus Florent. extruitur.

Viuebat & scribebat in Hispanijs P. Mag. Christoph. à Fonseca eximios tractatus *de Amore Dei*, quibus postea alios addidit, in Euangelicas Parabolas, & Christi miracula singulari doctrina & facundia elaboratos. Quod idem præstabat P. Mag. Frater Petrus de Vega eiusdem Ordin. S. Augustini Professus, vt colligere est ex doctissimis pijssimisque commentarijs in septem Psalmos Pœnitentiales Dauidis editos tanto acumine, vt vix quidquam extet solidius, aut delicatius ad palatum doctissimorum æque ac pijssimorum. de hoc Vega bene cecinit Poëta Belgicus:

Fundentem lachrymas dum scribis Vega Dauidem,
Credo tuas lachrymis immaduisse genas.

In Germaniam authoritate Reuerendiss. Vicarij Apostol. Mag. Fuluij descendit circa idem tempus P. Mag. F. Iacobus de murevallium, vt in locum P. Mag. F. Ioannis Mariæ de Concordia ijsdem Prouincijs præesset, prout actu præfuit maiori temporis parte infirmitate præpeditus.

Vic. Gen. German.

In Belgium à *S. D. N. Clemente VIII.* transmissum fuit Iubilæum, delatumque per Reu. P M. F. Cornelium de Bye, Sac. Theol. Doct. earundemque Prouinciarum, vti etiam Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Vicarium Generalem, quem vti boni Euangelij nuncium, cælestisque illius thesauri delatorem gratissimo applausu excepit tum Seren. Archidux Albertus, tum Clerus, omnis, totumque Belgium.

Iubilæum defertur per P. Augustinianum.

In co-

Confrat. S. Rochi.

In eodem Belgio Louanij erigebatur hoc anno apud PP. Augustinianos, authoritate Archiepisc. Mechliniensis, celeberrima Confraternitas S. Rochi, quæ paulo post à S. D. N. Clemente confirmata, ac indulgentijs condecorata mirabiliter fuit aucta, maximè circa idem tempus grassante morbo contagioso, à quo ciuitas illa meritis B. Rochi, & intercessione huius Confraternitatis nouiter erectæ miraculosè fuit liberata.

Monast. Teonuill.

Apud Lutzenburgum, desertum erat à Patribus Franciæ Prouinciæ Monasterium Ordinis Teonisvillanum, quo non erat satis tutus nationi Gallicanę ob suspecta odia nationalia accessus, illudque cum omnibus suis iuribus Belgicæ Prouinciæ, à Reuerend. Fuluio fuit additum, ac paulo post restauratum.

Operarij in Indias submittuntur.

Sub finem huius anni, dum solueret classis Indica versus Philippinas, X V Religiosi Ordin. S. Augustini sub ductu Eximij Patris Ferdinandi de Vegalopez, ad excolendam vineam Dominicam fuerunt transmissi, quorum opera plures coloniæ in Peruntino Regno fuere erectæ, ita vt illa Prouincia ab alijs Indiarum potuerit, ac debuerit commodè separari, hodieque obtineat 23. & amplius Monasteria.

Relig August. gratiSaciarum Regi.

Sub initium anni subsequentis duo Religiosi Ordin. S. August. deuenerunt ad Regem Persiæ, à quo etiam fuerunt in pretio habiti, maximè ob dulcem R. P. F. Simonis Morales memoriam, cum quibus etiam præfatus Rex egit de ioeunda, ac continuanda familiaritate cum Illust. Archiepisc. Goanę alijsque ministris regijs, per quos desiderabat sibi mitti Religiosos habitus S. Augustini, quibus præ cæteris sese affici palam indicabat.

Tres PP. Ord. S. Augusti. mittuntur in Persiam.

Eodem fere tempore, quasi diuino miraculo, cogitabat Archiepisc. Goanus de instituenda rursus missione aliquorum ad eundem Regem, cum etiam à Rege Hispaniæ moneretur de eadem missione Arias Saldaina Prorex Indiarum orientalium, ita vt particularis diuina inspiratio in tribus locis distinctis operaretur operariorum missionem in Persiam; qua tandem inspiratione commotus Illust. Alexius, cui hoc tum à Rege, tum à Prorege committebatur, huic missioni destinauit tres viros Venerabiles Ordin. Erem. S. Augustini, videlicet P. F. Hieronymum Crucium sexagesimum quintum annum agentem, virum qui totum vitæ suæ decursum triuerat in instruendis nouitijs, & infidelibus, tum in Regnis Minæ, S. Thomæ, & Bengalæ; deinde huic socium adiunxerat P. Christophorum de S. Spiritu, patrem grauissimis officijs Ordinis assuetum, & P. Antonium de Gouea fac. Theol. Professorem primarium Goæ, qui circa initium Februarij anno M. DCII itineri sese accinxerunt ad Persiæ Regem, illudq; maximis laboribus, ac impensis multorum mensium spatio peregerunt.

Fund Monast. Græcensis.

In Styriæ vrbe Principe, Gratz vulgo nuncupata Wolfgangus Theodoricus Archiep. Salisburg. concedit Ordin. Eremit. S. Augustini Sacellum S. Pauli cum ædibus proximis, ibidemque liberalitate Serenis. Ferdinandi Archiducis Austriæ, hodie Imperatoris, erigitur Cœnobium, quod etiam ab eodem paulo post dotatum fuit quingentis florenis annuis, alijsque sustentandæ vitæ subsidijs, imperante tunc illi Prouinciæ Ven. viro P. Aurelio della Pergola, huic Serenis, alijsque Austriacis Ducibus pergrato.

P. Mag Euangel.

Romæ tuoc vigebat P. Mag. Euangelista Bosius Theologię Professor eminentissimus, quam multis annis in Gymnasio publico ibidè professus fuit, nō pœnitendo fructu, ex eius enim Schola prodiere plurimi, qui postea Cardinalitiam dignitatem, & varias infulas cohonestarunt, eumque celebrem reddidere theoremata edita toto mundo illustrem.

Indictio Capitulum Recanati.

Hoc etiam anno Reuerendiss. P. Mag. Fuluius Vicarius Apost. indixit Capitulum Generale in annum sequentem Recineti, medio oppido inter D. Virginem Lauretanam, & S. Nicolaum Tolentinatem celebrandum.

Belgi-

Belgica etiam Prouincia tunc celebrabat Capitulum Louanij maiori quam vnquam solemnitate, certa fere tunc facta spe emergendi ex tenebris. Quatuor enim tunc Patres admittebantur ad Licentiæ Lauream & in Prouincialem eligebatur magnus ille inter cæteros Patres P. F. Ioannes Codls, Prior Gandensis, quo authore sub Prioratu R.P. Thomæ Gratiani in eodem Belgio, primum inceperunt Patres Augustiniani iuuentuti edocendæ operam præstare, aperto collegio publico Bruxellæ, eiusdem Magistratus liberalitate aliqua accedente. Eandem spartam deinde alia Monasteria Augustinianorum imitata & Ordini, & iuuentuti multum consuluerunt.

Capit. Prou. in Belgio Louanij.

Initium Scholarum in Belgio.

Florebat inter Italos hisce annis, & concionibus efformandis, eloquendisque insignis P. Mag. Marianus *de Pesaro* Duci Vrbino Theologus & Consiliarius quondam Cardin. Montelpari socius, ad magna natus.

P. M. Marianus de Pesaro.

CAPVT XLVI.

De HIPPOLITO FABRIANO XLIV. Generali.

ANNO M. DC. Celebrata fuerunt comitia Generalia Recineti, maxima Patrum frequentia, Præside Cardin. Bandino, electusque fuit maiori suffragantium calculo, in Generalem Exim. P. Mag. Hippolitus Rauennas, qui tum in Gallia, tum in Germania vbi Vicarias vices Reuer. Generalis aliquando egerat, innotuerat, & nouissime aliquamdiu Assistens Italiæ, multorum sibi vota promeruerat, vir supra modum clemens ac benignus, quibus virtutibus ornatus, sexennio fere integro rexit, multumque profecit ingenito quodam animi candore.

In eodem Capitulo Assistentium officio decorati fuerunt, Eximij Patres P. Mag. F. Nicolaus à S. Angelo, & P. Mag. F. Franciscus Pereira Lusitanus, hic pro Hispanis, pro Italis alter, continuato interim adhuc in officio Procuratoris Generalis Exim. P. Mag. Ioanne Bapt. Plumbino.

Assistentes Ordinis.

Ven. P. Mag. Augustinus des Carauagial, statim vt Assistentis officio defungebatur in Hispaniã reuertens, à Rege Catholico, Episcopatu Panamensi donatus fuit, in eoq; adhuc feliciter viuit, magno Ecclesiæ cui præest bono.

P. August. Carau. Epis. Panam.

Comparuit in hoc Capitulo Ven. P. Basilius de Carpineta Prior Imperialis Monasterij Brunensis in Morauia, cuius Monasterij tanta est dignitas, vt Prior loci semper inter præcipuos status Morauiæ locum habeat, ac vocem, immo vt nonnunquam penes illum directio Consilij statuum fuerit, quare Prior ibidem dignitate Protonotariatus Apostolici honoratur.

Sub finem huius anni, cum grauissimæ infirmitates, contagiosæ quidem, ac diuersæ aliæ inuasissent Hispaniam, & maximè Regna Aragoniæ, Valentiæ ac Cordubæ viciniam, meritis B. Nicolai de Tollentino plurimi fuerunt miraculo liberati, in sola Cordubensi ciuitate hoc anno centum & quindecim miracula annotata, visitata & approbata per Ordinarium Cordubensem contigere.

Miracula S. Nicolai.

Anno M. DCIII. cum grauissima controuersia dudum agitata fuisset coram sede Apost. inter Ordinem S. Dominici, & Ordin. S. Augustini ratione habitus albi, quem vterque Ordo inter priuatos parietes suorum Monasteriorum, gerit fere vniformem; contendentibus PP. Dominicanis debere admitti à PP. Augustinianis in habitu albo signum stellæ, vel aliud distinctiuũ; Tandem per S.D.N. Clementem VIII. 2. Octob. fuit diffinitiua sententia pronunciata, in fauorem Ordin. S. Augustini, vt scilicet cum eodem habitu albo Ordo persisteret, seruata vtriusq; Ordinis restrictione suis statutis, ac Regulis conformi. Similis controuersia ratione habitus albi exorta fuerat alias circa annum Domini M.CCCXXXIV. sed illa aliter fuit sopita.

Beatificatio B. Ioan. à S. Facundo.

Eodem anno ab eodem S.D.N. beatorum catalogo adscriptus fuit B. Ioannes de S. Facundo, concessumque vt non solum in Hispania, sed per totum terrarum orbem, missa & officium diuinum, de eodem B. possit apud personas Ordinis recitari, publiceque cum alijs beatis coli. In hac autem beatificatione egregiam operam præstitit Ven. P. Mag. Ludouicus de Los Rios, cuius diligentia plura huius Beati viri fuere approbata miracula. A parentibus enim nobilibus sed sterilibus non citra miraculum ortus B. Ioannes, diuina inspiratione, postquam Christum vili centone amictum vidisset Ordin. S. August. susceperat, in eoque Ordin. frequentissimè inter missarum sacra, cum Christo in forma puerulì apparentis egerat, conuentum etiam Salamantinum maxima annona pressum diutius pauerat Dei beneficio, dono prophetiæ clarus, multos à morte, à periculis, & ab æterna damnatione eripuerat, nec cessabat adhuc indies Salamantinis, qui hunc Beatum in tutelarem patronum elegerant varia beneficia sanitatū, ac benedictionum elargiri, quod testatur Salamantica nobilissima ara erecta.

Hac Beatificatione impetrata, interim dum Patres Prouinciæ Castellæ de Canonizatione deliberant. Patres Ordin. S. August. adiunctis sibi Nobilibus, ac proceribus Regni Valentiæ da Beatificatione B. Thomæ Villanouani consultantes, eandem statuunt Romæ tractandam, paucis post annis in hunc finem ex eadem Prou. delegant hoc muneris P. Ioanni Beldæ, cuius vigilantia processus instruuntur, cæteraque adoptatum finem necessaria adaptantur, vidi præ cæteris apud eundem Patrem digitum annularē huius B. Thomæ, qui Romæ dæmonibus erat terribilis, varijsque infirmitatibus curandis vtilis.

Filius Regis Ormus fit Augustinianus

Circa idem tempus Ormutij, Regis filius natu maior, dudum resistentibus Patribus Augustinianis, habitum Ordin. suscepit, serio Regnum mundi spernens, totumque sese Deo consecrans, maxima totius Regni admiratione, præclaroque exemplo, quo excitati fere duodecim præcipui nobiles eiusdem Principis, eundem fuere sequuti ex aula mundi, ad cælestem concedentes.

P. Aluarus fit Dux militum.

R. P. Aluarus de Iesv, cum percepisset circa easdem partes, sub idem tempus Hollandorum naues appulisse, portumque quendam ingressos, sedem ibidem velle figere, ac Caluinisticum virus hactenus ibidem ignotum spargere, impetrata militum manu, à Rege illarum ditionum agmen ducit, crucifixum manu sinistra, dextra gladium gestans, zelo Diuino præcinctus, vna cum militibus Hollandos aggreditur, illosque è finibus illis pellit, & omne commercium in posterum cum illis ciuibus, ac incolis illius patriæ incidit præcludendum.

Rex Persarum instruitur in fide Cathol.

Sub initium huius anni Dominica infra octauam Epiphaniæ, placuit Regi Persarum Xæa Abaias in Aspam primum interesse diuino officio, & Missæ sacrificio in Oratorio Patrum Eremit. S. Augustini, eoque peracto nō solum facultatem fecit ijsdem Fratribus erigendi Ecclesiam, ac Monasterium, pulsandi campanas, conciouandi verbum Euangelij, sed in eundem finem concessit locum, atque ex Regiæ suæ cameræ ærario iussit Monasterium cum Ecclesia exædificari, posteaque frequenter auxius, eosdem Patres inuisit ab ijsdem etiam instructus fuit in misterijs Christianæ fidei, cumque eadē iam per bene calleret, profunda reuerentia exteriori formans signum S. Crucis, agnoscens SS. Triadem, cum Christo incarnato ac crucifixo, maximam spem iniecit mox successuri baptismatis, ac Christianæ professionis, quæ tunc solus quidam vanus metus, ac temporale dispendium videbantur impedire.

Mittit P. Anton. Legatum.

Sub finem eiusdem anni, idem Rex vtebatur opera R. P. F. Antonij de Gouea, August. eumque vna cum nobili persona, Legatum mittit ad Regem Ormuti-

muntinum ad Soldanum, atque ad Viceregem Indiæ, quod Legationis munus prædictus Pater libenter obiuit, sperans amoto temporali dispendio, felicius promouendam Catholicam, ac Christianam Religionem apud Regem Persiæ.

In Bohemiæ Monasterio Piuoniensi, multis annis Prioratum gesserat P. Gaspar Malesius, illudque sibi commissum Monasterium à ruina extrema vindicauerat, ac iuribus suis pene destitutum restituerat, acri frequenter inita disputatione contra Hussitas, quorum hæresis totam illam viciniam infecerat, dum ecce siluestri rusticorum odio circa primam noctis, cœnæ accumbens obuerso capite vitreæ fenestræ, ictu glandinis vi pulueris tormentarij emissæ occiput illius transfigitur, & Fratribus nomen IESV inculcantibus statim expirat.

P. Gaspar Malesius ab Hussitis interimitur.

Hisce etiam annis & aliquamdiu post Prouinciam Rheni & Sueuiæ rexit cum laude nó modica Ven. P. F. Ioannes Georgius à Greyfenstein, Reu. P. Generalis ad vicinas Prouincias etiã aliquando Cõmissarius, ea pietate & modestia & authoritate, qua pauci ante illum, ita vt difficillimis temporibus, sua Monasteria omnia conseruarit integra, disciplina restitura, auxeritque eadem, maxime tamen Obendorfiense, vbi senio confectus ægre viuit, ad Deum frequenter anhelans, vt laborum suorum mercedem recipiat, frequens illud S. P. Augustini dictum inculcans, *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.*

P. Ioan. Georgij à Greifenst. encomia.

Anno sequenti celebrata sunt comitia Prouincialia in Belgico oppido Tornacensi, in quibus Magistratus liberalitatem maximam sensere Patres congregati, qui vnanimi consensu elegerant pro secunda vice, Ven. P. M. Ioan. Baptistam à Glano Lædium, qui etiam eidem muneri gnauiter incubuit, maxime vt ferium quid aggrederentur Patres omnes, in quem etiam finem iam ætate confectus, Romam petijt, grauissimis negocijs Ordinis consulturus.

Capit. Tornac. in Belgio.

Redierat circa hoc tempus Reuer. Generalis Hippolitus ex Italica visitatione, quam non minus pacifice, quam fructuose absoluerat, ad palatum omnium.

Mittebatur etiam hoc anno in Germaniam P. Mag. Felix Milensius Neapolitanus in Congregatione Carbonaria, quam aliquando rexerat, professus; vir magnæ litteraturæ, viui ingenij, zelator Ordinis, ac constantis animi quam vel maxime postea Romæ, inter acerbiores suos casus patefecit, cui hoc elogij conuenit, quod ipse in suo Alphabeto P. Antonio Kerbekio apposuit. Adiunxit Ordini Conuentum Seefeldensem in Tyroli, ac Ingolstadiense Collegium, vna cum Monasterio Salisburgensi; multoque plura, tum his locis nouellis, tum alijs poruisset impendere subsidia, nisi & Italia, & alia intercedentia mundi mala remoram iniecissent, viuit interim, Calabros rexit, ac modo Neapolitanos.

P. Felix Milensius.

Commendatur illius dilig.

Fundatio Seefeldensis sic se habet. Maximilianus Archidux Rudolphi Cæsaris Frater, Magnus Teutonici Ordinis Equitum Magister, & Cameræ Oenipontanæ templum S. Osvvaldi in Villa Seefeld Patribus Augustinianis Prouinciæ Bauaricæ concedunt. Consentit quoque Episcopus Brixinensis, & cedit Parochiam. Vigesima ergo secundâ Sept. P. Georgius Humellus Franco, primus Prior huic loco datus Fratres suos introducit in montem illum, saxis siluisque, & glacie, atque niue quasi perenni horridum, & locum natura sua ad Eremiticam vitam, & pœnitentiam accommodum. Illic vere Monachi, vere solitarij Eremitæ Augustiniani sumus, nisi quod æstiuo tempore ibi breuissimo, frequentes Peregrini istuc commeent ad vota soluenda, ad impetranda beneficia, & hostiam miraculosam inuisendam atque adorandam. De qua vt aliquid addam, habe ex Felice Milensio historiam. Osvvaldus à Milser loco Halæ Oenipontanæ proximo dictus Milserus,

cum præsideret in Schlosberg, castro in finibus comitatus illius Bauariam versus, anno M. CCCXXCIV. communionem sacram suscepturus diebus Paschalibus in Seefeldense templum, illi vicinius ac finitimum descendens, ambijt maiorem hostiam qua celebrant Sacerdotes, eamque à Presbytero requisiuit. Qui vel nobilitate hominis ductus, vel simplicitate propria vel potius instinctu diuino, alteram pro eo, quantam postulauerat consecrauit. Hanc ille ore acceptam cum lingua traijcere mirabiliter ab offenso numine coërceretur, in terræ chasma derepente hiantis, ad genua vsque delabitur, dextraque sinistrum altaris labrum pro adminiculo apprehendens, nouit vel inde se lapide duriorem, etsi enim integra, grauis, solida mensa esset, non nihil tamen corsum dependens, velut abominans præuaricantis manus, stigmata defossa ad hanc vsque horam retinet contrectantis. Mox Sacerdos hostiam retrahens, & sanguine miraculoso affectam veluti carnem viuam morsu dentium sauciatam tremebundus aspiciens, veneranter seruat. Tum Osvvaldo humiliato, suumq; piaculum precibus expiante, famulus reuersus domum, coniugi Domini sui, cunctantem virum expectanti rem adamussim narrat. Mussat hoc nuncin femina incredula, & iterans magis perfidiosa, credam, inquit, antea ex hoc arido caudice oriri rosas; quæ (mirum) dicto citius, ad illius fidem excutiendam redarguendamque infidelitatem, tamquam ex virenti rosario germinare visæ. Ipsa durior atque infidelior, eas irata excerpens, proterens, conculcansque furijs inde agitata amentiæ per Scharniticam siluam vagabunda diuino iudicio perijt.

Salisburgensis verò sic. In ædibus Mariæ Virginis in Milln, vbi quondam Collegium à Cardinale Burchardo Archiepiscopo Salisburgensi institutum fuerat, Monasterium à Wolfgango Theodorico Archiepiscopo, & Principe, pro duodenis Fratribus satis exili dotatione fundatur. Anno secundo pòst fabrica Principis ære ex conuentione festinanter euecta est, & postmodum aucta diligentia P. Iacobi Pistorij Prioris, qui & hoc quo scribimus anno, satis sumptuosos claustrorum ambitus adijcit, egregijque Monasterij consummationem meditatur.

Ingolstadiensis etiam locus quamuis anno posterius, quia sub eodem acquisitus est, commode subijcitur. Ioannes Conradus Episcopus Eystettensis cedit nobis Sacellum Beatæ Virginis propter riuulum Schutteram, beneficijque onus ad D. Mauritij transfert. Maxæmilianus Bauariæ Dux Religionis, Religiosæque disciplinæ, & litterarum egregius fautor, negotium insigni studio promouit, curauitque quo in studijs fratres commode alerentur.

P. Ioan. Bapt. Visconti Episc. Teramni.

Assumebatur fere circa idem tempus ex Ordin. Augustiniano ad Episcopatum Teramnensem P. F. Ioan. Bapt. *Visconti*, nobilis Mediolanensis postquam egregia virtutū specimina apud Congregat. Lombardicam in diuersis officijs exhibuisset, nouissime Mutinæ, vbi Ducibus erat venerationi, essque acceptus.

In eadem Congregatione fama sanctitatis clarescebat Cremæ P. Georgius Lumiatus, qui post obitum ob maioris momenti miracula in maiori cœpit esse existimatione.

B. Didacus d'Ortis Martyr.

Martyrium subijt hisce annis ex Ordin. Eremit. P. Didacus d'Ortis Hispanus apud Sundas, dum sacris operam daret. Casu aliquo Sundarum Rex è viuis cessit, quod iniquius ferentes hi barbari hunc Religiosum mortem Regi procurasse allegantes, eundem adigere volunt, vt mox defunctum reuocet ad vitam, renitentem vero ferro candenti aduriuntur, maxillas perforant, cathena imposita, eumque sic catenatum per vrbem trahunt, donec mille maledictionibus impetitus animam exhalaret; corpus vero feris obiectum, in Coskensi Mon. sepelitur.

Galli-

Gallicana etiam Prouincia Franciæ per Patres Communitatis Biturici Laniaci atque alijs in locis magnos progressus faciebat, iamq; Reuerendiss. Generali Hippolito, totique Galliæ spem fecerat futuræ restaurationis in tota Gallia, nec frustra: hoc enim anno ac sequentibus innumerabiles accessere ad Ordin. Augustinianum ibidem alumni, quos & doctrina & pietate sedulo instruebant.

PP. Communit. Galliæ.

Præ cæteris tamen Prouincijs Ordin. florebat, tum doctrina, tum disciplina Hispania vtraque: Lusitanica inquam, cuius Heroës & Athletas audio scripsisse D. Alexium Menesès; ac Castellana, quæ adeo excreuerat paucis ab hinc annis, vt diuidi debuerit in Bethicam & Castellanam; diuisa vero Castellana, vltra quinquaginta sibi Monasteria reseruarit, inter quæ eminebat numero ac virtute Salamantica, vbi præter ducentos Ordinis Religiosos studijs deditos, plures Magistri, Professores publici, Concionatores diserti, & quod pluris facio, pietate insignes alebantur.

Encomia Prouin. Lusitaniæ ac Castellæ.

Prouincialatum tunc gerebat Exim. P. Mag. Augustinus Antolinez, *Vir vt scribit alter, fine fastu optimus, doctissimus Hispanorum, Professor Primarius Salamanticæ, & quarto Prouincialis, quemq; ob præclare facta, despectosq; honores fortiter, Reuerendissimi titulo insigniuit Hispania.*

P. Mag. August. Antolinez. *P. Prosper Stellartius.*

Obierat tum etiam apud eundem Patrem, in eodem loco Religiosus præclari exempli, cui dum adaperto hypogeo ad sacellum S. Laurentij sepulturæ locum quærunt, inuenitur Religiosus iam ante aliquot annos defunctus integro corpore ac veste, fronte hilari, quem dum penitius inspicerent qui aderant, terramque quæ oculis adhærebat amouerent, sentiunt ex oculis fluentes lachrymas, eosque notant apertos, quæ res dum omnibus esset stupori, aduncatis expertissimis medicis consulitur, an vlterius quid attendum esset, quo magis Deus in sanctis suis mirabilis agnosceretur, & ecce dum manum admouent huic Religioso, latus vident apertum, illa considerant integra suauissimum odorem spirantia, immo ex femore viuus erumpebat sanguis, vnde & miraculum cœpit inclamari, & de cætero hoc corpus annuum licet, esse veneratione toti Conuentui ac vniuersitati.

Corpus Religiosi beati inuentum Salamant.

Profitebatur etiam tunc Salamanticæ Scholasticam Theologiam P. Mag. Ioannes Marquez acutissimi ingenij & maximæ lectionis, in illa scientia, vti & in alijs, adhuc hodie supra omnes suos coætaneos vir sublimis, qui tantum authoritatis apud suos discipulos obtinuit Salamanticæ, quantum olim Pythagoras apud suos, vnde totius vniuersitatis publico suffragio ad Cathedram vesperatum Primariam, quæ inter cæteras non nisi grauissimis viris concedi solet, fuit euectus, eamque adhuc hodie, summa cum laude tuetur, studetque relinquere plures suarum virtutum æmulatores, ad instituendum eruditos multos, qui non solum Doctorem celebrem in cathedris, sed in pulpitis excellentem agat Ecclesiasten; quo nomine ad Regis aulam euocatus, aliquoties Regium egit concionatorem, quem vt aula sensit, medullam vniuersitatis dixit adesse, illumque Ioannem in cunctis appellauit.

P. M. Ioan. Marquez celebris Prof. SS Theol.

Circa idem tempus magnum sibi nomen fecit P. Mag. F. Petrus Ernestus Zonsbekius Augustinianus ac professione Flandro-Gandauus, tum doctissimis lectionibus Scholasticis, tum eruditissimis ac feruentissimis concionibus, in vniuersitate Coloniensi habitis. Vi enim ingenij, labore ac industria acquisiuerat hic Religiosus sibi Germanicum idioma breuissimo temporis spatio, in eoque tantum profecerat vt inter celebres sui sæculi Oratores numeraretur. Plurimos hæreticos ad agnitionem veræ fidei adduxit, hocque illi solenne, ac singulare fuit, quod sæpius ab hæreticis ad extemporaneas conciones conuocatus, easdem quamuis de difficillimis materijs prompte, ac

Anno 1606.

P. Ernestus Zonsbekius.

Promptitudo F. Zonsbekij.

ac docte peregerit. Testis posset esse suggestus sum mæ ædis Coloniæ, quem frequenter ascendens paratus de materia Euangelij, prouocatione schedæ coactus fuit vel de iustificationis, pœnitentiæ, purgatorij, aut de inuocatione Sanctorum, totam concionem efformare, argumenta obiecta soluere, Ecclesiæ Cathol. doctrinam, rationibus, testimonijs SS. Patrum, & maxime Scripturis sacris fulcire, illudque ad obitum vsque, quem deplorauit non parum illa ciuitas, immo & inimici fidei.

Augustiniani deserunt Venetias.

Cum anno M. DC VI. magna contentio oborta fuisset inter sanctam sedem Apostolicam, cui præsidebat fel. record. Paulus V. & Serenifs. Venetorum Rem publicam, ob quam etiam publicum interdictum fuerat eulgatum, cum sententia excommunicationis, plurimi Patres & Fratres Ordin. S. Augustini relicta Padua, Vicentia, Verona, Taruisio, ac maxime Venetijs recedentes, ad S. Petri sedem Romanam accessere, etiam contra Reipub. stricta mandata, quæ quilibet pro suo posse pio astu, & dissimulata veste eludebat. Iudæi habitum mala forte Florentinus quidam Pater mihi quondam familiaris sibi assumpserat, ac naui abituriens in Romandiolæ partes sese commiserat, ast præter sannas & mille dicteria, quamdiu inter Venetorum limina hærebat, egregie vapulauit, nec ausus fuit palam profiteri, quod volebat, donec postea reassumpta veste Religiosa, commutatas voces pœnitentium, ac lacrymantium ob iniuste illatas iniurias pro solatio reciperet.

Strinxit tunc calamum in proprios suos conciues P. Mag. Paulus Venetus Augustinianæ professionis; tantoque zelo partes Pontificis ac Ecclesiæ egit, vt patriæ simul in æternum valedixerit Pisauo Monasterio nomen donando.

Eadem charitas alium Religiosum iam Episcopatu donatum à Repub. Veneta in Candiæ Regno, à benefactoribus abstraxit, ne Deo fieret aliqua humana gratitudine, ingratus.

Encomia P. M. Gregor. Nunnez.

Anno M. DCVII. Floruit Romæ istis annis Eximius P. Mag. Gregorius Nunnez Coronel, Lusitanus origine ac professione, magnus imprimis inter suos, quorum statu immutato in Gallias recessit, ac deinde Romam euocatus, etiam ibidem Theologiam multis annis professus fuit, S. D. N. Clementi VIII. charus, ab eodem in Congregationis de Auxilijs secretarium, & consultorem assumptus, & in Theologorum, de qualificandis propositionibus, album adscriptus, familiaris etiam & domestici Pontificij beneficio donatus fuit.

Oblatam dignitatem non suscepit.

Hic Pater plenus meritis, præter multa opera elucubrata, integerrimæ vitæ, à S. N. D. Paulo V. Episcopatu Ciuitatis Castellanæ & Ortensis honorabatur, *Anno M DCVII.* at eundem omni submissione detrectauit inquiens, in tali ætate, quâ sexagesimum annum attingebat, non esse tempus onera suscipiendi, at deponendi, dum ad mortis fossam transiliendum sese pararet.

Promotio P. Hippol.

Illo postmodum constanter renunciante, ac tunc operante pro Reuer. P. Generali, dignitas Episcopalis eadem collata fuit, Reuerend. P. Mag. Hippolito Rauennati Generali, qui laudabiliter eodem officio per sexennium pene functus fuerat, qui non ita post in Ecclesia S. Augustini consecratus fuit, nec ita pridem adhuc Dei benignitate feliciter, & indefesse iisdem Ecclesijs præfuit nonagenarius.

Vicarius Apost. P. M. d'Asti.

Reuerendiss. Hippolito promoto, in Vicarium Apostolicum Ordin. declaratus fuit Rerend. P. Mag. Ioannes Baptista d'Asti Ianuensis, tunc temporis Regens Romani Gymnasij, inter Italiæ Theologos Phœnix, cum pridie suæ promotionis orationem coram S. D. N. & sacro collegio Cardinalium babuisset. Ante hanc metamorphosim celebratum fuerat Capitulum Prouinciale in Belgio Mechliniæ, vbi cum in Prouincialem omnium calculo quæreretur

Capit. Mechlin.

tur Ven. P.F. Henricus Iaupenius, iam alias illo officio laudabiliter perfunctus, nulla ratione induci potuit, vt illud in se susciperet; præsentiens nihilominus constantes animos eligentium, aliquandiu delituit, inuentus tandem rationes subterfugij coram omnibus edidit, inculpans senium, morbum, vires iam imminutas; maxima animi submissione ac candore deprecans omnes & singulos, vt ætati suisque malis parcerent, quod cum vix obtinuisset; R. P. F. Cornelium Lancelotum sub huius Patris pollice formatum, in quo ante ætatem elucebant varia ingenij ac virtutum semina immissa, ac iam tum Coloniæ, tum Hasseleti, vbi Priorem egerat edita; Priorem Prouincialem declararunt, ad voluptatem vrbis Mechliniensis & Illustrissimi Archiepiscopi, quibus huius Patris mores erant probe cogniti.

In maximam spem tunc erigebantur omnium animi, Ordinem notabile aliquod incrementum facturum, & ecce illius Patris Cornelij eiusque Fratris Henrici Lancelotti diligentia & industria adhuc ante finem anni, Ordo Eremit. S. August. admissus fuit tum publico Senatusconsulto, tum communi plebiscito in ciuitatem Antuerpiensem, à qua ante annos circiter X C. non Ordo, sed Ordinis quædam separata Congregatio, Saxonica, hæresi infecta debuerat exulare. In admissionem *29. Decemb.* tunc consensit Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, fuitque non ita post à Magnifico ac Generoso illo magistratu concessa Patribus Augustinianis domus, habitationi aptanda, cui sub initium residentiæ statim inuidit Diabolus, tanquam regno suo præsentiens castrum opponendum, vnde non semel auditus fuit ibidem vlulatus, rugitus, & strepitus petulantis spiritus, quem oportuit benedictionibus varijs, aspersionibus, & exorcismis violenter expellere.

Conuent Antuerp. 1607.

Paulo post incidit in crudeles hæreticorum manus P.F. Ioannes Brantius S.T. Licentiatus dum pro Conuentu Traiectensi cui præerat, Bruxellas cogitaret, fuit ab ijsdem hæreticis Bredam abductus, ac ibidem tetro carceri mancipatus cum scurris ac lixis, in quo etiam vehementer à Caco-theologis fuit exagitatus, ad disputationem potius quam ad prandium euocatus. Sperabant seductores illi hunc Patrem, rationibus, vanis promissis, miseriarumque suarum diuturnarum tolerantia fidei Catholicæ renunciaturum, at cui cit illos illius sobrietas, doctrina, vitæ integritas ac constantia, quibus virtutibus bonus ille Pater commendatissimus restitit illis in faciem, ac euasit corpore quidem infirmatus, animo tamen fortior factus.

Sub Generalatu Reuerend. P. Mag. Hippoliti circa an. M. DCVI. Patres Discalceati Italię conantes assurgere, nouum sibi locum Romæ commodum iuxta vineas Gondorum, retro S. Susannam procurarunt, ibidemque suæ professioni nouitiatum erexerunt, titulo S. Nicolai de Tollentino sacellum insignientes.

Capvt XLVII.
De P. Mag. Ioan. Baptista D'Asti XLV. Generali.

Anno 1608.

Publica acclamatio.

Indictis comitijs Generalibus per Reuerendiss. P. M. P. Ioan. Baptistam Ianuensem in proximum festum Pentecostes, *Anno M. DCVIII.* à congregatis Patribus, Præside Illustriss. Cardin. Saulio omnium suffragijs, publica voce, absque scrutinio declaratus renunciatus fuit Generalis idem Reuer. P. Mag. Ioannes Bapt. D'Asti Ianuensis, ex nobili familia D'Albenga, multo nobilior pietate, ac eruditione: nam inter Scholasticos Theologos Ordin. S. Augustini facile principem locum obtinebat, quam Salamanticæ vna cum habitu hauserat, & per plura Italiæ loca ad plausum omnium edocuerat.

Procurator Ordinis.

Adiunctus fuit eidem Reuerendiss. Patri in officio Procuratoris Ordinis Reu. P. Mag. Guillelmus de Fulginio, qui parem operâ in professione Theologica præstiterat, tum alibi, tum recenter Neapoli, quique humanitate sua, & dexteritate plurimorum animos non ignobiles sibi deuicerat. Ad officium Assistentium assumpti fuerunt, pro Italis R. P. Mag. Petrus Arminiensis' ex-Prior Romanus, & Reuerendiss. P. Mag. Petrus Perea, Ill. Card. Gymnasij familiaris ac Theologus, viri vndique insignes, quorum opera Ordo vniuersus' plurimum sibi applaudebat, expectabatque redemptionem Israël.

Assistentes.

Erectio Colleg. Philosophiæ.

Nec vana omnino spe, serio etenim Reuerendiss. P. Generalis, vti studiosus, mentem studijs applicuit, & primo sui regiminis anno, studia Philosophica à Theologicis separauit, duoque diuersa studia Philosophiis erexit. Andriæ vnum, & in Monte S. Sauini, apud Senenses alterum, cuilibet loco assignans Lectorem idoneum, cum competenti studiosorum numero, è quibus omnes sibi montes promittebant, sed promisere tantum.

Laudatur P. Mag. Guil. Vicent.

Romano Gymnasio Theologico præfectus fuit vir in ea facultate eminentissimus P. Mag. F. Guillelmus Triffinas Vicentinus, totus Metaphysicus, totus Zabarellæ discipulus, totus in Metaphysices ac Theologiæ doctrina singularis, attamen Catholicus, cuius extant controuersiæ inter D. Thomam & Ægidium Romanum subtili enodatione conciliatæ, quem non pœnituit me audiuisse, pœnituit sæpius non percepisse: viua enim vox transiens, minus inhærebat memoriæ, quam scripta non concessa, fecisset.

Nec minus in moribus efformandis tunc proficiebat Reuerendiss. Generalis: Depositum enim & inuentarium in conuentu Romano indixerat, aliaque nonnulla moliebatur, quæ constanti mente ad finem honestum perduxisset, nisi forte abitus in Hispaniam, vbi præsentia eius requirebatur, eadem concepta præpediuisset.

Conatus Reu P. D'Asti.

In Hispaniam enim proximo Octobri ab electione concessit, ibiq; molestijs Capitulorum Prouincialium quibus præsedit, visitationibus, laboriosis itineribus, ac restaurationibus fructuosis, biennium fere impendit, & bene.

Obitus P. Henrici Iaupen.

Diem interim clausit extremum in Belgio Ven. P. Henricus Iaupenius' Mechliniensis, secundum Prouincialis illius Prouinciæ, de Ordine, & maxime de Prouincia illa bene meritus, multa pro Religione Catholica passus', sub quo Conuentus Mechliniensis, à tyrannide Caluinistica fuerat destructus, sub quo etiam vna cum Ecclesia magna ex parte fuit restauratus, non-

solum

solum erectis solidis muris, sed moribus firmatis apud plures subditos, quorum virtutem adhuc hodie, illa Prouincia sentit, non pœnitendo fructu.

Absentiam Reuerendiss. P. Generalis ab Italia plurimum mitigabat prouida ac discreta administratio Ordin. in Italia, admod. Reueren. P. Mag. Guillelmi Fulginatis, cui Vicariatus incumbebat, quo etiam functus fuit, vsque ad Maium anni M. DCX. bonorum omnium applausu, maxime in Italia præsentium, qui dulcem ferulam simul & fortem experti fuerant, à qua etiam non ita facile, superueniente Principali, auellebantur animi singulorum.

P. M. Guill. Fulginas Vic. in Italia.

Rursus sub finem *anni M. DCVIII.* Reu. P. Antonius de Gnuea vna cum Dansbekio viro nobili destinatur à Rege Persiæ ad S. D. N. Paulum V. tum vt Prælatos & Monachos impetraret; tum vt ad mutua subsidia contra Turcam Principes Catholici excitarentur per summum Pastorem, & is per bos Legatos.

Legatio P. Antonij.

Postquam dictus Pater ad Regiam Catholici Regis aduenisset, communi sumptu Regio, plurimi Religiosi præcipue Ordin. S. Augustini in Persiam fuere transmissi, inter quos fuere cæterorum Duces P. Sebastianus à S. Petro & P. Melchior ab Angelis Lusitani, P. Bernardus de Azenedo, & P. Didacus de Zaratte Castellani, quorum opera regiones illæ egregie in fide Christiana profecerunt, quamuis varia sorte, animisq; Principum nonnunquam vacillantibus.

Anno 1609. Operarij in Persiam.

In Belgica Prouincia hoc anno mutatus fuit locus Monasterij Traiectensis ad Mosam: antiquo enim loco partim iniuria temporum, partim Mosæ allapsu, fere diruto, absque magna spe reparationis, & extra omnem spem dilatationis, imperterrito animo omnibus fere obganientibus P. Ioannes Brantius illis annis Prior habito consensu Capituli Prouincialis & Ordinarij imperrato alio loco vacuo, coëmptis etiam aliquot adiunctis ædibus vna cum omnibus Religiosis, supellectile, ac defunctorum ossibus migrauit ad Ecclesiam S. Mariæ ad littus, vbi tum ex eleemosynis, tum ex precio diuenditi Monasterij, domum vtcumque exiguam satis excitauit, successoribus locum, & ansam ædificij, laborum, ac curarum relinquens amplissimum.

Mutatio loci Traiectensis Monast.

Apud Lusitanos celebrato Capitulo Prouinciali, Patres vocales non fuere passi lucernam sub modio, sed P. Mag. Franciscum Pereira, quondam Assistentem Hispaniæ, & S. D. N. Pauli V. concionatorem, quamuis grauioribus officijs assuetum, suæ Prouinciæ Prouincialem declararunt, ad quod officium idem Pater adhuc in ætate, quæ laborem patiebatur sese submisit, eoque ita prouide ac strenue functus fuit, vt non ita post ad illius Regni Episcopatum celebrem promotus fuerit, quem adhuc hodie feliciter dirigit.

P. M. Franc. Pereira Prouinc. Lusit.

Fit Episcopus.

Secundo anno Regiminis reuerendiss. P. Ioan. Bapt. D'Asti ex hac miseriarum valle ad cælestem illam patriam euocabatur Ven. P. F. Guillelmus da Tarsi Erem. August. Calaber, miræ sanctitatis Religiosus Sacerdos, & miraculorum gloria insignis, cuius fama cum iam aliquam partem Italiæ, maxime Siciliam, & Regnum Neapolitanum peruasisset, ad similem locum Cotronensem sese recepit, vbi ædificato sibi suisque Religiosis fere decem, quorum curam gerebat, cœnobio & Ecclesia, accurrentes cæcos illuminauit, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, & desperatis ab omni humana medicorum manu incolumitatem restituit, futura denique plurima spiritu Prophetiæ prædixit. Multa audio eundem Patrem Beatum miracula post obitum edidisse, & adhuc hodie, totius Regni beneficio, edere, quæ voueo vt edantur.

P. Guill. Calaber.

Reditus d'Asti in Italiam.

Circa *Maium anni M. DCX.* Reuertebatur in Italiam Reuerendiss. P. Generalis d'Asti, vbi cæterum suæ visitationis decurrebat, non sine fructu ac spe ad altiora conscendendi.

Martyrium P. Hispani.

Octauo Calendas Maij ab Hollandis mare Indicum deprædantibus iam alias præda factus Sacerdos Ordin. S. Augustini (Ildefonsus ab aliquibus nuncupatus) post dura tormenta, ac longam mediam orationi intentus, suæ professionis ac fidei viris, victoriam imperauit apud Manilliam, quâ habita, tantum tyranni illum possidentes, ex acerbati fuerunt, vt eundem rabie acti iugularint inter preces & diuinas laudes.

Martyrium P. Raphaëlis.

Eodem fere tempore ponitur Martyrium P. F. Raphaëlis de matre Dei, quem Iori iuxta Malaccam in Prouincia Sundæ pro fide Christiana interemptum fuisse narrant relationes Persicæ illius anni.

Martyrium FF. Galliæ.

Aliquot annis ante, tres Religiosi Ordin. S. August. in Gallia à Caluinistis trucidati sunt: fide enim data, sub certis pactis Genuensem ciuitatem in Tolosana Prouincia sibi tradi petierant; illamque ab agnis impetrauerant, vti & Monasterium S. Augustini, quod in illa ciuitate satis munitum, primum impetum illorum potuisset sustinere. Sed fide Caluinistica, Monasterium spoliarunt, P. F. Nicolaum de Clero, & P. F. Raimundum Clarac, ex eodem Monast. extractos in profundum puteum præcipitarunt, & suffocarunt, P. F. Mirofolium S. T. Doctorem infami laqueo strangularunt. Alium vero ex eodem Conuentu Baccalaureum præcisa lingua, mamillis ac membris genitalibus crudeliter exanimarunt. Prout huius crudelitatis testes ampliores citantur, fide dignissimi Patres P. Mag. Ioannes Puteanus S. T. Doctor, & P. Mag. Cosmas Pelapratanus, qui aliquoties Prouincialatum Prouinciæ Tolosanæ laudabiliter gesserunt, & Academiam Tolosanam, simul cum Carducensi doctissimis suis lectionibus multis annis euexerunt, summo cum fructu, Scholasticis exercitijs intensissimi, in quibus palmam illius Prouinciæ obtinuere, tanto cum nomine Ordin. S. Augustini, vt adhuc hodie altero illorum defuncto, eadem cathedra ad Augustinianum, tamquam in litteris successorem deuenerit.

Capit. Belgij Brugis. Encomia P. Thomæ Gratiani.

In Belgio celebrabatur hoc anno M. DCX. Capitulum Prouinciale Brugis Flandrorum, vbi in Prouincialem electus fuit R. P. Thomas Gratianus Ordinis ac honoris Dei zelantissimus; restaurauit enim is Monasterium Bruxellense egregijs ædificijs, auxit redditibus, liberauit grauibus debitorum oneribus. Rexerat ante Monasterium Leodiense, in eoque non parum profecerat, vti & in Tornacensi, acquisiuerat etiam Ordini Monasterium Bullonense, totamque Prouinciam difficillimis temporibus, consilio, ac propria præsentia plurimum promouerat, maximumque specimen præbuerat boni regiminis futuri in Prouincialatus officio, quare & merito idem, eidem Patri fuit delatus. Sedulus postea fuit in promouenda disciplina Monastica, quam Coloniæ & alibi nondum satis integram, fundauit. Studijs, bonisque litteris pro virili suo consuluit, plures quàm vnquam alias, ad eadem promouit. Nec desiit ipse studio, præcipue historico in quo accuratus, fidelis, ac continuus fuit, prout plenius colligit, qui Anastasim illius leget, fidem faciunt omnia Belgica archiua, immo ego ipse, qui Belgica fere omnia hic apposita à bono hoc Patre obtinui.

Colleg. Louanij.

Illius tempore cœpit Collegium Louaniense Ordin. nostri inter cætera pædagogia humanioribus litteris destinata adnumerari, illasque publice profiteri habita tum ciuitatis, tum vniuersitatis facultate, excitauit etiam frequenter aliorum Patrum demissiores animos ad similem professionem rite suscipiendam, experientia sciens, quantum ipse simili officio Bruxellis, vbi primum ante decennium Scholis initium fecerat, profecisset, totius Ordinis bono.

Et ne

Et ne aliquid videar omittere quod ad decorem, & gloriam S. P. Augustini facit, eorum saltem quæ mihi perspecta sunt; interim dum de Louaniensi Academia ago, addam præclarum illud, & maxima commendatione dignum illius vniuersitatis, immo totius dioecesis Mechliniensis erga S. P. Augustini venerationem votum, quo circa hæc tempora Eximius & Reu. Dom. Ioannes Iansonius collegij Pontificij Præses, Sac. Theologiæ Professor & Decanus S. Petri, impetrauit à S. Sede Apostolica, vt cum illi vniuersitati, tum cuiuslibet præfatæ dioecesis Presbyteris, liceat officium proprium, prout fratres Eremitæ illud recitant, in festo S. Augustini, nec non in octaua recitare, quod vt diligentius fieret in æde principali Louanij, idem D. Iansonius, certam constituit Dom. Canonicis, necnon Capellanis perpetuam portionem.

Pietas Louaniensium erga S. August.

Madriti istis annis ex hac vita decessit P. Franciscus à Castro Verde, vere æterna memoria dignus, concionator Regum Hispaniæ, ad inuidiam exempli, cui non semel, sed sæpius tum ab ipsis Regibus, tum à tota Hispania acclamatum fuit: *Regis concionator, & Rex concionatorum*; in facundia erat Chrysostomus, in libertate dicendi agebat Ambrosium, in doctrina videbatur Augustinus, in humilitate & modestia alter Hieronymus, in refutandis honoribus, ac dignitatibus plusquam S. Bernardus, quintum enim recusauerat Episcopatum, nec hos solum, sed superfluas alias omnes commoditates, vt verum ageret concionatorem Euangelicum cum Ioanne Bapt. ante Reges & præsides, denudata fronte agens vocem clamantis in deserto Pœnitentiam.

Obitus P. Castro Verde.

Anno M DCXI. Occubuit præclarum illud Lusitaniæ lumen, ex Ordin. Augustiniano desumptum, ac in Metropolitanæ Braccharensis Ecclesiæ candelabro eleuatum, Illustriss. inquam D. Augustinus de IESV, primas totius Lusitaniæ, qui aliquot lustris illi Ecclesiæ ita præfuerat, vt videretur eandem potius instituisse, quam restituisse, Seminarijs, Monasterijs, Collegijs, Hospitalibus, aliisque fundationibus de nouo erectis, nec internis tantum, sed externis miseris, exulibus ac profligatis Hibernis.

Obitus D. August. de IESV Archiep. Bracgensis.

Euocatus tunc fuit ex Indijs D. Alexius de Meneses, Indiarum orientalium Pro-Rex, & Archiepisc. Goanus, de quo superius egimus, quem constat inter barbaros plurimis annis vixisse, & feras illas nationes, ad veram Christi Ecclesiam adduxisse, multaque miracula perpetrasse, & sua manu aliquot centena millia, & inter ea, aliquot reges, regumque filios baptizâsse, ita vt de illo merito dictum fuerit, quod à D. Thomæ Apostoli temporibus nullus ibi maiorem fructum in animarum salute promouenda fecerit. Sedecim enim annis Archiepisc. Goaoum gessit, ex bis triennio Proregem Indiæ egit, bis Hollandiæ prædones, satis magno numero Malacam & Mosambequium inuadentes armata manu reiecit: Piperis Reginam, aliosque infideles Reges superauit, schismaticum Babylonia Patriarcham à Malabaricis Regnis pro capite Ecclesiæ agnitum exclusit, Malabaricos omnes vna cum Dauide Patriarcha Armeniæ, & sex Episcopos eorumque subditos ad veram fidem Catholicam reduxit. Quadraginta & amplius Paroecias suis sumptibus vt & Monasteria plurima, erexit ac fundauit. Hæc omnia vt sedulo curaret, aliquoties euidentissimo sese vitæ periculo exposuit, non faciens animam suam pretiosiorem seipso, maxime in ciuitate Parumensi cum per medios trium millium coniuratorum gladios districtos Archidiaconum omnibus charissimum officio priuauit, cum publice Sacramenta Confirmationis rite Catholico contulit, & perfidam Nestorij hæresim, cui barbara illa gens assueuerat, solenni ritu detestatus fuit.

Successit in sede Bracear. D. Alexius de Meneses.

Haius de reb. Iapon.

Acta Heroica P. Alexij.

Vide de his Anton. Gouea in hist. Orientalis progressu.

Promotio P. Alexij ad Eccl. Bracear.

His itaque meritis vti spolijs ab impio Tyranno inferni onustus bonus hic Prælatus redux in Hispaniam, primum ad sedem Braccarensem, quæ totius Hispaniæ, vel ad minus Lusitaniæ est primaria Metropolis, fuit euectus: deinde biennio integro Regnum Lusitaniæ illius fidei fuit commissum, in quibus officijs non minus quam ante in Indijs magna viri pietas, rara prudentia, liberalitas summa, aliæque virtutes tanquam in idea speciosa emicuêre raro exemplo.

Subijt officium Proregis Lusitaniæ.

P. Ægidius professor Conimbr. insignis.

Testimon. P. Suarez de P. Ægidio.

Et quia in Lusitània versamur, hic eadem opera libet meminisse eminentissimi illius Theologi, quem adhuc veneratur & suspicit illud Regnum, P. Mag. Patris Ægidij de Præsentatione cathedram vesperarum ibidem, iam vsque emeritam lauream obtinentis, cuius ea est doctrinæ sublimitas, vt semper R. P. Francisco Suarez è Societ. IESV in eadem vniuersit. Professori par habita fuerit. Audiui ipse quondam R. P. Suarez huius Patris Ægidij laudes deprædicantem tam alte, vt assereret, hunc vnicum se habuisse in studijs suis excitatorem, nec se nouisse hodie excitatiorem Theologum. cuius elogij veritas colligitur ex editis operibus Scholasticis de visione beatifica ab hoc eodem P. Ægidio, in quibus lumen aliquod, supra commune lumen Theologicum præbetur intellectui, futuræ visionis lucida species.

In Valentina vniuersitate pari fere merito ac doctrina docuerat F. Mag. Michaël de Salon, cui iam emerito militi ac Duci Theologicæ militiæ in eadem professione successit P. Mag. Sebastianus Garzias, & ipse antecessori suo acumine, ac docendi methodo non impar.

Eodem anno M.DC XII. in quo hæremus, scio Religiosum ex Ordine S. Augustini, magnis arduisque negotijs Reipub. Catholicæ, ex commissione sedis Apostolicæ non paruam operam præstitisse, dum Legationibus varijs ad Electores Ecclesiasticos, & ad alios Imperij Principes fungeretur, & comitijs imperialibus Francofurti adesset, dum nomine eiusdem sedis, plerasque Abbatias Ordinis Præmonstratensis visitauit, alijsque officijs bene meritus fuit, magna Ordin. S. Augustini æstimatione.

Vtitur sedes Apost. Augustin. in Germania.

FP. Augustiniani in Belgio frequenter inter hæreticos degunt Catholici.

Scio etiam tum hoc, tum antecedentibus & subsequentibus aliquot annis ex Ordin. Eremit. S. Augustini varios Religiosos, à Prouinciali Belgicæ Prouinciæ ad spiritualem messem Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ dimissos fuisse, ac diu inter hæreticos dissimulata veste degisse, concionibus, sacrificijs, & Sacramentorum administrationibus intentos, spretis periculis, laboribus, & ludibrijs hæreticorum, quibus ad singula momenta paratos se præbebant. Vidi ego ibidem tantum Confratrum nostrorum zelum, & tantum sæcularium ad res sacras in occulto concursum, vt putarem redijsse SS. Apostolorum prima illa sæcula, & primitiuam Ecclesiæ faciem. Laniones, bibliopolas, coriarios, sutores, milites, ac nobiles plerique sese mentiebantur Religiosi Sacerdotes, nec mentiebantur, carnem enim mactabant spiritu, codices Euangelicos circumgestabant, pellem suam pro fraterna salute exponebant, colore fidei suos tingebant, pro vera Christi Ecclesia decertabant, & veram nobilitatem Catholicam profitebantur comptis moribus syncerae pietatis, ac integræ fidei.

Promotio P. Ant. de Gouea.

Agit legatum à latere.

Eodem anno remissus fuit in Persiam à S.D.N. Paulo V. Pater F. Antonius de Gouea August. cum potestate legati à latere, primum à Rege Hispaniæ Episcopatu Chinensi donatus, consecratione obtenta Vlyssipone in ferijs Natalitijs, magna illius populi voluptate. Penetrauit hic bonus infidelium Apostolus cum syneremitis vsque ad Regnum Bombarecæ, & Christianos S. Ioannis.

Consecratio P. Mag. Petri Perea.

Circa idem tempus P. F. Petrus Perea quondã Hispaniæ Assistens cõsecratus fuit Madriti Episc. Ariquippensis in Regno Peruntino, qui locus ibidẽ nõ igno-

ignobilis, magnum sentit instructionis ac boni regiminis ab hoc Patre etiamnum beneficium.

Obijt etiam hoc anno in Belgica Prouincia Ven. P. F. Ioannes Cools ob præclaram in dicendo facundiam ac facilitatem qua viginti & amplius annis, tum Gandaui, tum Bruxellæ ad palatum omnium, Ecclesiasten egerat, Cicero Teutonicus appellatus: Gandensis Monasterij Eremit. Prior, ac sedulus restaurator, omnis fortunæ hominibus gratissimus, è Monasterio Middelburgensi eiectus ab hæreticorum rabie totum sese ad Monasterij Gandensis restaurationem conuertit: cum enim illud funditus vna cum Ecclesia hæreticorum sacrilega insolentia periisset, bonorum ciuium liberali manu, & industria huius Patris in meliorem formam omnia fuere restituta. Huius etiam Patris beneficio habet illud Monasterium Gandense Scholas humaniores vna cum seminario, ex quo Ordini copiosa redundat vtilitas, magnus ciuium fauor, & magna apud Deum paratur gloria.

Obitus Ven. P. Cools Gand. Eiusdem Encomia.

In eadem Prouincia anno sequenti 3. nonas Febr. decessit è viuis magno suorum & totius vrbis Læodiensis luctu P. Mag. F. Ioan. Bapt. à Glann S. T. D. Parisiensis, vir doctissimus ac disertissimus, quem Læodium multis annis, Tornacum, Dionantum, Antuerpia & Bruxella ex sacro pulpito dicentem obstupuit, magnoque honore prosequuta fuit. fuerat is quondam à Rege Galliæ Henrico tertio, ad Sixtum V. vna cum Duce Luxenburgico destinatus, vt pro Rege peroraret; fuerat magnus Catholici fœderis tempore obsidionis Parisinæ Consiliarius, ac Læodiensis postmodum cleri Theologus.

Obitus P. M. à Glano Læodij.

Pari Ordinis vniuersi luctu & mœrore obijt Romæ, Cardinalis Georgius Petrochinus à Montelparo Ordin. S. August. alumnus ac quondam Generalis, qui post multa beneficia præstita animam Deo, corpus B. Augustino ac S. Monicæ commendauit, ante cuius aram sepeliri voluit.

Obitus Card. Montelparo.

Celebrem scriptorem ac professorem Scholasticæ Theologiæ, P. Ioannem Sapata August. Indum origine hoc anno Vallisoleti docuisse audio, ibidemque edidisse commentaria in 1. part. S. Thomæ, postquam duodecim annis in Academia Mexicana magno applausu Theologiam prælegisset.

Salamanticæ in eadem Hispania clarent doctrina & professione Theologica Ven. Patres Mag. F. Basilius de Leon & P. Franciscus de Corneio, multis nominibus commendandi, ob ætatem integram Theologico studio eiusque professioni impensam, efformatosque viros non paucos. Regit hic cathedram Durandi, ille Scoti, quas illa vniuersitas exercitij gratia habet celebres, nec desuit R. P. Mag. Basilius calamo, quem colligo non minus doctum quam disertum ex pluribus operibus moralibus, sacra Scriptura, ac conceptibus refertissimis, quo referat etiam stylo ac virtute patruum Alouisium de Leon, cuius alias dotes tetigimus.

Salamanticæ Professores Theol. Scholast.

Eiusdem nationis ac habitus viri eodem *anno M. DCXIII.* ex Regia vrbe Aspani mittuntur Persarum Regis Legati ad Regem Hispaniæ, antiquum initum fœdus firmaturi, nouumque inituri, P. Melchior ab Angelis & P. Bernardus d'Azeuedo, quos rursum Hispaniarum Rex remisit, Persamque non nihil turbatum placare studuit, prout præfati Patres eiusdem animum sedauere.

In Belgio celebrantur *25. Aprilis* comitia Prouincialia Hasseleti, in quibus maiori suffragio renunciabatur Prouinciæ Præses Ven. P. M. F. Nicolaus Staffart Læodius, vir singulari modestia ac humanitate præditus, quem etiam facundia concionum, ac solertia agendi in Principatibus Læodiensi ac Tornacensi multum commendauerat.

Capit. in Belgio Hasseleti.

Offe-

Fund. Conu. Herendall.

Offerebatur in ijsdem comitijs Ordini noua colonia Herendallij, sexto lapide ab Antuerpia, cuius oppidi ciues Scholas decreuerant erigendas, easque Patribus Augustinianis committendas. Reijciebatur autem hoc munus agendi cum illius oppidi viris in Ven. P. F. Cornelium Lancelottum Priorem Antuerpiensem, & in Priorem Bruxellensem, quorum opera non ita post Festum S. Augustini, conuentum fuit cum Magistratu, electus & acceptatus locus Monasterio ædificando non incommodus. Loco autem datus fuit primus Prior Ven. P. F. Guillelmus Denijs, quem audio plurimum profecisse, in muris ac moribus erigendis, totius Campiniæ commodo.

Primus Prior Herendallij.

Confraternitati Corrigiat. conceditur quælibet Dominica.

Cum iam alias confraternitati Corrigiatorum quæ apud Patres Eremitanos est solennis, sanctissimi Pontifices plures indulgentias concessissent, S. D. N. Paulus V. easdem ad certam formam reduxit, ac cultui huius confraternitatis addixit quartam Dominicam; quam cum experientia doceret in aliquibus locis præpeditam, *hoc anno 13. Iunij*, concessit Confraternitati aliquã ex Dominicis indeterminatam, pro loci commoditate, vt in eadem fideles supplicationi intersint, & plenariam indulgentiam consequantur.

Obitus P. M. Plumbini.

Discessit ex hac vita Romæ circa idem tempus Exim. P. Mag. Ioan. Bapt. à Plumbino in Scholastica, ac scripturali Theologia versatissimus, quam in publico Gymnasio Romanæ Sapientiæ multis annis exposuit. Vnde etiam à S. D. N. Clemente VIII. inter Theologos consultores S. Officij, Congreg. de Auxilijs, & inter examinatores Episcoporum ascitus fuit. Idem tantum in idiomate Hebræo profecerat, vt aliquot annis Hebræorum concionibus diebus Sabbathinis fuerit præfectus. Ordinis etiam Procuratorem Generalem plusquam decennio egerat, non infelici negotiorum promotione.

Oeconomia P. M. Ioan. Bapt. Romani.

Conuentum Romanum ædificijs ac restaurationibus ornauerat aliquot annis ante Exi. P. Mag. Ioannes Baptista Gori Romanus, cuius & Oeconomiam senserant, præter Romanam Prouinciam pleraque Italiæ Monasteria, in quibus etiam Ecclesiastem egerat non vulgarem, quod indicat quadragesimale editum, iamque quarto recusum. A simili labore, & industria mihi commendandus esset P. Mag. Spiritus Mediolanensis, quo authore & Prouincia illa, & Monasterium Mediolanense ad eam formam, in qua nunc o[illegible]nibus Monasterijs eminet, surrexit, ad cuius obitum tota Lombardia suspirauerat.

Mediolanum etiam tunc & adhuc modo ornat Exim. P. Mag. Aloysius Bariola in sacris Canonibus versatissimus, Archiepiscopalis Theologus Mediolani, ibidem sacræ Pœnitentiariæ Præfectus, ac Inquisitionis consultor eruditissimus, quē suspicit ac veneratur ciuitas Mediolanensis vti virum ad maiora, meritis suis hoc exigentibus, euehendum.

Capit. Gener. Romæ.

Turbatio non modica.

Anno M. DCXIV. Indictis comitijs Generalibus Romam per Reu. P. Mag. Ioan. Baptistam D'Asti, non parua fuit Religiosorum accurrentium, ac prætendentium frequentia, non parum etiam commoti diuersorum animi, diuersa sentientes, maxime vbi Cardin. Saulius Capituli Præsidens, infecta electione, certis de causis, domum se recepit: attamen è vestigio à S. D. N. Paulo V. substituto adm. Illust. Dom. Scipione Cobellutio tunc Breuium Præfecto, nunc S. R. E. Card. Amplissimo, sedatis motibus pacificè iuxta Ordin. constitutiones ac sacros Canones reassumpta electione, canonicè electus fuit in Priorem Generalem Ven. P. Mag. Nicolaus à S. Angelo, quondam in diuersis officijs Ordinis exercitatissimus, & nouissime Italiæ Assistentis officio defunctus, præter omnem illius, & forte aliorum spem atque opinionem.

CAPUT XLVIII.

De P.M.F. NICOLAO A. S. ANGELO XLVI. Generali.

R.P. Mag. Nicolai à S. Angelo elogia.

POSTQUAM R.P.M.F. Nicolaus à S. Angelo taliter assumptus fuit, ratus sibi à Domino Deo hoc contigisse, sategit omnibus viribus officio suo satisfacere; primis enim annis Italiæ visitationi sese accinxit, ac morbi conscius rigorosissima decreta pro restauratione disciplinæ edidit, eaque sub censuris ac pœnis grauissimis demandauit obseruanda: nec omnino in earundem executione remissus fuit, quamuis id quod voluit non semper potuerit assequi. Inculpata tamen illius vita, mores incomptiores, nulla in homine ambitio, sincera intentio, bona consilia, constans sententia, longa experientia, & singularis illius pietas, satis actiones omnes illius promouerunt, vitia retardarunt, ac virtutes excitarunt.

Mutatio modi electionis,

Mutata fuit tum in hoc Capitulo, tum in sequentibus nonnihil ratio, modusque electionis, nam vbi hactenus adhibebatur scriba, qui petitorum nomina singulis describeret, iam quilibet iubebatur propria manu eligendum, seu electum scribere. quam Bullam in varijs Prouincijs, ob alia inconuenientia, constat non fuisse acceptatam.

Romani Conuentus reformatio.

Primum etiam de Conuentu Romano eiusque familia sollicitus, Reuerendiss. Pater, huic Monasterio præfecit Reuer. P.M. Fulgentium à monte in Georgio, quem etiam vbi comperit frugi esse, ac in temporalibus, non secus atque in spiritualibus proficere, seduloque rem Monasterij ac Ecclesiæ promouere, toto sexennio præter morem in officio reliquit.

Assistentes.

In eodem Generali Capitulo ad Assistentis officium promoti fuêre RR. PP. Mag. P. F. Ioannes Vincentius Spinola Genuensis, & P.M. Alphonsus Nungues Castellanus, pro Vltramontana natione, ambo viri graues doctrina ac pietate illustres.

Procurator Ordin.

Procuratoris Generalis locum obtinuit R.P. Mag. F. Laurentius Emporiensis, vir si quis alius, & hoc & maiori officio dignus. Præter Theologicam Scholasticam quam multis annis, & nouissime Romæ professus fuerat, singularem notaui in hoc Patre vitæ rigorem, atque agendi dexteritatem, sublimi ingenio coniunctam.

P.M. Guill. Fulginas Professor SS. Th.

Cessit tunc officio Procuratoris, R.P. Mag. Guillelmus à Fulginio, quod sexennio præcedenti præclare egerat, vicesque Reuerendiss. Generalis non subierat, adeo humaniter, benigne, diligenter ac fideliter, vt vix habuerit, vel forte habiturus sit parem. quod cum à plerisque notaretur, ac nimium externo Zephyro promoueretur, plus fuit incommodo, quam commodo; magisque forte profuisset, si solos Religiosos, quorum animis non carebat, adhibuisset. Roma tamen non cessit, sed in publico collegio Sapientiæ sacras litteras cum laude exposuit; aliquot Cardinalium Theologicis consilijs occupatus.

Inter Calabros apud oppidum Lacense viuere desijt inter mortales F. Bernardus Bergomensis Ordin. S. Augustini Discalceatorum Laicus, ipsa Vigilia S. Michaelis, cuius vita fuerat innocentissima signis ac prodigijs referta, de quo hoc fertur quod pridie obitus cælestem musicam audiuerit, ac in ipso transitu S. Augustinum cum B. Monica obuios senserit, quod ipse flexis genibus moriens sine vllo strepitu, adstantibus indicabat.

Fund. Monast. Diestensis.

In Belgio, hoc eodem anno Ordinis nostri colonia deducta fuit Diestium, maximè incitante ciuium animos, Principisque Auraici mentem R.P.

F. Cornelio Lancilotto, Priore Antuerpiensi, ac P. Priore Bruxellensi, quorum opera impetratus fuit consensus, conuentumque de pactis circa iuuentutis instructionem; primumque huic loco assignatus fuit Prouisor, ac Promotor P. Ioannes Brantius, tunc adhuc Prior Traiectensis, hisce laboribus & arduis initijs iudicatus non inutilis.

Ædific. Eccl. Antuerp.

Eodem anno per R. P. Priorem Antuerpiensem præfatum iacta fuere fundamenta Ecclesiæ Antuerpiæ, sedulo ædificium promouente Magistratu illius vrbis Amplissimo, præ cæteris tamen D. Henrico Vander Goes mercatore, cuius opibus, etiam ad aliquot millia aureorum profusis maximum cepit illa Ecclesia incrementum, ita vt triennio post, ad perfectionem deducta consecrationem obtinuerit.

Erigitur Colleg. Bruxellæ.

Sub idem tempus à P. Priore Bruxellensi iacta fuere fundamenta Scholarum ad fluuium Sennam incredibilibus curis & expensis, tum ipsius tum bonorum virorum industria procuratis, ad illam commoditatem ac splendorem, quo pauca videntur in Ordine ædificia.

Obitus ac elogia P. Mag. Cornel. de Bye.

Ipso festo S. Matris Annæ ex hac vita decessit Bruxellæ, Reu. P. Mag. F. Cornelius de Bye, qui pro Ordinis ac veræ fidei propagatione laborauerat XXII. annis in Occidentalibus Indijs, rarus in idiomate Chichemecano, ac Ottomitico, ex quorum gentecentum & sexaginta hominum millia baptizauerat, ac in fide instruxerat, vt certissima illius continebant testimonia. Vicariatum Generalem Belgij, aliarumque Prouinciarum multis annis gesserat, solaque sua vmbra plurimum ibidem profecerat, ob animi candorem, zelum, & externos ritus: Principibus, alijsque viris charissimus, suisque Confratribus, benignus bene currentibus, ac volentibus proficuus. extabit illius memoria fere in singulis Monasterijs maxime Bruxellis.

Fundatio Insulensis loci.

Imperabat tunc Belgicæ Augustinianorum Prouinciæ Exim. P. M. F. Nicolaus Staffart, qui æque strenuum sese præbuit in procurando loco Insulensi, cuius vrbis Magistratum, tandem sub finem anni eo perduxit, vt in admissionem Ordinis S. Augustini intra vrbis suæ mœnia consenserit, etiam adhuc durante lite pro fundo ac domo, quondam legata; de qua inferius anno M. DCXIX.

Fund. Monast. & Collegij Huensis.

Maiori adhuc liberalitate excepit Seren. Dux Ferdinandus, Princeps & Episcopus Lædiensis Ordinem S. Augustini in oppidum suum Huyense, vt constat ex litteris expeditis *24. Octobris hoc ipso anno.* approbatis à Dominis Capituli, Gubernatore ac Consulibus dicti oppidi, ad instantiam R. P. F. Georgij Maigretij, cuius etiam industria ab eodem Serenis. Principe impetrata fuit vnio Parochialis Ecclesiæ S. Georgij ibidem, cum omnibus annexis beneficijs, fructibus, ac prouentibus, cum onere docendi iuuentutem, prout non ita post, ludus litterarius ibidem apertus fuit frequenti discipulorum concursu. Datusque fuit, & huic loco primus Prior idem P. Mag. Georgius Maigretius, qui anno M. DCXVIII. fabricam non exiguam pro Religiosorum receptione aggressus fuit, eodem Serenis. eandem promouente, primumque lapidem iaciente.

Vnio Eccl. Paroch. cum beneficijs.

Primus Prior P. M. Georg. Maigr.

Fund. Monast. & Collegij Bouinicen.

Eodem adhuc anno, fertili pro Augustiniana Religione, Magistratus Bouinensis petijt operam Patrum Augustinianorum, in suo licet exiguo oppidulo, eamque obtinuit suæ iuuentuti, assignando Religiosis pro prima habitatione sacellum & hospitale coniunctum, certamque sustentationis annonam. Quod pium ipsorum votum probauit sub idem tempus Episc. Namurcensis, Patriæ illius sæculare Concilium, Principem referens authoritatem.

In-

In Lusitania officium Proregis gesserat Ill. Dom. F. Alexius de Meneses biennio, iubeturque Regi Hispaniarum adesse, ac eiusdẽ Lusitanici Regni coram Rege Præsidem agere, quo iam absens imperare pergeret, quæ præsens perficere non potuisset.

Illust. Alex. sit Præses Conc. Regij.

Captus fuit hoc anno proprijs Sultani Maxinanensis manibus Ven. P. F. Guillelmus à S. Augustino Lusitanus, ac crudeliter verbis, verberibusque exceptus ob Christianæ fidei nomen, habitumque Religiosum, quem gerebat: postea vero dimissus à Sultano, sine dubio data opera, versus Babyloniam, ab iisdem Sultani militibus inter Aspamum & Babyloniam vulneratus constanter occubuit, editis adhuc ante obitum præclaræ sanctitatis indicijs.

Martyrium P. Guillelmi a S. August.

Decessit etiam hoc anno è viuis Hispali Ven. P. Mag. Petrus à Valderama suæ quondam Prouinciæ Præses Prouincialis, S.T.D. huius sæculi concionator celeberrimus in Hispania, quem & extra Hispaniam commendant editæ conciones in quadragesimam, anni Dominicas, & festa, tum in Italicum, tum in Gallicum, aliaque idiomata translatæ. Exædificauit etiam is aliquot monasteria in Hispania Betica, sumptibus amplissimis, suâ operâ & industria acquisitis.

Obitus P. M. Valderama.

Floruit tunc adhuc Vlyssipone R. P. M. F. Emanuel de conceptione, Religiosus omni genere doctrinæ ac virtutum refertus, Lusitaniæ Prouinciæ quæ in Ordin. S. Augustini vna est ex optime morigeratis quondam Prouincialis, ac Regius cõcionator, cuius diligentia in lucem prodierunt conciones celeberrimi viri Didaci de Payua.

R. P. M. Emanuel de concept.

Floruit etiam in Gallijs Exim. P. Mag. F. Rogerius Gyrard, Conuentus Erem. S. P. August. Parisiensis Vicarius & Visitator Generalis, quem à secretis Confessionibus ac pijs consilijs sibi delegit Sereniss. Regina Franciæ, qui etiam, vti bene meritus de illa corona, donatus fuit Prioratu beneficiario Domus Dei montis Morillensis, quo adhuc gaudet manens Aulæ Regiæ in veneratione Parisijs.

P. Mag. Rogerius Confess. Reginæ Galliæ.

Gandaui Flandrorum Ecclesia Ordin. sub initium irrumpentis hæresis destructa, diligentia R. P. Ioannis Cools reædificata, ast non nisi hoc anno ad finem perducta sub R. P. Henrico Lancilotto, consecrata fuit à Reuer. D. *Vander Burcht* Gandensium tunc Episc. solennesque fuêre gratiæ redditæ Deo imprimis, tum Magistratui, tum ciuibus, quorum liberalitate ad illum splendorem Ecclesia fuerat restituta.

Consecratio Eccl. Gandensis.

Antequam *annum hunc M. DCXIV.* finiam, iuuabit hic meminisci egregiæ liberalitatis Reuerendiss. Domini, Patris Angeli à Rocca erga Conuentum S. Augustini Romanum, cui quidem ante plures annos legauerat, ac donatione inter viuos facta obtulerat suam Bibliothecam *Angelicam*, & numero librorum, ac varietate refertissimam, immo verè ANGELICAM. Sed eandem ante hunc annum, nunquam actu consignauerat, prout in gratiam Reuerendiss. P. Mag. Nicolai Generalis, sui conterranei, hoc anno præstitit actualem librorum traditionem.

Bibliotheca Angelica in Romano Conu. erecta.

Adaptauit etiam præfatus Prælatus iuxta Bibliothecam, non ita pòst, cubicula, certumque Bibliothecario constituit laborum suorum præmium perpetuum, voluitque eundem Bibliothecarium ex Ordin. S. Augustini assumi, tum per Sacrarij Pontificij custodem, tum per Reuerendiss. Generalem pro tempore, reseruato sibi hoc iure vita durante, vnde primum huic Bibliothecæ præfectum nominauit Reuerendum P. Mag.

Bibliothecarius institutus primus.

Fulgentium à Monte in Georgio, tunc Romani cœnobij Priorem vigilantem.

Gloriosum martyrium P. F. Nicolai à S. August.

Sub finē *an. M. DCXVI.* ipsa S. Andreæ die sacra P. Nicolaus à S. Augustino Indus origine, & P. Nicolaus de Mello Lusitanus, præfati P. à S. Augustino Magister, & Baptista, post quatuordecim annos, quibus partim in Insula Soloxicana, partim in Mosco, partim etiam in Lina, teterrimis carceribus detenti, &, tantum non enecti fuerant, è vinculis in publicum producuntur, nudi, ad mandatum Ducis Basilij Huysoleæ, iubenturque de nouo baptizari schismaticorum ritu, aut illa die extremum supplicium subire, pyris, bustis, ignibusque iam coram paratis: quod vltimum cum vnanimi ac constanti voce hi viri inuicti eligerent, parati potius centies milliesque mori, quam semel impio ritu fœdari, iubet sceleratus iudex, hos Patres ab inuicem separari, ac relicto paulisper P. Nicolao de Mello, alterius regeneratore, ac seniore, in acerbissima frigoris aura, alterum P. Nicolaum à S. August. in vicinam carnificinam deducunt, vbi rursus, & scorpiones, & vngulas, crates, pectines, & rotas mox subeundas, ostentant, nisi eiurata fide Papistica, Schismaticorum adhæreat erroribus. hoc vt euincerent, P. Nicolaum de Mello, quem summi facere eum sciebant, mentiuntur iam defecisse à sua fide, & morem gessisse Ruthenicorum doctrinæ: at cum è contra, maiori fide & ardore assurgeret, P. Nicol. à S. Augustino, vnum Deum, vnum Baptisma, vnam Fidem, Catholicam Apostol. ac Romanam absque cessatione inclamans; nouo mandato Ducis Moscouiæ ad P. Mello reducitur, atque in illius præsentia, post extremum vale, ac verba dulcia, capite truncatur, truncatumque caput Duci defertur, & noua illius rabie, vna cum corpore, sanguine adhuc calido magnis molossis discerpendum obijcitur. Vbi rursus placuit altissimo, nouo miraculo, seruum suum cohonestare, canes enim quamuis humani cruoris auidi naturalis suæ feritatis obliti, à carnibus huius martyris & à linctu sanguinis abstinuerunt. quod, cum pij aliqui miraculo, impij, cæci, ac obstinati vilitati Christianorum adscriberent, perstiterunt alij blasphemantes in Christianæ ac Catholicæ legis cultores, quos ita abominabiles deprædicabant, vt ne à canibus quidem attrectari mererentur, quasi illi nauseantes, tales carnes prædæ expositas reliquissent.

P. Nicolaus Mello baptizauerat alterū.

Mendacium tyrannorum.

Decollatur P. Nicol. à S. August. præsente P. Mello.

Miraculum circa corpus P. Nicolai.

Blasphemia impiorum.

Pijs interim mercatorum precibus P. Nicolaus à Mello, à frigore quo rigebat, liberatur, & ad carcerem reducitur, in quo ferè anno integro retinetur, gemitibus ac suspirijs vitam transigens, dolens sese viduum relictum in hac lachrymarum valle, socio non inuidebat felicitatem adeptam, sed sibi illā ademptam amare continuo deplorabat. Sentiebat tamen interiorem frequenter consolationem, memor illius dicti Xysti martyris, B. Laurentio, sperans maiora sibi pro Christi fide illiusque gloria seruari certamina, quorum præsagus animus orationi, ac meditationi vacabat, offerens Deo vitam suam, si illa esset necessaria, mortem, si illa esset placita. Quibus officijs dum intenderet pius Pater, moritur Dux Basilius, & à successore Demetrio II. ad instantiam Reginæ Marinæ, ac Ioannis Martini P. Nicolaus vinculis eximitur. Libertati vero iam restitutus ad primum redit obsequium B. Nicolaus, celebrat, Sacramenta administrat, fideles instruit, viresque suas reparat, paratque ad maiora supplicia subeunda. Adscripsit tunc illum Patrem suæ familiæ Regina Marina, eumque voluit tum suæ, tum suarum Domicellarum præesse pietati, in quo officio P. Nicolaus & strenuum ac proficuum sese exhibuit. Domicellam Barbaram Mosqui inter cæteras ætate iam grauem, ita ad diuinum amorem inflammauit, vt iam mundo valedicens, huius Patris obedientiæ sese submiserit, pro Christi fide parata mori cum illo, toties, quoties; assiduè deprecans, vt sibi talis ansa offerretur. quæ vota, non frustranea Deus passus fuit, nec eadem diu

P. Nicolaus ad carcerem reducitur.

Dolet confrat. sui obitum.

P. Nicolaus solutus à vinculis.

P. Mello fit confessarius domest. Reginæ Marinæ.

D. Barbaram suscepit ad Ordin.

diu distulit. Cum enim illa in vrbem Astracam Moscuuiæ vltimam demigrasset vna cum Regina, ac P. Nicolao, Regina omnibus suis spoliatur facultatibus, Pater verò Nicolaus, & Domicella Barbara Mosqui ad ignem damnantur, ad quem etiam non ita post adducti, gloriosissime vitam finierunt, frendentibus ac tabescentibus infidelibus ad tantam Religiosi iam fere exanimis (ob carcerem quindecim annorum & ætatem LXV.) constantiam.

Apprehenditur vna cum D. Barb. Ambo igni cremantur, martyrio nobiles.

Vigebat & Deo commissoque sibi gregi zelosè inseruiebat tunc temporis in eadem aut saltem in vicina Indiæ orientalis parte R. P. F. Sebastianus à S. Petro, Episcopus Maliaporensis, ex Ordine Augustiniano, paulo ante horum athletarum certamen, assumptus, qui etiam huius Martyrij sufficiens testis, illud idem ad Illustriss. Alexium de Menezes Concilij Lusitaniæ tunc Præsidem perscripsit, addens & sibi & plurimis alijs Augustinianis ibidem hærentibus animum esse ad Martyrij coronam adipiscendam, nec defuturos officio Sacerdotali ac Pastorali se, suosque, donec ad præfatum brauium pertingant.

P. Sebast. à S. Petro Episc.

Pluribus describit horum Beatorum Martyrium R. P. Georg. Maigretius, eodemque contextu refert Martyrium R. P. F. Remigij Simonis Galli, quem è ducatu Barensi, & ex oppido Salmenensi oriundum facit. Hic cum Sac. Theologiæ Baccalaureus, & Conuentus Giroroetensis concionatorem ageret, facturus satis suo quod gerebat officio, acriter ex suggestu egit in hæreticos, suorumque dictorum coactus rationem reddere, & eos qui contradicunt arguere, multo durius eosdem perstrinxit, donec irretitis illis, ad publicum certamen fidei contra quendam Ioan. Bapt. Chatteletsubuersorem prouocatus, descendit: quem vt deuicit, Catholicorum ac bonorum omnium applausu non modico, tale malorum in se concitauit odium, qnale nec domi, nec foris potuit euitare, quo accensi aliquot consanguinei Chatteleti deuicti, victorem non patientes, eum vulneribus opprimunt, ac impijssimis gladijs periniunt,

In Sarcalisfacru, An. 1614. & 1615. Martyrium P. Simonis Remigij Galli.

Concertatio eiusdem cum Prædicante.

Eodem *anno M. DCXV.* Florentiæ ex hac vita decessit Exim. P. Mag. F. Leonardus Cocquæus Aurelius, qui post Theologica studia absoluta Parisijs, ibidem Doctorali laurea insignitus, eandem aliquamdiu professus fuit, raro acumine, ac soliditate mirabili: vnde Romam tamquam ad caput Ecclesiæ, sublime membrum euocatus, ibidem publicum Professoris munus magno nomine exercuit, donec in Confessarium ac Consiliarium Magnæ Ducissæ Etruriæ assumeretur, quo in officio, licet graui, omni modestia, ac submissione semper vixit inter suos Religiosos, verus Religiosus, totus in studijs sepultus, sine otio, sine fastu vllo. Doctissimas edidit lucubrationes quibus insolentiam Mornæi, Caluinistarum in Gallia coryphæi non parum repressit. Magno Britanniæ Regi, Ecclesiæ statum perperam tractanti, nonminus docte quam modeste respondit, & D. P. Augustini opera de Ciuit Dei, ita commentatus est, vt criticus quidam, quamuis in omnibus S. Augustini inueniens aliquid quod fugillet, dicat: *Hos libros ita fuisse illustratos à doctissimo Leonardo Cocqueo, (addam ego F. Eremita Augustiniano) vt iam sit facilius ettenebras offundere, quam nouam lucem afferre.* Græcis ac Hebraicis litteris fuit instructissimus, ita vt eadem idiomata ad familiarem sermonem posset adhibere, multo perfectius quam ipsi naturales Græci. Interfui ego cum in publica disputatione, insignis Theologus, Græcus natione, argumenta aliquot Græce proponeret, quibus ex tempore, eodem sermone promptissimo, per P. Mag. Cocqueum, ad semihoram, producto hinc inde sermone respondebatur disertissime. Scholasticam interim Theologiam æquali, si non maiori perfectione calluit, quare aliquot Capitulis Generalibus circulo præfuit, doctissimisq; viris accurrentibus, opponentibus, dubitantibus, ac præsentibus integre semper satisfecit, ad plausum & stuporem omnium, tantum enim in tali homine, quem natura nonnihil deformauerat, nullus credebat latere.

Obitus P. Cocquei.

Testimon critici de Cocqueo.

In castigata Crisi. ad tom 5.

P. M. Steph. Arbinot.

Virtutum suarum exemplar reliquit Florentiæ, Exim. P. Mag. Stephanum Arbinot, à teneris annis sub ipsius Patris pollice formatum Religiosum, qui quamuis in Scholasticis, Græcis, Hebraicis & Latinis litteris Magistro ac Præceptore suo sit longe inferior, in concionibus & in praxi nullo modo tanto viro cedit, immo eundem in his multis parasangis antecellit. Natione Gallus, Italicum idioma habet ad nutum, & ad numerum; Præter Ordin. officia Prioratus, Prouincialatus, aliaque, quæ cum laude gessit, Magnum adhuc hodie Magnæ Ducissæ agit Eleemosynarium, sæpius Consiliarium, ac ad varios Principes nonnunquam Legatum. Illius Patris beneficam manum sensit, & loquitur Infirmaria Florentini cœnobij, vti & Bibliotheca sui Mæcenatis, & nutritij Iosephi opulentiam.

Erexit Nosocomium Florent.

Post obitum Adm. Reu. P. Mag. Cocquet eadem Seren. Magnæ Etruriæ asciuit sibi confessorem ex eodem Ordin. S. Augustini Patrem Guillelmum Burdigalensem Gallum; multis virtutibus, singulari tamen modestia ac innocentia decoratum virum. Immo præter hunc in suum obsequium, pro Theologicis difficultatibus euocari iussit Lugduno Ven. P. Mag. F. Ioannem Comitem, omni certe comitate ac benignitate ornatum; per quem & tantæ Principis gratia, adhuc hodie seruatur Ordini Augustiniano integra.

Confess. & Theolog. Magnæ Ducissæ.

Restitutio Monast. Wesaliensis.

In Belgio cum Ill. Ambros. Spinola, paulo ante antiquum Hæreticorum asylum Wesaliam vicinasque oras in Catholicorum potestatem redegisset, R. P. Prouincialis Augustinianorum in illas partes deputauit virum Ordin. qui cum Wesaliensi cum Mariæ-Vallensi Monast. restauraret, occupantes eadem loca eijceret, Ecclesiam multis annis clausam, ac in lignile, sordidosq; vsus conuersam pristino decori restitueret. Quod etiam hoc anno executioni mandatum fuisse constat; ipsa enim S. Matthiæ sacra, violenti manu zelotorum militum Hispanorum, iumentorum stabula in ipso Ecclesiatrio, ac limine sacrilege ædificata, fuere destructa, ac sacrum in Ecclesia celebratum præsentibus supremis Exercitus Ducibus, nō paucis. Tunc esse recouperatrices Virgines, seu potius matrimoniorum expectatrices feminæ, Monasterio iam dudum occupato: fenestræ Ecclesiæ quarum nulla remanserat, de nouo fuere paratæ, rursumque diuinum officium aucto Religiosorum numero fuit celebratum.

Erectio Monast. Tenensis.

In eodem Belgio, fauore eiusdem Ill. Ambrosij Marchionis Spinolæ, Patres Augustiniani fuere admissi ad oppidum Tenense, illis concredito negotio Scholarum cum publico magistratus stipendio, quo ibuentus exercitaretur, pauloque post consensu Ill. Archiepisc. Capituli ac Magistratus, ijsdem Patribus, cum pleno iure assignatum fuit sacellum S. Barbaræ, circa quod Monasterium cum collegio erigi cœpit, non parua diligentia P. Rumoldi Croonen ibidem Prioris.

EREMITÆ S. Antonij accedunt ad Regul. S. August.

Eodem anno Eremitæ aliquot Flandriæ iuxta Casseletum, austeram vitam agentes, non modicam sentiebant cum Ordinario suo difficultatem, eo quod is Religiosis imperare, eos visitare, corrigere, ac totaliter sibi subijcere niteretur, quare P. Antonius Thuan illorum tunc superior Romam contendens, ab eadem curia impetrat; primo, sui instituti approbationem sub Regula S. Augustini; deinde exemptionem sui Cœnobij ab Ordinario, ac tandem Bullam Apostolicam, qua R. P. Prouinciali Belgicæ Prouinciæ Ordin. Erem. S. Augustini deinceps futuris temporibus, plenario iure subijciantur prædicti Erem. S. Antonij, non secus atque alij Conuentus suæ Prouinciæ, saluis tamen eiusdem instituti Constitutionibus & Apostolicis indultis.

Admittuntur hi Patres in Congreg. Louanij.

Capitul. Prou. Bruxell.

Anno M.DCXVI. in Belgio celebratum fuit maxima solennitate & Religiosorum frequentia Capitulum Prouinciale Bruxellense, liberalitate ciuium non modica, ad octiduum integrum, Concionibus, alijsque Scholasticis exercitijs habitis, maximo cum applausu Illustrissimi Nuncij Apostolici ac

Reuerendiſs. Archiepiſc. qui tum ſolennitatem ſupplicationis, tum alias Eccleſiaſticas actiones, ſua præſentia aliquoties cohoneſtarunt. Eligebatur tunc maiori ſuffragantium voto in Prouincialem Ven. P. F. Auguſt. Theodori, S. T. Doctor, inter Scholaſticos non minimus, qui multis annis Louanienſi Monaſterio, ſcholarumque exercitijs ibidem præfuerat. Notaui in hoc Capitulo raram hoc ſæculo, priſcorum tamen ætate familiarem aliquot Patrum, animi demiſſionem; cum enim tres Patres prima fronte ad Prouincialis officium ſecretis ſuffragijs renunciarentur, nec vllus illorum ſufficientia ſuffragia numeraſſet pro electione Canonica, duo ex electis proſtrati, Patres omnes deprecati fuerunt, vt alio ſua conſilia verterent. incuſauit vnus ætatem ſibi minorem eſſe quam Ordin. conſtitutiones admittant, ſeq; pro tunc inhabilem; alter Eccleſiæ ac Cœnobij Antuerpienſis fabricam aggreſſus, grauiora allegauit ſibi imminentia onera, quæ nec paterentur dilationem, nec ad tanti officij molem concederent attentionem; vnde votantium animi omnes in tertium alioqui dignom fuere conuerſi.

Actus dimiſſionis.

Occurrit etiam hoc anno nobis celebratu digniſſimum Martyrium R. P. F. Chriſtophori Dixen, nobili Conſtobel apud Anglos familia oriondi, is enim cum Salamanticæ in Theologicis ſtudijs magnam ſuæ ætatis partem tranſegiſſet, ſæpiuſq; interim Diuino nutu monitus, ad faciendum fructum inter ſuos, cui videbatur aptus, ob ingenij, ac iudicij maturitatem, morumq; ac generis nobilitatem, & eminentem gratiam; In Angliam bona ſuorum ſuperiorum venia traiecit, diuque latuit, nec ſuis quidem cognitus, magno animarum fructu, pro Sacerdote tamen ſemel, atque iterum inuentus, nec plane pro tali Religioſo habitus, exilio quidem mulctatus fuit: ad quod decretum quamuis nec ſemper ceſſerit patria, ceſſit tamen quarto in Galliam profligatus, ſuorumque fauore ſeruatus. Aſt animus nobilis, à nobiliore virtute excitatus ad deſideratum brauium anhelans, cedere neſciens, poſtquã ſepties, à iudicibus Religionis fuiſſet apprehenſus, in Angliæ vrbem præcipuam Londinenſem rediјt, ac rurſus ſex menſibus integris pij Sacerdotis, Religioſiq; officio functus fuit, donec perfidi famuli indicio proditus; octaua vice reus ſiſtitur, illiuſque conſtans animus nobili Martyrio, per infame laquei beneficium Londini menſe Nouemb. coronatur.

Martyr. P. F. Chriſtophori Dixen, Angl.

Septies in exil. fuit actus

Verſabatur circa eadem tempora in Anglia Ven. P. Auguſt. à matre Dei, inter Diſcalceatos Hiſpaniæ olim profeſſus; mihiq; tum Romæ, tum Bruxellæ familiaris aliquando, quem abſque graui litteratura audiui introiјſſe in potentias Domini, tantumque ſua ſimplici profeciſſe pietate, vt frequentia ac euidentia ibidem patrarit miracula. Non ita pridem referebat vir fide dignus, oculatus teſtis, ſe vidiſſe puerum ad Londinenſis portus oram, in aquas incidiſſe, hunc Religioſum forte fortuna circa ripam obambulaſſe, motumque miſericordia illum calceatum ac veſtitum maris fluctus calcaſſe, puerumque iam diu immerſum exemiſſe ſaluum ac incolumem; quod quamuis alij præſtigijs tribuerent, inquiebat ille, *nos Catholici, apud quos patebat huius Religioſi innocens vita, illud opus Diuino adſcribebamus officio, illiuſq; Patris fauori, hoc nos debere fatebamur*, ſubterfugiente interim Religioſo illo accurſum infinitæ multitudinis: quem vt amplius euaderet, ad annum integrum ſeſe occultauit, donec emortua huius nouitatis eſſet fama. Simili fere ſanctitate ac miraculorum gloria illuſtrem habent hi Patres Diſcalceati Religioſum conuerſum in Sicilia, qui à paucis annis fato conceſſit.

Innocentia Religioſi miraculis clari in Anglia.

Et quia RR. PP. Diſcalceatorum Ordin. S. Auguſtini hic fit mentio, addam illud de ipſis, quod hoc anno M. DCXVII. videantur nonnihil animum ſumpſiſſe, ſeſeque velle ac poſſe erigere, qui hactenus ſatis iacebant. Aſſumptis etenim aliquot viris Luſitanis Sacræ Theologiæ profeſſoribus circa hoc tempus, locum S. Pauli della Regula deſerentes in vrbe, ad aliam commodin-

Diſcalceati PP Romæ proficiunt.

modiorem iuxta S. Athanasij ædem sacrã migrarunt, coëmpto palatio deserto, & nondum exædificato Illust. Familiæ Vrsinorum, cui adiunxerunt sacellum titulo S. Antonij, quo in loco paulo post vidi numerosam iuuentutem, illisque voui Religiosam perfectionem ex animo, quo & ipsi sub tanto Patre Augustino, aliquid dignum charta, æternaque memoria moliantur.

Dignus interim memoria occurrit transitus ex hac vita Ven. Patris F. Alipij Siculi sub finem huius anni M. DCXVI. Neapoli; vbi is Pater sub Patrum Discalceatorum arctissima disciplina vixerat maxima sanctitatis opinione, qualem etiam reliquerant paulo ante Ven. P. Iacobus à S. Felice in castro S. Angeli Vascinelli sepultus, & P. Ioannes Paulus à S. Nicolao Genuæ reconditus, quorum corpora in hodiernum diem seruntur integra, gratum odorem spirantia non sine æternæ felicitatis indicijs pluribus, vt à Patribus eiusdem Congreg. Discalceatorum percepi.

Martyrium R. P. Ferdinandi à S. Ioseph in Iaponia.

Eodem anno rursus nobis occurrit Martyrium R. P. F. Ferdinandi à S. Ioseph apud Iapponios pro Christi fide occumbentis 26. Maij. Cum enim aliquot diebus ante Dynasta Ormuriensis regiæ aulæ iussu intercepisset Religiosum ex familia S. Francisci, P. F. Petrum de Ascensione, & paulo post Patrem Societatis Iesv dimisso laico, eosque in fide constantes extremo affecisset supplicio, spargereturque Sacerdotes omnes vel interfectos, vel à fide Christiana defecisse, nec audere amplius quemquam comparere, illaque astutia paganorum animos à fide Christiana omnino deterruissent: Diuino

Zelus horum Patrum laude dignus.

sine dubio spiritu acti duo Religiosi spontanee comparuerunt, vnus ex Dominicana familia, alter ex Augustiniana, de quo hic agimus, & publice inceperunt Christianam Religionem profiteri, sacrificare, baptizare, ac Christum deprædicare, publice monstrantes nondum spiritum esse extinctum, aut semen defecisse; vnde subito apprehensi, postquam fere bis mille neophytos baptizassent iuxta Nangiasquam, eodem mortis genere, quo alij duo

Malitia infidelium.

plectuntur. Accurrẽtibus vero Ormutiensibus ac Nangiasquensibus, vt corpora sepulturæ mandarentur, iubentur omnia quatuor corpora in profundum pelagi dimitti grauibus admotis saxis, prout paritum fuit. Lictores corpus P. F. Petri vna cum corpore P. F. Ferdinandi Augustiniani, corpus Patris Dominicani vna cum corpore Patris Societatis colligarunt, ea sic diuisa, ac vnita in locũ triginta cubitorũ profunditatis immerserunt. at quærentibus eadẽ multis diebus post Christianis, magno zelo, magnaq; diligẽtia, neophyti Nangiasquenses piscationi dediti, cistã notarunt mari supernatantẽ vnã, in illaque corpus RR. Patrum Petri & Ferdinandi Augustiniani sanum ac integrum repererunt, quæ honorifico loco asseruantes, de plurimorum consilio humo mandarunt. placuitque altissimo, vel vt deuotioni fidelium præcipue matronæ cuiusdam nobilissimę satisfaceret, vel vt alios excitaret,

Christi miracula.

eadem corpora non paucis miraculis illustrare: multis enim diebus locus ille, vbi hæc duo corpora asseruabantur, totus lucidus apparuit, videbanturq; noctibus integris infinita circa illum locum lumina ad instar lampadum ac tædarum exultantia, & assurgentia, gratissimumque odorem, qui etiam de

Ratio miraculi.

die consetuabatur, reddentia; quo miraculo plures ad Christianam religionem fuêre exciti, plures etiam neophyti in fide confirmati, per hæc lumina cælestia, deficientibus luminibus doctrinæ, per homines impeditos alioquin deprædicandæ. æquum certè videbatur, vt Deus aliam consolationem, aliamque lucem præberet, sedentibus in tenebris infidelitatis & mœstitiæ.

P. Mag. Henricus Lancellottus.

Hoc etiam An. Laurea Doctorali insignitus fuit in celeberrima vniuersitate & Theologica facultate, Eximius P. Mag. F. Henricus Lancellottus Mechliniensis, magni zeli & salis doctrinalis vir, quod abunde testantur illius scripta contra hæreticos edita in quibus non minus est pietatem, quam doctrinam cernere. Probauit hæc eadem Hollandia ac Zelandia aliquoties,

quan-

quando inter maxima pericola carceris ac infamiæ non paruæ, per longum tempus, in sæculari habitu inter hæreticos conuersatus fuit, nocte dieque sacris officijs, concionibus, ac Sacramentis intentus. Tandem illius zelum ac salem loquuntur adhuc hodie monasteria Ordinis pleraque in Belgio, quorum disciplinam acriter tutatus fuit, vel potius vrbes ipsæ in quibus Monasteria sita sunt, vt Bruxella, Antuerpia, Gandauum, Hasseletum, Treueti, quorum populū sale puro suæ doctrinæ frequenter condiuit, suis suorumq; Religiosorum probis motibus ad virtutes incitauit, ita vt merito *Rabbi*, id est magni Magistri nomen obtinuerit.

Zelus illius Patris sale doct. condi-tus.

Venetijs noui hisce annis Ven. P. F. Paulinum Berti Ordin. S. August. ex Congregatione Lombardica, virum eminentem in praxi iudiciaria Ecclesiasticorum, quam videtur & ipse inter suos exercuisse probè, ac doctè Regulares omnes eandem docuisse, præclaro illo suo tomo, qui quartum Regularium efficit. præter quem edidit idem Pater integrum opus Tostati Abulensis Episcopi, in quo, & in sanctis Patribus, & in Scriptura sacra, patefecit sese versatissimum.

P. Paulinus Berti.

Annus M. DCXVIII. feliciori nobis sydere affulsit, eo quod hoc anno gloriosus ille Beatus Thomas de Villa noua quondam Frater habitus Ordin. S. August. & Archiepisc. Valentinus ad apotheosim deuenerit S. R. Ecclesiæ calculo: nam diligentia P. Ioannis Beldæ procuratoris huius Canonizationis vltra triginta illius miracula bene, & rite probata fuêre per beatum hunc virum in vita illius facta, ac post illam, meritis illius obtenta: inter quæ duorum puerorum est resuscitatio, cæcorum, claudorum ac infirmorum restitutio, & quia pleraque in eleemosynarum distributione fuere perpetrata, hinc magni *Eleemosynarij* cognomentum meruit obtinere. Concessum itaque fuit, vt annua illius memoria agatur die XVIII. Septemb. à S. D. N. Paulo V. & paulo post ab eodem, vt in Regno Hispaniæ celebretur illius festiuitas de communi confessoris ac Pontif. quam postea S. D. N. Gregorius XV. extendit ad Religiosos per vniuersum terrarum orbem, speramusque breui hanc facultatem ad omnes transituram.

Beatificatio D. Thomæ à Villa noua.

Titulum Elee-mosynarij a-deptus est.

Hoc etiam *anno, die 3. Septemb.* Consecrata fuit Ecclesia Ordin. Erem. S. Augustini Antuerpiensis, de nouo extructa, ad inuidiam exempli, diligentia Reu. P. Mag Fratris Cornelij Lancilotti, ex meris bonorum virorum eleemosynis, in quorum elargitione præter Seren. Principes, ac Magistratum illius Vrbis amplissimum, liberaliorem sese ostendit prudentia ac pietate ornatissimus D. Henricus Vander Goes, qui mercator optimus temporales dedit diuitias, vt consequeretur æternas hæreditates.

Consecratio Eccl. Antuerp.

Romæ etiam sub finem *anni M. DCXVIII.* locum impetrauerunt Patres Augustiniani Discalceati Hispaniæ in platea S. Trinitatis de Monte, quæ ad ædes sacras S. Mariæ maioris tendit, vbi paulo post sacellum in honorem S. Guillelmi sibi adaptarunt, molientes maius ædificium, quo Romanam curiam magis exornent, quo etiam per suos eadem magis possint frui, suorumque superiorum mentem propius intelligere, eique promptius obsequi.

Fund. Discal. Hisp. Romana.

Ipsâ die D. Thomæ, Græcij consecratus fuit in Episcopum Segniensem Ven. P. Mag. Ioannes Baptista Agatitius omnium eiuium voto à pluribus annis ad eandem dignitatem Serenis. Archiduci Ferdinando, vti Styriæ ac Carinthiæ Principi commendatus, eum prius & Fluminis-Liburnensis, & Græciensis, ac Furstenfeldensis Conuentus Ordin. Erem. S. Augustini Priorem egisset.

Anno sequenti omnia Monasteria Bohemiæ, ac Morauiæ in prædam cessere Caluinistis, qui dum partibus Frederici Palatini studerent, primum bona

bona Ecclesiarum ac Monasteriorum rapuerunt. Monasterium Bisoniense integrum à Comitissa de Suamberg fuit occupatum vna cum supellectile vniuersa. Melnikium ciuium Melnikensium voluntati fuit traditum, vineæque ac agri inter ciues fuere distributi. Praga militum tabernæ monasterium S. Thomæ assignauerat, Religiosis passim dimissis, vel ad tyrannidem hæreticorum damnatis, quibus in miserijs tamen plures sese præbuerunt constantes, malentes mori millies, quam semel fœdari.

Restauratio Ordin. S. Augus. in Bauar.

Sub idem tempus cum Prouincia Ordinis Bauarica triennio integro magnam passa fuisset cladem, quippe diuisa fere ab Ordine, & constituta sub sæculari regimine externarum personarum, diuisis etiam inter se Conuentibus, separatione eorum qui extra temporalem ditionem Bauaricam situm habebant, ab ijs, qui inter Bauariæ limites continerentur, dispersis insuper plerisque Religiosis; ex commissione Reu. P. Mag. Nicolai à S. Angelo, eadem fuit restituta in pristinum statum, opera ac diligentia aliquot Patrum Belgarum, quorum hoc vnicum fuit studium Nouitiatum, atque Seminarium erigere, cum bonis litteris seriam pietatem, feruentem charitatem, orationes frequentes, meditationes, abstinentias, mortificationes, vigilias, aliaque Religiosorum exercitia (sine quibus torpescit animus quamuis probus) introducere. In hunc finem prima extirpanda erat proprietas, proprium commodum, voluntas carnis, socordia, diffidentia, inueteratus abusus aliaque mala huius sæculi, quibus semel remotis, eadem Prouincia Deo Duce, incepit florere, ac in vtroque genere vna cum spirituali, temporalem fructum facere.

Restauratio Ecclesiæ Monach.

Hoc enim eodem anno, cœpit reparari Ecclesia Ordin. S. August. Monachiensis, & duorum annorum spatio, ad eum splendorē perducta fuit, quem in paucis Ecclesijs Ordinis nostri, etiam intra Italiam, ac Hispaniam vidi inesse, excedentibus sumptibus viginti millia florenorum, in quo opere, tum in morum reformatione non parum insudauit Ven. P. Iordanus Deglerus, Religiosus diligens, zelosus, ac disertus, bene meritus ibidem Prior. Nec minorem Diuinam benedictionem sensere ijsdem annis, alia eiusdem districtus Monasteria, quæ sub proprietate sordida gemebant, lacera ac debitorum pondere fere oppressa, nunc autem vndique resarciuntur ac graui creditorum iugo eximuntur, vixque hodie est Monasterium, quod non aliquā, & insignem moliatur fabricam.

Capit. Prouin. Belgij.

Capitulum etiam Prouinciale Belgicæ Prouinciæ, hoc anno habitum fuit Gandaui, ac in Prouincialem electus R. P. F. Ioannes Augemius, qui non parum laborauit, & multis annis, in restitutione disciplinæ monasterij Coloniensis non sine fructu.

Et vita & officio pie defungebatur Reu. D. Angelus Rocca Sacrarij Apostolici Præfectus, Episc. Tagastensis, postquam plurimis annis laudabiliter huic officio præfuisset maxima sedulitate, ita vt nunquam in otio, sed semper in studiorum negotijs versatus, semper meditationi, orationi, ac piæ obseruationi intentissimus vixerit. Quare infirmitate detentus nihil magis deplorabat, quam inutile otium, quamuis nec hoc inutile fuisse dixerim, cum vtilissima mortis memoria, vtilissima ante actorum annorum recordatione in amaritudine animæ, dies ac noctes aliquot impenderit, non sine Diuinæ prædestinationis signis euidentibus.

Nec multo post, absq; longa deliberatione, ad officium Sacristæ euocatus fuit Reu. P. Mag. D'Asti Ianuensis, qui post sexennium Generalatus, ad quietem Genuensis cœnobij sese receperat, hoc munere à S. D. N. Paulo V. & vniuersa Romana curia habitus dignissimus. Romam itaq; vt venisset, & habitu Prælati fuit donatus, & Episcopatu Tagastensi, consecratione accepta per manus Card. Mellini Dominica infra octauam Ascensionis.

Circa

Circa initium anni M. DCXX. Celebratur Capitulum Generale Romæ, ad quod fere omnium Prouinciarum Patres insolita diligentia accurrerunt, hoc fere ordine, ac Prouinciarum numero. Primum locum obtinuit Prouincia Romana : secundum Prouincia Lombardica, III. Marchiæ, IV. Franciæ, V. Castellæ, VI. Beticæ, successit Aragoniæ & Cataloniæ, post illam Lusitanica cum Vicariatu Indiæ orientalis, ac deinde Marchiæ Taruisinæ, Tolosæ & Aquitaniæ, Coloniæ seu Flandriæ, Romandiolæ, Prouinciæ Prouinciæ, Bauariæ, Terræ Laboris, Narbonæ ac Burgundiæ, Siciliæ, Pisana, Senarum, Terræ Sanctæ, Calabriæ, Poloniæ, Rheni & Sueuiæ, Vngariæ, Angliæ, Hyberniæ, quæ rursus enata comparuit, Saxoniæ, Sardiniæ, Peruntina, Insularum Philippinarum, Mechoacanensis, Del Quitto, Styriæ & Carinthiæ, Bohemiæ ac Morauiæ. post quas Prouincias locum habuit Prouincia Discalceatorum Hispaniæ, ac deinde Discalceatorum Galliæ. Inter Congregationes hic fuit Ordo habitus. Præcedentiam habuit Lombardica, cuius procuratorem vidi præsentem in Diffinitorio, at non vocantem. Illam minor congregatio subsecuta est Illiceta na, deinde Carbonaria, Perusina, Genuensis, Montis Ortoni, Dulcetana, Calabriæ vltra, Calabriæ citra, Dalmatiæ, & Centum vrbium. Nomina autem vota ferentium ad æternam memoriam hic libuit attexere.

Capitulum Generale Romanum.

Adfuere 1500. frat huic Capit.

Primum suffragium tulit Illustris. ac Reuerendiss. Dominus Cardinalis Antonius Saulius Collegij Cardinalium Decanus, & Ordinis S. Augustini Protector, per speciale breue Sanctissimi Domini nostri Pauli V. huius Capituli præsidens nomine sedis Apostolicæ pridie electionis declaratus.

Reuerendiss. P. Mag. Frater Nicolaus à S. Angelo Generalis absolutus.

Admodum R. P. Mag. F. Laurentius Emporiensis Procurator Ordinis.

Adm. R. P. Mag. F. Vincentius Spinola Assistens Italiæ.

Adm. R. P. Mag. F. Alphonsus Nungius Assistens Hispaniæ.

Adm. R. P. Mag. F. Guillelmus Fulginas Procurator Ordin. absolutus.

Pro Prouinc. Romana.

Reu. P. Mag. F. Iacobus Cornetanus Diffinitor.
Reu. P. Mag. F. Hieronymus Getti Prouincialis Romanus.
Reu. P. Mag. F. Andreas à Balneoregio Discretus.

Pro Prouin. Lombardiæ.

Reu. P. Mag. F. Paulus à S. Angelo Diffinitor.
Reu. P. Mag. F. Thadæus Mediolanensis Prouincialis.
Reu. P. Mag. F. Zaccharias Mediolanensis Discretus.

Pro Prouinc. Marchiæ.

Reu. P. Mag. Frater Fulgentius à Monte in Georgio Diffinitor & Prior Romanus.
Reu. P. Mag. Frater Ioan. Thomas D'ascule Prouincialis.
Reu. P. Mag. Frater Guillelmus à Mattelica Discretus & Regens Recineti.

Pro

Pro Prouinc. Franciæ.

R.P.Mag. F. Thomas Gaudier Diffinitor, Doctor Sorbonicus.
R.P.Mag. F. Ioannes Legear, Prouincialis, Doctor Sorbonicus.
R.P.Mag. F. Thomas Rauexelle Doctor Sorbonicus & Regens Parisiensis.

Pro Prouinc. Castellæ.

R.P.Mag. F. Petrus de Ribadeneira Doctor Salamanticensis.
R.P.Mag. F. Eugenius Gomez Discretus.

Pro Prouinc. Beticæ.

R.P.Mag. F. Martinus de Leon Diffinitor.
R.P.Mag. F. Petrus de Cardenas Discretus.

Pro Prou. Aragoniæ, Val. & Cataloniæ.

R.P.Mag. F. Ioannes Belda Diffinitor.
R.P.Mag. F. Petrus de Mayain Discretus.

Pro Prouinc. Lusitaniæ.

R.P.Mag. F. Petrus de S. Maria Doctor Conimbricensis.
R.P.Mag. F. Fulgentius de Alegria Discretus.

Pro Prouinc. Venetiarum.

R.P.Mag. F. Leonardus Occa Diffinitor.
R.P. Mag. F. Fulgentius Veoetus Prouincialis.

Pro Prouinc. Tolosanæ.

R. P. Mag. F. Andreas Gelsiminus Cortonensis Discretus & Regens Parauinus.
R.P.Mag. F. Ioannes Comes Doctor Sorbonicus.

Pro Prouinc. Belgicæ.

R P.Mag. F. Nicolaus Crusenius Diffinitor, & Doctor Papiensis.
R.P.Mag. F. Georgius Maigretius Discretus, & Doctor Louaniensis.

Pro Prouinc. Romandiolæ.

R.P.Mag. F. Ægidius Gothardus Ariminensis Diffinitor.
R.P.Mag. F. Camillus Bononiensis Prouincialis.
R.P.Mag. F. Paulus Fraxinellus Bononiensis Doctor & Professor publicus.

Pro Prouin. Vmbriæ.

R.P.Mag. F. Aurelius Pergulensis Diffinitor.
R.P.Mag. F. Christophorus Perusinus Prouincialis.
R.P.Mag. F. Christophorus à Balneoregio Discretus, sed morte præuentus.

Pro Prou. Prouinciæ.

R P.Mag. F. Ioannes Gerardus Aueninensis Diffinitor.
R.P.Mag. F. Ioannes Franciscus Barralis Nicensis Prouincialis.
R.P.Mag. F. Ioaones Riyod Discretus.

Pro Prou. Bauariæ.

R.P.Mag. F. Ioannes Maria Cnocordiensis, ex dispensatione Pontificis Diffinitor.
R. P. Bac. F. Guillelmus Schräll Monacensis Prouincialis.
R.P. Bac. F. Iacobus Pistorius Prior Salisburgensis Discretus.

Pro Prou. Neapolitana.

R.P.Mag. F. Ioannes Augustinus Ariminensis Diffinitor.
R.P.Mag. F. Augustinus à Campania Prouincialis.
R.P.Mag. F. Hippolitus Finalensis Discretus, ac Regens Neapoli.

Pro

Pro Prouinc. Narbona.

R P.Mag. F. Octauius Manfridus Lugdunensis Diffinitor.
R.P.Bacc. F. Ioannes Rabud Discretus.

Pro Prouinc. Siciliæ.

R.P.Mag. F. Augustinus à Naro Diffinitor.
R.P.Mag. F. Antonius Gallianensis Prouincialis.
R. P. Bacc. F. Ioannes Catinensis Discretus.

Pro Prouinc. Pisana.

R.P.Mag. F. Franciscus Vecchius Diffinitor & Regens Romanus.
R.P.Mag. F. Stephanus Arbinot Florentinus Prouincialis.
R. P. Mag. F. Theodosius Florentinus Discretus.

Pro Prouinc. Senarum.

R.P.Mag. F. Ioannes Baptista Ilciniensis Diffinitor.
R.P.Mag. F. Leander Ilciniensis Prouincialis.
R. P. Mag. F. Simeon Anconitanus Discretus.

Pro Prouin. Terræ sanctæ.

R.P.Mag. F. Adeodatus à Candia Græcus Diffinitor.
R. P. Bacc. F. Dionysius Redimensis Græcus Discretus.

Pro Prouin. Apuliæ.

R.P.Mag. F. Iosephus Barulensis Diffinitor.
R.P.Mag. F. Alexius Fiorzanus Prouincialis.
R.P.Mag. F. Raphaël Cursinus Discretus.

Pro Prouinc. Apruntina.

R. P. Bacc. F. Ioannes Baptista Teramanus Diffinitor.
R.P. Bacc. F. Iosephus Vasiensis Prouincialis.
R. P. Bacc. F. Augustinus Torteretanus Discretus.

Pro Prouinc. Calabriæ.

R. P. Mag. F. Dominicus à Catanzano Diffinitor.
R.P. Bacc. F. Augustinus à Belloforti Diffinitor.
R. P. Bacc. F. Ioandes Baptista à Paula Discretus.

Pro Prouinc. Poloniæ.

R. P. Bacc F. Hyacinthus Varsouiensis Diffinitor.
R.P. Bacc. F. Theophilus Grauoniensis Discretus.

Pro Prouinc. Rheni & Sueuiæ.

R.P.Bacc. F. Cornelius Curtius Bruxellensis Diffinitor.
R.P.F. Simon Dollingerus Discretus.

Pro Prouinc. Hybernia.

R..P.F. Nicolaus à S. Patritio Diffinitor.

Pro Prouinc. Sardiniæ.

R.P.Mag F. Gregorius Nunnius Coronel S.D.N. Theologus Diffinitor.
R.P.Mag. F. Antonius Auersanus Prouincialis.
R.P. Bacc. F. Thadæus Auersanus Discretus.

Pro Prouin. Mexicana.

R.P.Mag. F. Bernardus de Brizuoela Diffinitor.
R.P.Mag. F. Antonius de Salazar Discretus.

Pro Prouinc. Peruntina.

R.P.F.Franciscus de Castro Diffinitor.
R.P.F.Lopes de Aguiar Discretus.

Pro Prouinc. Insularum Philippinarum.

R.P.F.Didacus de Casadn Diffinitor.
R.P.Mag. F.Alphonsus de Castro Indus Discretus.

Pro Prouinc. Mechiocana.

R.P.Mag. F.Petrus de Zamudio Diffinitor.
R.P.Mag. F.Franciscus de Ceruentes Discretus.

Pro Prouinc. Quitensi.

R.P.Mag. F.Laurentius de Rufas Diffinitor.
R.P.Mag. F.Petrus de Fuentes Discretus.

Pro Prouin noui Regni.

R.P.Mag. F.Petrus de Curciadn Diffinitor.
R.P.F.Ioannes Brifan Aueninnensis.

Pro Prou. Styriæ, & Carinthiæ.

R.P.Bacc. F.Valerianus Fluminensis Diffinitor.
R.P.Mag. F.Euangelista Fluminensis Prouincialis.
R.P.Bacc. F.Simplicianus Fluminensis Discretus.

Pro Prouinc. Austriæ & Bohemiæ.

R.P.Bacc. F.Aurelius Trnilus Fluminensis.
R.P.Mag. F.Andreas Rufus Discretus.

Pro Prouinc. Discalceat. Hispaniæ.

R.P.F.Gabriel à Conceptione Diffinitor.
R.P.F.Christophorus ab Angelis Discretus.

Pro Congregatione Illicetana.

R.P.Bacc. F.Richardus Illicetanus Diffinitor.
R.P.Bacc. F.Desiderius Illicetanus Vicarius Generalis.
R.P.F.Agapitus Simonius Senensis Discretus.

Pro Congregatione Carbonariæ.

R.P.Mag. F.Felix Milensius Diffinitor.
R.P.Bacc. F.Petrus Paulus Neapolitanus Vicarius Generalis.
R.P.Mag. F.Matthæus Neapolitanus Discretus.

Pro Congregatione Perusina.

R.P.Mag. F.Augustinus à S. Felice Diffinitor.
R.P.Bac. F.Thadæus Fulginas Vicarius Generalis.
R.P.Mag. F.Innocentius Perusinus Discretus.

Pro Congregatione Ianuensi.

R.P.Mag. F.Fulgentius Parmensis Diffinitor.
R.P.Bacc. F.Archangelus Aliprandus de Monte Regali Vicarius Generalis.
R.P.Bacc. F.Cyprianus Florentinus.

Pro Congregatione Dulceti.

R.P.Mag. F.Augustinus Patauinus Diffinitor.
R.P.F.Vincentius Sagatus Vicarius Generalis.
R.P.F.Euangelista Patauinus Discretus.

Pro

Pro Congregatione Dulceti.

R. P Bacc. F. Ioannes Iacobus à Trnia Diffinitor.
R.P.F.Spiritus Asculanus Vicarius Generalis.
R.P.Mag.F. Archangelus Cortonensis Discretus.

Pro Prouin. Calabriæ vltra.

R.P. F. Fraocifcus D'Ardore Diffinitor.
R. P. F Saluator à Caffomenardo Vicarius Generalis.
R.P.F. Angelus Aulus Discretus.

Pro Congregatione Calabriæ citra.

R.P.Mag.F.Petrus Paulus Pergulensis Diffinitor.
R. P. F. Daniel Consentinus Vicarius Generalis.
R.P.F.Petrus de Apriliano Discretus.

Pro Congregatione Dalmatiæ.

R. P.F.Simplicianus Patauinus Diffinitor.
R. P. F Ioanoes Farensis Vicarius Generalis.
R. P. F.Marcus Furensis Discretus.

Pro Congregatione Centum Vrbium.

R.P.Mag.Philippus Regalhucensis Diffinitor.
R.P.F.Michaël à S.Philippo Vicarius Generalis. v. p.
R.P.Mag.F.Christophorus à Martoo Discretus.

Pro Congregatione Discalceatorum Galliæ.

R.P.F.Alexander à S.Felicitate Diffioitor.
R.P.F.Spiritus à Virgine Maria Discretus.

Priores Capituli Generalis.

R.P.Mag.F.Iacobus à S.Natolia,&
R.P.Mag.F.Laurentius Rauennas.

CAPVT XLIX.

De P. Mag. F. FVLGENTIO à MONTE in GEORGIO XLVII. Generali.

CVm numerus centum,& quatuor supra viginti Patrum vocalium esset coadunatus pro electione Reuerendiss. P. Generalis, Præside Illust. Cardin. Saulio Ordin. Protectore, maior suffragantium numerus, secretis suffragijs elegit canonicè Reu. & eximium P. Mag. Fulgentium à Monte in Georgio, Conuentus Romani tunc Priorem, virum humanissimum,doctissimum, ac Ordinis zelatorem egregium. Præter Regentis, ac Concionatoris officium in plerisque celebrioribus cathedris ac pulpitis cum honore ac laude hactenus per hunc Patrem peractum, Marchiæ Prouincialatum fere totius Ordinis maximum ac difficillimum nō frequentem Conuentuum numerum, gesserat, & nouissime Conuentus Romani Priorem sexennio integro.

In eodem Capitulo Assistentium munere donati fuêre R. P. Mag. Iacobus de Cornero, bene de Religione meritus multis annis, & P. Mag. Alphonsus à Castro Indus natione. *Assistentes Ordinis.*

Ad Procuratoris Ordinis officium reassumptus fuit Exim. P. Mag. Frater Guillelmus Fulginas, qui ante sexennium eodem officio laudabiliter defunctus fuerat, & iam vacauerat, vt tanto feruentius assurgeret. Insignem ope- *Procurator Ordin. P. M. Guillelmus Fulginas.*

ram huic Capitulo contulerunt Eximij PP. Regentes Italiæ, qui iuxta antiquam Ordin. consuetudinem doctè conclusiones exposuerunt, easdem differte non minus quam solide defensarunt. Emicuit tamen inter cæteros Exim. P. Mag. F. Andreas Cortonensis Patauini Gymnasij tunc Regens, quem & ingenium, & labor assiduus super alios attollit.

Concionatores celebres Italiæ. Nec defuerunt suggestui Patres Concionatores, quos in hoc Capitulo audiui, eosque cum celebrioribus Italiæ ausim comparare. Ex quibus extabant Eximius P. Mag. Hieronymus Ghetti, Exim. P. Mag. Iacobus à S. Natolia, Exim. P. Mag. Ægidius Gottbardus, Exim. P. Mag. Adeodatus de Candia, Exim. P. Mag. Octauius Manfredi, & quem paulo antè à Scholastica Theologia non satis laudaui, Exim. P. Mag. Andræas Cortonensis, viri omni exceptione maiores.

Et quia de viris professoribus sacræ Theologiæ nobis est sermo, omittere nō valeo, præcipuarum vniuersitatum Italiæ professores publicos, ac imprimis in vniuersitate Pisana R. P. M. Ægidium Pistoia, in Bononiensi R. P. Mag. Paulum Fraxinellum, in Patauina P. Mag. Innocentium, in Papiensi R. P. Mag. Michaëlem Angelum Giusium, ac in alijs plures alios qui quotidianis suis lectionibus, disputationibus atque exercitijs Rempublicam Christianam erudiunt, atque Ordinem S. Augustini ornant.

Diffinitores deputati. Dimissis itaque Diffinitoribus in pauciores Patres res Ordinis fuere reiectæ, sederuntque ad Ordin. negotia pertractanda, cum Reu. P. Generali, Procuratore Ordinis, & PP. Assistentibus, Exi. P. Mag. Octauius Manfredi Diffinitor Narbonensis, & P. Mag. Comes Diffinitor Prouinciæ Tolosanæ, & Diffinitor Prouinciæ Belgicæ, à quibus obseruatu dignis productis & ventilatis eadem ad obseruantiam constitutionum fuêre delata: illas enim à Reu. P. Generali obseruari omnes petierunt, earumque obseruantiam executioni demandari, supersedendo pro nunc alijs decretis.

Dispositio de Prouincia Franciæ. Communi etiam Patrum deputatorum voto P. Prouinciali Franciæ imponebatur, vt quantum possibile foret se, suosque Conuentus ad normam Patrum de communitate redigeret, vt sic sepofita vlteriori separatione maneret vnum ouile & vnus pastor, quod & ipse Prouincialis in se suscepit omni submissione, ac ideo certe laude dignus.

Primo cælo temperato Reuer. Pater Generalis igne Religionis accensus, longioris moræ impatiens, oues suas coram visurus Neapolim progressus fuit, seriòque animum disciplinæ monasticæ restituendæ applicauit, Prædecessoris sui, ordinisque statutis institens.

Obitus Reu. D. Asti. Sub medium mensis Octobris magno totius Aulæ Pontificiæ & Ordin. Augustini luctu, ex hoc mundo euocabatur ad cælestem patriam Reuerend. D. Ioannes Bapt. D'Asti paucibus mensibus ante, ad officium Sacristæ promotus. Illoque officio tunc dignus habitus fuit Sanctiss. Domini Nostri calculo Reu. P. Mag. Ioannes Vincentius Spinola Genuensis, qui & tunc antecessoris sui socium, ac amicum, aliasque Ordin. S. Augustini Assistentem,

Promotio P. M. Ioan. Vinc. Spinolæ. Lombardicæ Prouinciæ Prouincialem, ac Priorem Romanum laudabiliter egerat, à quo etiam adhuc hodie hoc agitur, vt Ordin. decor coram tanta feferuetur. Audio extare Reuerend. D'Asti commentaria Scholastica in 4. libros sententiarum, quæ vtinam prælum breui videant.

Mittitur Cōmissarius in Sueuicam & Rhenanam Prou. Cum Neapoli existens Reurendiss. P. statū Germaniæ circà partes Rhani ac Sueuiæ, ob tumultus bellicos penitus emorientem inuadisset, magnamq; spem iniecisset redemptionis non minus velox quam victoriosus progressus Marchionis Spinolæ, quo præsentius consuleretur intereuntibus, nec nō de nouo resurgentibus monasterijs, eidē tractui præfecit, cum titulo Cōmissarij

ac Vi-

ac Visitatoris, Exim. P. Mag. F. Henricum Lancilottum Belgam, vt is eo zelo ac sale quo hactenus Belgium, easdem partes condiret, prout fecit, potuissetque plura nisi mala fors, quali Mansfeldici illas partes inuasisset, fugatis plerisque Monachis, occisis alijs, iter omne præcludentibus. Celebrauit interim Capitulum Herbipoli, & magna molitur.

Vacabat interim Romæ sedes Apostolica per obitum S. D. N. Pauli anno subsequenti, *28. Ianuarij*, decedentis, ac rursus eandem paucissimis diebus post conscendit Greg. XV. Ordini D. Augustini præ cæteris maxime addictus, prout hoc singulare beneficium paulo post promotionem Ordini impensum manifestum reddebat. Cum enim S. D. N. Paulus V. omnes indulgentias ac priuilegia Confraternitatis Ordin. cincturatorum vel innalidasset vel eadem ad pauca aliqua puncta reduxisset, iamque talis Confraternitas, parua spirituali dote fundata pæne interijsset, idem S. D. N. Gregor. eidem Confraternitati confirmauit omnes indulgentias, priuilegia & indulta per quoscunque Romanos Pontifices antecessores suos concessa, eaque quatenus opus fuit de nouo concessit, illamque gratiam perpetuo voluit valituram.

Confirmatio indulg. ac priuileg. Confrat. cincturatorũ ad instant. P. M. Antonij Viani.

Hoc tempore cum in restauratione Prouinciæ Bauaricæ, quæ inter Germaniæ Prouincias non incelebris est, non sine fructu aliquamdiu laboratum esset, visum fuit R. P. Mag. F. Nicolao Crusenio Capitulum Prouinciale nomine ac vice R. P. M. Fulgentij Generalis indicere, ac celebrare, & hactenus non satis vsitatam electionem omnium votis aggredi. Conuocatis ergo Patribus ad Cœnobium Seemanshausense, oratione præhabitâ cæterisque pro more ceremonijs, in Prouincialem electus est R. Adm. Pater Eleutherius Agricola, vir prudens, vigilans, & regularum monasticarum rigidus examinator atque exactor; singulis Prioribus demandatum est, vt iuxta Constitutiones sese, moresque suos, & Fratrum vitam studeant componere, & procedere in posterum iuxta Ordinis generalia statuta, quantum & vbi fieri potest ac debet.

Capitulum Prouinciæ Bauaricæ.

Romam reuersus Reuerendiss. Pater Generalis ex Visitatione Regni Neapolitani, quamuis multis incommodis affectus, tamen sese ad reliquum Italiæ iter accinxit, ac imprimis ex speciali mandato S. D. N. Fratrum Discalceatorum Italiæ, qui iam multis annis ferulam Generalium subterfugerant, & adhuc eandem minus patiebantur, omni adhibita diligentia visitauit, eosque suo imperio subiecit. Quod idem, eadem solertia præstitit in Conuentu S. Mariæ de populo, quod Congregationi Lombardicæ subditum, non minus Visitationem Reu. Generalis, prout tota illa Congregatio aliquot iam annis fecerat, detrectabat.

Subijciuntur Discalceati & Congregat. Lombard. P. Generali.

Eiusdem Reuerendissimi P. Generalis opera ac industria reducta est ad vnionem Congregatio Coloritarum, in Regno Neapolitano, quæ hactenus solo nomine parebat. Nunc vero per Reu. P. Mag. Dominicum de Cantanzuro visitata ac celebrato Capitulo ad instar aliarum Congregationum integraliter subiecta fuit, magna in posterum animarum quiete, quæ in vnione crescit, prout in diuisione dissoluitur.

Hoc ipso anno in Vigilia Assumptionis gloriosiss. Virg. Mariæ, assumptus fuit ad cælestem illam beatitudinem, Venerabilis P. F. Ioannes à S. Guilelmo, è monte Cassiano oriundus, cum prius hunc diem sui obitus multis ante indicasset. Vixerat enim is durissime multis annis in maritimis oris Senensium, vbi ædificato Cœnobio *Tirlensi*, ac eremitorio, quo sæpius sese recipiebat, *Vultus Sancti*, plures ad spiritualem vitam recte instituendam, instruxerat verbo & exemplo. Verbo celebres Italiæ vrbes suis concionibus spiritu plenis excitauerat. Exemplo mundum vniuersum erudijt, Regnum cælorum vim pati. Continuo cilicio & fer-

& ferreis catenis, pungentibus etiam aculeis rigidissimis vsus fuit ad nudam carnem, semel in die solis cibis quadragesimalibus vescebatur, alternis vero diebus ab omni cibo & potu abstinebat, sabbatum in solo pane & aqua transigens, nunquam vestem deposuit semel assumptam, nunquam corpus super culcitram, sed super nudam tabulam reposuit, media nocte semper surrexit, cæterum noctis orationi, meditationi, ac disciplinis impendens. Vnde, infinitis miraculis meruit à Deo honorari, infinitos à dæmonibus obsessos liberauit, infirmos plurimos, inter hos Principes aliquot, sanitati restituit, tres mortuos ferebatur ad vitam reuocasse, è quibus vnum sibi ad famulitium, seu sodalitium assumpserat. Futura etiam non pauca, Diuina reuelatione cognita, diuersis prædixit. Immo post obitum à miraculorum patratione nō destitit, neq; adhuc desistit. Cum enim ad castrum *Batigniano*, diœc. Grossetanæ rogatu Patrum Discalceatorum Ordin. S. August. euocatus esset, vt ibidem erutis fundamentis ad Monasterij ædificium, primam petram collocaret, suamque benedictionem erecta cruce impertiretur, parua infirmitate correptus, plurimis sanctitatis indicijs editis, feliciter ad Dominum migrauit exhortationi intentus. Reseruato vero corpore per Anatomicos mandante Diœcesano, nullum cor in corpore repertum fuit, sed illud eum anima ad cælum videbatur migrasse. Chirurgus etiam peracto opere examinis intestinorum, cum lintea aliquot & chartam ad detergendas manus assumpsisset, illaque igni comburenda adiecisset, nullo modo eadem comburi potuere, at intacta ac illæsa à vi ignis, resiliere, hodieque in miraculi testimonium, asseruantur. Denique manente adhuc cadauere super terram, aliquot claudi gressum rectum recepere ex illius contactu; prout etiam alij infirmi morborum suorum subleuamen sensere, maxime quando beatum boe corpus, iussu Reu. P. Generalis delatum fuit ad Monasterium Tirlense, quod beatus hic Ioannes viuens incoluerat.

V. Cornelij Curtij Eustatiarum famil. XIIX.

Insignem operam Reuerendiss. P. Generalis, peractis æstiuis caloribus impendit Prouinciæ Venetæ, quæ ob Rempublicam illam plus satis proprij reginimis, aliquantulum difficilior, vix externos patiebatur in officio; vbi tum hæc, tum maiora ad decorem Ordin. S. Augustini maxime conducentia dexterrime composuit.

Visitatio Veneta.

Antequam iter hoc ingrederetur, supplici prece Reuerendiss. Pater institerat apud S. D. N. vt Canonizationem B. Thomæ à Villa noua obtineret, nec in vanum; Sacra enim Congregatio Rituum, tale decretum edidit die 6. Decemb. *Discussa diligenter, & mature perpensa de mandato S. D. N. in ordine ad Canonizationem causa B. Thomæ à Villa noua, Ordin. S. Augustini, Archiepisc. Valentini, Congregatio sacrorum Rituum pluribus desuper habitis sessionibus, Ill. Card. Mellino referente censuit tuto posse S. D. N. quandocunq; sibi libuerit ad solennem eiusdem B. Thomæ Canonizationem iuxta S. R. E. ritum, & sacrorum Canonum dispositionem deuenire, cumque dessinire Sanctum cum Deo regnantem, atq; vniuersali Eccl. proponere colendum, & venerandum*, &c.

Decretum Canonizat. B. Thomæ.

Hoc etiam decreto obtento idem S. P. N. declarauit sese Deo fauente, & vita superstite huius sancti Canonizationem, non ita post velle aggredi, quod vt fiat, vouet Hispania, vouet Ordo Augustinianus, vouet orbis fere vniuersus.

Hoc eodem anno die 26. Octob. ad instantiam RR. Patrum Thomæ Gratiani, & Cornelij Lancilotti, Ordo Eremit. S. August. fuit admissus ad ciuitatem, & Vniuersitatem Duacensem, coëmpta hæreditate Monasterio ac Collegio propria, per Nob. D. Ioannem Cousin, & fundatione aliquali facta pro Religiosis VII. à Nobili Dom. De Cbange, Eccl. Cathedralis Tornacensis Canonicis, viris de Religione Christiana & Ordine nostro bene meritis.

Fund Monast. Duacensis in Belgio.

Fuere

Fuere etiam *hoc anno* post victoriam Pragensem monasteria Ordinis, nō ita pridem deperdita, Ordini restituta, ac liberalitate Inuictissimi Cæsaris damnum aliquo modo compensatum ex bonis rebellium, ita vt insigni memoria solum fuerit iniuersum & cantatum. Tustensi Monasterio omnia ac singula bona Primatis ad 16. millia florenorum, fuere assignata. Venditis bonis Suambergensiū Bifoniensi Monasterio aliquot millia cessere. immo, iusto Dei iudicio, restitutis Religiosis ac Parochis, hæreticorum ministri, ac scelerata fæx fuit dimissa, ac rursus antiquæ religioni Catholicæ parœciarum administratio commissa. — Restitutio Monast. in Bohemia.

Non procul à Bifonia, in vico Profeberg sub temporali Dominio Generos. D. Burchardi Gothnis multis annis parochum egerat, Ven. P. Thomas Sonnereyter, Ordin. S. Augustini professus Badæ, qui à militibus dum podagræ doloribus lecto defixus consistere non posset, in proprijs ædibus flammis fuit consumptus, illis etenim thesauro Ecclesiæ inhiantibus, ignis cubiculo in quo decumbebat fuit admotus, miserque Dei Sacerdos semiustus ad vicinum Reu. D. Prælatum Archidiaconum Ioannem Flaxium delatus, apud quem tandem post aliquot dierum cruciatus immensos, post integram suorum peccatorum expiationem, ac omnium Sacramentorum susceptionem pie obijt. — Martyr. P. Thomæ Sonnereiter.

Non possum hic, dum in Bohemia versor, non meminisse diligentiæ industriæque Reu. Adm. P. Mag. P. Ioannis Baptistæ Cristelli, Protonotarij Apostolici, & per Bohemiam Austriamque Prioris Prouincialis, qui multis magnisque laboribus suis, & Rudolphi II. Imperatoris ope Ecclesiam, Monasteriumque Pragense, hinc vetustate atque iniuria temporum caducum, illinc Ziscano furore pessumdatum, in pristinum decorem restituit, nouoq; splendore adornauit.

Eodem anno M.DCXXI ad meliorem vitam concessit Neapoli soror Elizabeth, quæ multis annis sub obedientia PP. S. Augustini ibidem vixerat in maxima vitæ innocentia & austeritate, ita vt septimanatim quinque diebus integris ab omni cibo abstineret. in huius Religiosæ funere postquam corpus ad plures dies populo fuisset relictum, plurima placuit altissimo miracula edere, ac testari singulariter Deo fuisse dilectam. — Obitus Sororis Elizab. Neapol.

Sub initium alterius anni in Gallia nouiter erecta fuit, aut saltem de nouo restituta Congregatio Eremit. S. Pauli primi Eremitæ, illaque ex mandato S. D. N. curæ ac directioni Reuerendiss. P. Generalis fuit commissa, à quo etiam eadem Congregatio, leges ac statuta suscepit, iuxta quæ morem gerere conuenientem erit. — Congreg. S. Pauli Eremitæ in Gallia.

Nec ita post idem Reu. P. Generalis de bono Germaniæ sollicitus, vt cæterum Germaniæ in integrum restitueretur, commissa Rheni ac Sueuiæ Prouincia fidis viris, impetrata etiam disciplina in Bauaria, eiusdem Patris Cōmissarij opera, qua in Bauaria feliciter vsus fuerat, vti statuit in Prouincijs Bohemiæ Austriæ, ac Styro-Carinthiæ, vt eædem ad rectam Constitutionū obseruantiam reducantur. Quare earundem Prouinciarum Visitationem, nec non reductionem sub initium *anni M. DCXXI.* præfato Patri committit, qui etiam primo commodo assumptis aliquot ex Bauariæ Prouincia Religiosis, præfatas Prouincias ingreditur, vbi adhuc pro virili studet iuniores in probis moribus, & litteris educare, vota essentialia ad amussim introducere, Capitula Prouincialia celebrare, spiritualia ac temporalia bona deperdita recuperare. faxit Deus, vt pro pio voto ac zelo, fructus expectati ac desiderati emanent. — Missio in Bohemiam Austriam, &c.

Stato tempore post Pascha celebratur Capitulum Prouinciale in Belgio apud Angienses, quod oppidum periculis itinerum minus subiacet, in Prouinciæ meditullio, situ non ignobili. In his comitijs Præside Adm. Reu. P. Mag. — Capit. Prouinc. Belgij.

P. Mag. F. Cornelio Lancilotto, in Prouincialem plurimorum suffragio ascisceitur Exim. P. Mag. Georgius Maigretius, Doctor vniuersitatis Louaniensis, qui præter bonas ingenij, exercitij, ac experientiæ dotes, præclaraque merita erga Ordin. S. Augustini, bisce ciuilibus bellis minus periclitabitur; inimicorum enim Regij nominis non tam facile fiet præda, cum & habitatione, & natione Lædius, sicque neutralis immunitate gaudebit, ab illo nihil non solatij, nihil non promotionis expectat illa Prouincia, cui spei iam certam fidem fecit in Conuentuum quibus præfuit erectionibus ac directionibus. Vtinam Deus nostra vota secundet.

Florent in Belgio August.

Vigent ac florent interim in illa Belgica Prouincia, etiam crudelibus bellis miserè afflictâ litteræ, in quibus merito lauream donandi mihi obueniunt RR. Patres, P. Nicasius Baxius, P. Melchior à Daelhem, P. Prosper Stellartius, P. Reinerus Martinus Traiectensis, alijque quorum scriptis, ac eruditis lectionibus, commodijs, alijsque Scholarum exercitationibus iam ab annis aliquot vsus fuit Ordo, iuuentus, ac Belgiũ fere vniuersum. Nec mihi omittendus P. Michaël Paludanus, qui & ante annum vigesimum Philosophiam, & ante vigesimum quintum Theologiam ita tenaciter hausit, ac ita eas facultates penetrauit, vt eatundem in celeberrimis oppidis, etiam coram frequenti auditorio, professorem summo cum applausu egerit, de quo non infrequenter, cum sub mea esset ferula, mihi ipse dixi: *Quis puer iste erit?* Dialecticam edidit, quæ publicè in Scholis prælegitur, & iam Doctoralem lauream in celebri Louaniensi vniuersitate consecutus est, facitque sibi viam ad maiora.

P. Michaël Paludanus insignis Theologus.

Fund. monast. Teneramundæ.

Extendit certe illa Prouincia sub optimis directoribus alas & volitat, protrudit colonias: atque non ita pridem audio Teneramundanos ciues PP. Augustinianis locum, & paruam commoditatem parasse, vt ipsorum quoque iuuentuti consulatur. Huic coloniæ scio admodum R. P. Ioannem Braotium, similibus initijs, ad perfringendas difficultates quibus illa abundant, aptissimũ, illius enim cor accensum ac ardens charitate ac zelo proximi, omnia suffert, omnia sustinet, omnia promonet. Vtinam plures tales Ordo haberet vbique certe puluerem excuteret, & vigilaret.

XX. Octobris immaturâ morte nobis ereptus est, cælo, vt speramus, receptus Reu. atque Exim. P. Cornelius Lancilottus, vir integerrimæ vitæ, probatæ pietatis, & raræ doctrinæ; reliquitque magnum sui apud omnes desiderium, postquam innumeros pænè ad Religionem recepisset, studia insigniter promouisset, Antuerpiæ Ecclesiam, & alibi Monasteria erexisset, Belgicamque Prouinciam optimè administrasset.

F. COR-

F. CORNELI CVRTI
AD
R.P. HENRICVM LANCILOTTVM
in mortem
R.P. CORNELI LANCILLOTTI
fratris eius
EPICEDIVM.

Henrice, columen grande Lancilottorum,
Vnumq; lumen vnicum, alterum postquam
Nobis suam faciem facemq; subtraxit,
Interq; Cæli cœpit astra lucere,
Cornelius, germanus heu! quondam tuus,
Prouinciæ flos Belgicæ, immò totius
Flos Ordinis, dicam audiente Liuore.
Quid flere præter nunc mihi vltimum restat?
Pater & Patrone magne, magne Corneli,
Et grande, grandis instar numinis, nomen,
Molestiarum quam grauem mihi molem
Relinquis abiens? spes meæ tacent Tecum,
Ille enit beatus maximus furor quondam
Pessum omnis iuit; vix iambus hic claudus
Venire potuit, vt Tibi parentaret,
Et tertiatis pedibus iret in lessum.
Verum quid æstimator improbus rerum
De more vulgi prosequor Tuum funus
Non profuturis vocibus querelarum?
Te nemo lachrymis vrgeat, Tuos nemo
Turbare cineres eiulatibus tentet:
Virtutis inopes, alteraq; tam morte
Mundus sepultos lugeat suo iure:
Cælo beauit, Teq; morte defungi
Mors ipsa vetuit, vinculisq; disruptis
Mortalitatis, induit nouâ vitâ.
Hoc pro Tuis sodalibus labor magnus
Meritò petebat, quo rudem iuuentutem
Ad altiora studia ceu manu duxti.
Hoc cura vigilans, quâ sacri Ordinis clauum

Fideliterq., gnauiterq. rexisti.
Hoc magna Pietas, quâ Dei fidem & nomen
Iusisti adauctum, quando perfidis Cæli
Ecclesiæq. perduellibus bellum
Sacrum indicasti, fortiterq. pugnasti.
Aureliana quando castra tam multo
Grege ditasti; quando Numini summo
Templa excitasti; quando Te met & totum
Deoq. Fratribusq. mancipauisti.
Hoc agmen ergo multiplare virtutum
Te statuit illic, quo calentibus votis
Homunciones nos miselli anhelamus.
Tu letus, indigusq. nullius viuis;
Nos quia Tui, caremus omnium rerum,
Ipsaq. tristiorem morte viuimus vitam.
Ego præter omnes, cui Tuum recens fatum
Patrisq. Patroniq. nomen extinxit.
Henrice nunc Te quæso per Tui fratris
Nomen, decusq.; si Patrem, virum tantum,
Meum vocaui, filij loco si me
Amauit ille, fac satis meo voto;
Illumq. Te Religio sentiat mecum,
Vt & Patronum dicat & suum Patrem.

INDEX

INDEX MONASTERIORVM ORDIN. EREMIT. S. AVGVST. AVCTIOR ET CORRECTIOR.

Religiose Lector, est quod te rursus moneam in hoc indice, ne me errantem sequaris & accuses: omnia Ordin. Monast. adhuc habere non potui, nec iustum inter Conuentus ordinem, vtrumque excusa.

PROVINCIA LOMBARDIÆ, *alias S. Augustini.*

Conuentus:

- G. Papiensis
- G. Mediolanensis
- G. Genuensis
- Tortonensis
- Placentinus
- Astensis
- Vercellensis
- Nouariensis
- Carmignolensis
- Bilinzonensis
- Vigoniensis

Conuentus:

- Pinerolensis
- Alexandrinus
- Castellacensis
- Coconatensis
- Cauellariensis
- Eliceensis
- Capellectensis
- Monasteriensis
- Rochetensis
- Spediensis
- Sugoiauensis.

Conuentus:

- Caorficensis
- Frageliensis
- Corniensis
- S. Angeli
- Vallis Tecitæ
- Variensis
- Syluanus
- Zauatarellensis
- Casatensis
- Castiglionensis
- Maziniensis
- Monzianus.

PROVINCIA ROMANA *alias S. Monicæ.*

Conuentus:

- G. Romanus S. August.
- Ibidem S. Matthæi.
- Tiburtinus
- Cauensis
- Genestanensis
- Coranus
- Anagniensis
- Carpinetensis
- Frifononiensis
- Verulensis
- Cerensis
- Tulfanus
- Syrrianensis.

Conuentus:

- Campaniensis
- Pipernitanus
- Rocbengeorgiensis
- Marinensis
- Sunoniensis
- Pollensis
- Nepesinus
- Salesinus
- Malleensis
- Ortensis
- Toscanellensis
- Centicellensis
- Ronciglionensis.

Conuentus:

- Brachianensis
- Monrisfilascensis
- Balneoregiensis
- Oruietanus
- Castri plebis
- Aquapendentinus
- Soraxianensis
- Serueriensis
- Caprenicensis
- Cornetensis
- Ciuitatis veteris
- Cutinianensis
- Stabiensis.

PROVIN-

PROVINCIA MARCHIÆ,
alias S. Nicolai de Tollent.

Conuentus
G. Anconitanus
G. Firmanus
G. Pisauriensis.
G. Recanatensis
Montis Rubiani
Asanatensis
Monticulensis
Amaduleosis
S. Iusti
Exiensis
S. Constantij
Auximontensis
Roccæcontratensis
S. Angeli
Vallis mandotis
Montis corani
Montis S. Mariæ in Cassiano
Rotaous
S. Pauli
Carticetensis
Montis Filatraneosis
Montturanensis.

Conuentus
Camerinensis
Cryptarum ad mare
Ciuitatis nouę
Montis S. Georgij
Maceratensis
Mattelicensis
Sarnaniensis
Montisgranariensis
Mondulphensis
Paluеriensis
S. Anatoliæ
Lapidonensis
Massignaniensis
Brittinensis
Montis S. Martini
Montis Fortunij
S. Petri in campis
Ascensionis
Filiorum Octauij
Castri Fidardi
Apiroiaoensis.

Conuentus
Asculanus
Fanensis
S. Seuerini
S. Genesij
Offidanus
Deripjs
Montelparensis
S. Victoriæ
Montis Vlmensis
S. Elpidij
Coronaldensis
Montis Securij
Cingulensis
Turris palmarum
Montis alti
Montis sancti
Montis Melonis
Montis Monacheosis
SS. Trinitatis
Bargiensis
Fori Sempronij
Beluideriensis
Senegagliensis.

PROVINCIA FRANCIÆ,
siue Parisiensis.

Conuentus
G. Parisiensis
Ibidē nouus Conuentus
Latiniaceosis
Aurelianensis
Turonensis
Montisaureosis
Chinonensis
Aodegauensis
Landerensis
Pictauiensis
Oblincensis. *le blanc*
Albinaceosis
Montisinpriensis.

Conuentus
Bituricensis
Lauretanus
Victriceosis
Lambalzensis
Laodunensis. *Lanion*
Quarheтensis
Barroflucтensis
Baiocensis
Rothomagensis
Ambianensis
S. Benedicti *de saltu*
Palmitensis
Siroitensis.

Conuentus
Remensis
Catalaunensis
Barroducensis
Girouetensis
Verdunensis
Metensis
Champlitensis
Ponarliensis
Molioensis
Coradensis
B. Virginis Custod.
Rupellensis
Caudensis.

PROVINCIA CASTELLÆ.

Conuentus
Salamanticensis
Colleg. ibidem.
Vallisoletanus
Ibidem alius
Burgensis *S. Crucifixi*
Palentinus
Badaiocensis
Abulensis
S. Mariæ Paradisi.

Conuentus
Madritensis. *S. Philippi*
Colleg. ibi. *S. Augustini*
Complutensis
Sanctorum
Baionensis
Badaijacensis
Leonensis
Lucroniensis
Carauacensis.

Conuentus
Toletanus maior
Ibidem minor
Talauerensis
Duennensis
Placentinus
Halensis
Paceosis
Pamplonensis
Cinchonnensis.

S. Pauli

Conuentus
S. Pauli
Ceruecensis
Matioacensis
Almagreosis
B.Mariæ delirsi
Ponferadensis
Numantinns
Madrigalensis

Conuentus
Sorieosis
Pinensis
Gandieosis
Compostellaous
Gueciensis
Domus Regum
Segobreosis
Mansilliensis

Conuentus
Ciuitatis Roderici
Areualeosis
Pontisdeumeosis
Areoanus
Abulensis S. Mariæ Grat.

PROVINCIA BETICÆ,
siue An · luZia.

Conuentus
Hispalensis
Ibidem alius
Collegium ibidem
Cordubensis
Teronefensis
Chiclanensis
Cazalensis
Velezmaglensis
Macbionensis
Villenaous
Abbazetensis
Conquensis
Huelmianus
Donbenetensis

Conuentus
Granatensis
Ossunensis
Xerensis
Belciaceosis
S.Lucæ
Metinensis Campi
Xerensis equitum
Marchenensis
Alcariensis
Salmerooensis
Marciensis
Guadicensis
Antiquerensis
Xerifensis

Conuentus
Montellaous
S.Mariæ regular.
Coinensis
Gaditãnus
Portensis
Archensis
Echizuensis
Castilonensis
Bouillonensis
Priegonensis
Ionoazionensis
Metinensis Sidon.
Cordubensis S.Mariȩ Monial.

PROVINCIA ARAGONIÆ ET CATALONIÆ.

Conuentus
Cæsar-augustanus
Oscaous
S.Sebastiani
Setabiensis
Roccæ-fortis
Mindoniensis
Castellaous
Bilbitanus
Estellanus
Alzazensis
Aquariensis
Hellodiensis
S.Spei
S.Iuliani
Arguliensis
Madiarensis.

Conuentus
Valentinus
Ibidem *S. Mariæ de succurso.*
Gerundensis
Vriolaous
Carthaginensis
Tudensis
S. Luciæ.

INSVLÆ MAIORICÆ & MINORICÆ.
S. Augustini
S.Mariæ Ditria
Ceruaricensis
Marensis S.Mooicæ.

Conuentus
Barchinonensis
Tarraconensis
Fragensis
Illeridensis
Vrgelitanus
Domus Dei
Alcoensis
Alicantensis
Turricellensis
Parolarensis
Algytensis
Colleirensis
Perpinianus
Castellion. de Plana.
Castellion. d'Arci-(mun.
Palhiacensis.

PROVINCIA LVSITANIÆ,

Conuentus
Olysiponensis
Ibid.S.Mariæ grat.
Ibidem Collegium
Lagusanus
Santarensis
Penoa Firmanus
Castri albi
S.Michaelis
Lolsianus

Conuentus
Bracarensis
Ibidem Collegium
Eborensis
Congensis
Vlliauicosanus
Monris maioris
Funchalensis
Algarbiensis
Bragantinus

Conuentus
Conimbricensis
Ibidem Collegium.
Tauirensis
Emeritensis
Turrium veterum
Portuensis
Hesperidum insularum
Syluiensis

Vicariatus INDIÆ Orientalis.

Conuentus
- Goanns
- Ibidem Collegium
- Coccinensis
- S. Thnmæ
- Coulanus
- Machaianenses

Conuentus
- Chimensis
- Canorenses
- Syrretensis
- Mogoranus
- Mauaritani 4
- In Regno Congi, 10

Conuentus
- Iaponensis
- Angemalensis
- vna cum 20. parochijs
- Ternatte
- Tidorensis
- Motirensis

PROVINCIA VENETA.

Conuentus
- G. Venetus *S. Stephani*
- Ibid. *S Christophori*
- G. Patauinus Eremitarum
- G. Veronensis S. Euphemiæ
- G. Taruisanus
- G. Tridentinus S. Marci

Conuentus
- Vicentinus
- Feltrensis
- Chiozanus
- Vtinensis
- Concordiensis
- Mirandulanns
- Alius iuxta Mirand.

Conuentus
- Polesellensis
- Spilembergensis
- Venzonensis
- Saciliensis
- Latisanensis
- Polensis
- Clugiensis

PROVINCIA TOLOSÆ ET AQVITANIÆ.

Conuentus
- Tolosanus
- Burdigalensis
- Genuensis
- Fiatensis
- Lemouicensis
- Montis douiæ
- Marque-Fauensis

Conuentus
- Aquensis
- Baionensis
- Montis Regalis
- Montis Flurginij
- Morthemartensis
- Villa-Syluiensis
- Montis albani

Conuentus
- Carducensis
- Figensensis
- Florentinus
- Petracoriensis
- Insulæ Iordanis
- Villa-Franchæ.

PROVINCIA BELGICA.

siue Coloniensis.

Conuentus
- Coloniensis
- Treuerensis
- Gandauensis
- Aquensis
- Iprensis
- Angiensis
- Tornacensis
- Theonisuillanus
- Harlemiensis
- Insulensis
- Huyensis
- Teneramundanus

Conuentus
- Louaniensis
- Antuerpiensis
- Brugensis
- Hasselensis
- Betburgensis
- Wesaliensis
- Middelburgensis
- Distensis
- Tenensis
- Enchusianus
- Duacensis

Conuentus
- Leodiensis
- Bruxellensis
- Traiectensis
- Mechliniensis
- Walderfingensis
- Dordracensis
- Merthensis monial.
- Bulloniensis
- Herentallensis
- Mariendalensis
- Bouiniensis

PROVINCIA ROMANDIOLÆ.

G. Conuent.
- G. Bononiensis
- Alius ibidem
- G. Ariminensis
- G. Cesenatensis
- Finalensis
- Ceruiensis
- Castrimoniensis
- S. Pauli de Ragus

Conuentus
- Centiensis
- Castri S. Petri
- Forisuracenus
- Linariensis
- Pennæ Billorum
- Rauennatensis
- Carpensis
- Castrifranchensis

Conuentus
- Talamellensis
- Galiatensis
- Planimileti
- Miratoriensis
- Sextiaxensis
- Veruculensis
- Valenucensis
- Casecarellensis

PROVIN-

PROVINCIA VMBRIÆ.

Conuentus:

G. Perusinus
G. Eugubinus
Reatinus
Cassianus
Ameniensis
Pergulensis
Sigillanus
Corcianus
Cantalicensis
Cotamellensis
Apositensis
Pabyensis
Gualdilucerius
Mercatelinus

Conuentus:

Spoletanus
Fulginensis
Interamnensis
Ciuitatis Ducalis
Gouisliensis
Burgi S. Sepulchri
Castri Vitalli
Cerqnetensis
Nuglolensis
Montis Regalis
Pandicalensis
Castririgoricensis
Saxetensis
Montis veteris.

Conuentus:

Montisfalconis
Benagnianus
Narniensis
Nursiensis
Amatricensis
Anglariensis
Vissicanus
Ceretiensis
Perrilonganus
Acumuliensis
S. Gemini
Introducensis
Fractensis
Gualdicataneus.

PROVINCIA PROVINCIÆ.

Conuent.:

Marsiliensis
Aliusibidem
Auignionensis
Nissensis
Pugetensis

Conuent.:

Valensolensis
Castellanensis
Grassiensis
Lirinensis
Aquensis

Conuent.:

Brimolensis
Bariocensis
Arelatensis
Paterniensis
Dargimanensis

PROVINCIA BAVARIÆ.

Conuent.:

Ratisponensis 1255
Ratenbergensis 1390
Seefeldensis 1604
Vallisspeciosæ 1161

Conuent.:

Monachiensis 1290
Romsauensis 1412
Ingolstadiensis 1605

Conuent.:

Seemanshausensis 1262
Salisburgensis 1605
Vibacensis } 1296
Suuatiensis } monial.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Conuentus:

G. Neapolitanus *S. Augustini*
Ibidem B. *Virginis succursus*
Ibidem *S. Spei*
Buccinensis
Auersanus
Capuanus
Theanus
Vaieranensis
Riardinus
Pratensis

Conuentus:

Salernitanus
Beneuentanus
Bonafriensis
Buianus
Casertensis
Ariensis
S Mariæ Gratiarum
Gragnanensis
Rauellensis

Conuentus:

Scallensis
Solophrensis
Campaniensis
Paludanus
Dianensis
Riccinus
Ischiensis
Nolanus
Mortoriensis

PROVINCIA NARBONÆ ET BVRGVND.

Conuentus:

Lugdunensis
Oremaicensis
Seceliensis
Albinicensis
Emeziacensis
Gauuatensis
S. Amoris
Moluelliensis

Conuentus:

Surregiensis
Voltensis
Belliripariensis
S. Romani à Terno
Monstaniacensis
Morestelensis
S. Genesij

Conuentus:

Narbonensis
Marologiensis
Montispolusensis
Iouoniensis
Nemosiensis
Bituricensis

PROVINCIA SICILIÆ.

Conuentus
G. Messanensis
G. Panormitanus
Taurominensis
Catanensis
Auenensis
Traianensis
Lentiniensis
Castiglionensis
Castriensis
Salemensis
Mazarlensis

Conuentus
Racalbatensis
S.Philippi
Saglanensis
Castro Ioannis
Calatauolensis
Alxarniensis
Syracusanus
Gratianus
Francauillanus
Trepaniensis
Morsaliensis

Conuentus
Calatfiniensis
Saliensis
Nariensis
Calatageronensis
Minensis
Notiensis
Coreonensis
Melitensis
Notabliensis
Vultensis
Goualensis
(Melitensis – Goualensis: Insulę de Malta)

PROVINCIA PISANA.

Conuentus
G. Florentinus
Pisanus
S.Barnabæ
Pistoriensis
Vulteranus
Pratensis
Scarperiensis
Camigliensis
S. Saluatoris

Conuentus
Emporiensis
S.Miniati
Ibidem alius
Montis catini
Binguniensis
Lupicattensis
Petræ sanctæ
Liburniensis
S.Donati

Conuentus
Fiuizanus
Podij Boncius
Loci noui
Soluzzoniensis
Guardistalensis
Marcialensis
Perotolensis
Barghensis
S.Francisci

PROVINCIA SENENSIS.

Conuentus
G. Senensis
Montis S.Sabini
Cortonensis
Aretini
Castiglionensis
Valensis
Asciniensis
Montis-Alcini
Vultus Sancti

Conuentus
Gambasciensis
Collensis
Subcretinensis
Masleus
Corsicanus
Flombinus
S.Catharinæ *de ſiſo*
Montis Politiani
S.Guillelmi

Conuentus
Scarlinensis
Montis Seani
Monticulensis
Rosiæ S.Luciæ
Gersalchiensis
Coloniensis
Calbalbiensis
Tirlensis

PROVINCIA TERRÆ SANCTÆ.

Con.
Candianus
Lacanéa

Con.
Corsciensis

Con.
Corfucianus

PROVINCIA APVLIÆ.

Conuentus
G. Andriensis
Barensis
Tranensis
Inuenatensis
Aquauiuanus
Tbaretinus
Liciensis
Cursiensis

Conuentus
Brundusinus
Venusinus
Atellensis
Esculanus
Leconiellensis
Foggiensis
Altemurensis
Brontinus

Conuentus
Melfiensis
Luceriensis
Tremulanus
S.Seueri
Vigiliensis
Casalis noui
Hostuminus
Montis cauerti.

PROVINCIA APRVNTINA.

Conu.
Lanciarensis
Ciuitatis Teatinæ
Tortoretinus
Pescariensis

Conu.
Vastinus
Ciuitatis Pennæ
Atrinus
Moresinus

Conu.
Ciuitatis S.Angeli
Ortonensis
Taramiensis

INDEX.

PROVINCIA CALABRIÆ.

Conuentus:
Tarsiensis
Beluederiensis
Montis-Leoninus
Rocheuetensis
Suscaldensis

Conuentus:
Pausensis
Buchileriensis
Scilianus
Curighensis
Melissensis

Conuentus:
Terræ nouæ
Belfortisensis
Fernletinus
Aerinus
Strongelianus

PROVINCIA POLONIÆ.

Conuentus:
Cracouiensis
Casimiriensis 1346.
Ibidem monial.
Warsauiensis
Brestanus 138n.
Ilcusianus
Wederbergensis

Conuentus:
Bialutiensis
Crasnostauiensis
Bydgnstiensis
Pilzanus 1403.
Villæ albæ
Velaniensis

Conuentus:
Rauensis
Cecannuiensis
Eleusumensis
Parznuianus
Assumpt. B. Virg.
Podgradicensis

PROVINCIA RHENI ET SVEVIÆ.

Conuentus:
Moguntinus
Obendorfensis
Weilensis
Landauensi.
Brisazensis
Wormatiensis
Heidelbergensis
Pforzbeimensis
Eslingensis
Nurembergensis
Confluentinus
S.Catharinæ
S.Adelheildis } Monial. iuxta Cŏstant.

Conuentus:
Spirensis
Constantiensis
Gaumundianus
Vtenueilensis
Colmariensis
Fridtburgensis
Alzeymensis
Basileensis
Lauringnensis
Warstadiensis
Tubingensis
Wirtenbergensis
Vallis S. Mariæ
Fridtbnrgi Brisg. } Monial.
Fridtbnrg. Helu. } Monial.

Conuentus:
Herbipnlensis
Meurstadensis
Argentinensis
Fridtburg in Brisgoia
Fridtburg. Heluet.
Mindelbeimensis
Anglibergensis
Cronvveisenberg.
Lauginensis
Hagenauensis
Alzeranus
Turricæ Heluetiorum

PROVINCIA HVNGARIÆ.

Conuent.:
Agariensis S. Nicolai
Deesvvariensis
Haropknvvensis
Kessingæ, Budian.

Conuent.:
Carensis
Saranus
Marecensis
Budensis

Conuent.:
Paporziensis
Strigoniensis
Alba Regalis
Kazanus
Quinqueeclesiensis cum sex alijs.

PROVINCIA ANGLIÆ.

Conuentus:
Londinensis
Cantabrigensis
Tuffifordensis
Liminensis
Leycestrensis
Cardicensis
Lemdennuogliensis
Serrabaunund.
Rosæ-Vachriunensis
Cbnrdiagiensis
Lisagamiensis
Ticulensis
Conuentriensis

Conuentus:
Oxnniensis
Eboracensis
Rideurielensis
Horckendinensis
Stanfordeensis
Moranipromensis
Istapordiensis
Antnlosgamensis
Salaniuirranensis
Douidguardan
Hunttyngnuiensis
Clarensis
Gnrlettonensis

Conuentus:
Roffensis
Huntingensis
Darensis
Lincnliensis
Nordouicensis
Nordouoglius
Ponsauadensis
Chiriemanensis
Tibertanensis
Audariensis
Northamptoniensis
Wuichensis
Wuartingensis
Buriensis

PROVINCIA HYBERNIÆ.

Conu.
- Caluienſis
- Beluſamenſis
- Valla auronenſis
- Crenquerenſis

Conu.
- Dublinenſis
- Benephadienſis
- Burgeſquerenſis

Conu.
- Dominenſis
- Arnacenſis
- Moraſquerenſis

PROVINCIA TVRING. ET SAXONIÆ.

Conuent.
- Dreſdanus
- Vſinghenſis
- Erfordienſis
- Sangerhauſtanus
- Rainolhienſis

Conuent.
- Schmalkaldenſis
- Onasburgenſis
- Culenbachenſis
- Subergienſis

Conuent.
- Ponicrienſis
- Hamburgenſis
- Northauſianus
- Lipſienſis
- Monial. ibidem.

PROVINCIA SARDINIÆ.

Conu.
- Calaritanus
- Ibid. Colleg.
- Illoraijanus

Conu.
- Saſſaritanus
- Alquerenſis
- Galuranus

Conu.
- Samaſſienſis
- Tortolienſis
- Scoreanus
- Eccleſienſis

PROVINCIA MEXICANA.

Conuentus
- Mexici S. Auguſt.
- Ibid. S. Monicæ
- Ibid. S. Pauli Colleg.
- Item S. Nicolai Toll.
- Acumulanus
- Totolapenſis
- Ayacapliſtenſis
- Malinaleus
- Otocpanenſis
- Paſzayucanus
- Tzinguillanus
- Epaoyntanus
- Xicotepechenſis
- Cacalpuenſis
- Gautlatanus
- Thecamaenſis

Conuentus
- Cuilhuacenſis
- Ayotzinguenſis
- Ocoitoconenſis
- Epatzoyochanus
- Atatlauquenſis
- Xanterelchenſis
- Chilapenſis
- Atotolnichenſis
- Plutanenſis
- Gilotnanenſis
- Huatpultepenſis
- Ilanchinolateln.
- Xonacatlenſis
- Alcanchanenſis
- Tlaapanenſis

Conuentus
- Yacapichtlanus
- Moluncoenſis
- Tenuxitanus
- Metlatepecanus
- Xemultepecenſis
- Metztitlanus
- Tlayacapenſis
- Izmichelpenſis
- Acatlunenſis
- Chicoaantlanenſis
- Huacchinanguenſis
- Chapulhuacenſis
- Chieltlacenſis
- Ochilaenſis

PROVIN. MECHVACANENSIS, TARASCÆ.

Conuentus
- Quayangarenſis
- Caienſis
- Vearcoenſis
- Tziroſtenſis
- S. Petri Truſcon.
- S. Philippi Altus
- Quadalacharenſis

Conuentus
- Paſquarenſis
- Cupandoroenſis
- Yuritapundanus
- Thingabathenſis
- S. Ioan. Parang.
- Ocotlanenſis
- Xacatanus

Conuentus
- Tiripitenſis
- Guanguenſis
- Xaconenſis
- Thacambanus
- S. Franciſci Curupus
- Charenſis
- Xaliſcus

PROVINCIA PERVNTINA.

Conuentus
- Limenſis
- Collegium ibid.
- Cuſcanus
- Chichiſacca
- Truxillo
- Potroſi
- Guanico
- S. Iacobi de Nibe

Conuentus
- Zannenſis
- Guadalupanus
- Coppacapunna
- Naſcanus
- Aliquippanus
- Ychanus
- Canierenſis
- Cliſſenſis

Conuentus
- Parianus
- Otueſcanus
- Ciuſgonienſis
- Tariganus
- Miſchenſis
- Omuſautenſis
- Cotabambaſius
- B. Virginis de Lobo

PRO-

PROVINCIA NOVI REGNI.

Conu.
- S. Fidei de Bogotta
- Carthagenensis
- Tungensis
- Carthagenensis Papiæ

Conu.
- Emeritensis
- Villa de Leyua
- Pampilonensis
- Panamanensis

Conu.
- Villa S. Christophori
- Villa Monpoxiæ
- S. Maria Candelariæ
- Meredensis

PROVINCIA PHILIPPINARVM.

Conu.
- Manillanus
- Collegium ibidem
- Lusfouiensis

Conu.
- Pauainenses
- Lebutenses
- Tandairenses
- Mindannaenses

Conu.
- Cailanus
- Subutensis
- Pauados
- Rapitariaco.

PROVINCIA del QVITO.

Conu.
- Quitensis
- Conchensis
- Loxensis
- Pastensis

Conu.
- Popnyanensis
- Calensis
- Biledyuara
- Riobambensis

Conu.
- Taconensis
- Sicciensis
- Quayachilensis
- Pariamanensis

PROVINCIA BOHEMO AVSTRIÆ.

Conuentus
- Pragensis S. Thomæ
- Ibidem S. Catharinæ
- Aquæ albæ
- Tnustadensis
- Leuchtmillensis
- Schuttenbouensis
- Sicciensis
- Corneuburgensis

Conuentus
- Viennensis
- Bnnateckensis
- Domazliergensis
- Insula S. Mariæ
- Harlassiensis
- Regradensis
- Svvambergensis

Conuentus
- Badensis
- Piuoniensis
- Mellinckij *S. Laurentij*
- Rastadensis
- Ostrovvensis
- S. Benignæ
- Pruckensis
- Marienbeekensis

Vicariatus Morauiæ.

Con.
- Brunensis S. Thomæ
- Chrumpamiensis

Con.
- Genitzensis
- Olmutziensis

Con.
- Coronensis

PROVINCIA STYROCARINTHIÆ.

Conu.
- Græciensis S. Pauli
- Felckemariensis
- Lubianus
- Rakenspurgensis

Conu.
- Flumen Liburnensis
- Mauthensis
- Abbat. S. Iacobi
- Iudenburgensis

Conu.
- Furstenfeldensis
- Lauantinus
- Pissinus

PROVINCIA DISCALCEAT. HISPANIÆ.

Conuentus
- Romanus S. Guillel.
- Matritensis
- Tobossiensis
- Garandillianus
- Nauis Regum
- S. Fidei
- Alagonensis
- Sueranus
- Beneuarensis
- Valentinus

Conuentus
- Complutensis
- Talauerensis
- Salamanticensis
- Portillo
- Baessanus
- Boryanus
- Bolleranus
- Oscanus
- Caudielensis

Conuentus
- Toletanus
- Viciosensis
- Vallisoletanus
- Granatensis
- Callataiuda
- Cæsaraugustanus
- Collegium ibidem
- Barcelonensis
- Manillanus cum X. alijs.

PROVINCIA DISCALCEATORVM GALLIÆ.

Conu.
- Aniguinnensis
- Grannpolitanus
- Parisiensis

Conu.
- Marseillensis
- Nimesiensis

Conu.
- Aquensis
- S. Augustini d'Ala

PROVINCIA PERSICA,

hactenus Lusitanis commendata.

Conuent.
- Aspainus S. August.
- Tanesinus S. Nicolai
- Persinensis S. Guill.
- Cinlfaensis S. Mariæ
- Ormuntinus.

Conuent.
- Carachanitanus S. Ioan. Chrysost.
- Chasuinus S. Guill.
- Sechiertinus S. Hier.
- Vannensis S. Mariæ maio.

Conuent.
- Areghiensis S. Blasij
- Achalatin' S. Georg.
- Mecheuanensis
- Gondozianus S. Domin.

CONGREGATIO LOMBARDIÆ.

Conuentus
- Romanus S. Mariæ de populo
- Ibidem S. Priscæ
- Genuæ S. Petri d'arena
- Ibidem S. Iacobi
- Bergomensis
- Florentinus
- Comensis
- Cremonensis
- Spilambertinus
- Pontremolensis
- Bassanns
- Cherensis
- Placentinus
- Rumanensis
- Bagellensis
- Ciriacensis
- Nimbriensis
- Clanacensis
- Massensis
- Saluciarensis
- Catelexiensis
- Laudensis
- Cauorensis

Conuentus
- Mantuanns S. Agnetis
- S. Ioannis Boni iuxta Mant.
- Tortonensis
- Vitalianus
- Taurinensis
- Brixiensis
- Alexandrinus
- Saueliensis
- Ferrariensis S. Andrææ
- Casalensis S. Crucis
- Fororoliuiensis
- Immolensis
- Vercellensis
- Lemininus
- Pontis S. Viti
- Veletranus
- Asuliensis
- Castellacensis
- Auciagensis
- Bargiarensis
- S. Germani
- Recanatensis
- Liburnensis

Conuentus
- Annunciatæ
- Sauonensis
- Mediolanensis Incoronat.
- Ibidem S. Mariæ de Castro
- Castellensis
- Lucensis
- Mutinensis
- Papiensis
- Grebedonensis
- Bononiensis
- Carignianus
- Assumptionis
- Auilonensis
- Fauentinus
- Tolentinatensis
- Hypporegius
- Regensis
- Montis-Falconensis
- Sarasinus
- Luceriensis
- Mationensis
- Burgehrescianus
- Maceratensis

CONGREGATIO ILLICETANA.

Conu.
- Illecitensis
- S. Geminiani
- Pratensis S. Annæ

Conu.
- S. Leonardi
- Senensis S. Martini
- Vallasprenensis

Conu.
- Sylualacensis
- Lacensis

CONGREGATIO CARBONARIÆ.

Conuentus
- Neapolitan' S. Ioan. (Carb.
- Suessanus
- Calensis
- Caietanus
- Marsitensis

Conuentus
- Capuensis
- Surcetinus
- S. Mariæ de Sap.
- Petramellensis

Conuentus
- Apitiensis
- S. Mar. de Durco
- Pausilippensis
- Maliauensis

CONGREGATIO PERVSINA.

Conu.
- Perusinus S. Mar.
- Aquilanus

Conu.
- Fulginensis
- S. Felicis
- Saxoferratensis

Conu.
- Sulmonensis
- Fabrianus

CON-

CONGREGATIO IANVENSIS.

Conuentus:
- Romanus S. Georgij
- Ianuensis *Consolatio-*
- Alius annunciatę (*nis*
- Alius ibid. S. Annæ
- Rapalensis
- Plebanus
- Leuensis
- Sabattensis
- Villetriensis

Conuentus:
- Viterbiensis
- Parmensis
- Montis-Regalis
- Montis-Brunianus
- Fauonensis
- Vneliensis
- Vintimiliensis
- Clauuennensis

Conuentus:
- Niceensis
- Albarius
- Tendensis
- S. Dalmatij
- Mystiensis
- Montislariculensis
- Burgi S. Donini
- Barsolensis

CONGREGATIO MONTIS ORTONI.

Con.:
- Montis Ortoni
- Venetus S. Pacis

Con.:
- Citadellensis
- Vlmiensis

Con.:
- Rodigiensis
-Ērediensis

CONGREGATIO DVLCETI *Apulia*.

Conu.:
- Dulcetinus
- Troiensis
- Asianus
- Montis-Folconensis

Conu.:
- Esculensis
- Corianus
- Stripaldensis
- Castelluccianus

Conu.:
- Montiscaulensis
- Gildoniensis
- Campibassinus

CONGREG. CALABRIÆ VLTRA.

Conuentus:
- Suberatensis
- Francauillanus
- Terrænouæ
- Baropodianus
- Goiauns
- Braccianensis

Conuentus:
- La Grotta Condiun.
- Castriueteris
- Mottægiosanus
- Torrensis
- Argustinus
- Montepauonensis

Conuentus:
- Stallatinus
- Cortalensis
- Aquariensis
- Dasanus
- Mottæbabalinus
- Icliensis

CONGREG. CALABRIÆ CITRA.

Conuentus:
- Cosentinus
- Zampanensis
- Rubieti S. Mariæ
- Madriensis S. Ioan.
- Casulæ S. Angeli
- Albertabernæ
- Beluederij ad mes.

Conuentus:
- Maglianus S. Crucis
- Aprighianensis
- Paternensis S. Marci
- S. Stephani
- Scilianensis
- Beluederien. ad ma-
- Stiliensis (re

Conuentus:
- Marryrianensis
- Campideaurati
- Castiglionensis
- Neocastriensis
- Lascliensis
- Cruculiensis
- Mabiensis

CONGREG. DALMATIÆ.

Con.:
- Lesinensis S. Nicol.
- Cryptarum

Con.:
- S. Georgij
- Annunciatæ dielsæ

Con.:
- Braccian⁹ S. Stephani
- Spalatrensis

CONGREGATIO DISCALCEAT. ITALIÆ.

Vicariatus Romanus Monast.:
- S. Antonij *ad Baboin.* Romæ
- S. Nicolai *Toll. ibid.*
- Ameliæ *S. Mar. de Monticel.*
- Firmæ *S. Crucifixi*
- Aquæuiuæ *S. Laurentij*
- Cercoli *S. Mariæ*
- Patigniani ad S. Crucem

Vicariatus Neapolit. Monast.:
- Neapoli. S. Mariæ veteris
- Locus nouus ibid.
- S. Seuerini
- Resinæ, S. Mar. consolat.
- Castri S. Angeli de Vasa- (nellis
- Tropeiæ
- Montis Leonis
- Castiglione S. Caroli
- Auersæ

Vicariat. Genuensis Monast.
- S. Nicolai de Tollent. Genuæ
- Taurini S. Caroli
- Triorię S. August.
- Recchensis
- Pragæ in Bohemia.

Vicariat. Siciliæ Monast.
- S. Nicolai Tollent. Panormi
- S. Greg. ibidem.
- Messanæ S. Restitutæ
- Annunciat. ibidem
- Casalis Græci
- Trapani.

CONGREG. CENTORBIVM.

Conuentus
- Centorbij
- S. Antonij de Recalbó
- S. Basilij de Mcon
- S. Michaelis Arch. de Melit.
- S. Dominicæ de Vesini

Conuentus
- D. Virg. de Lartesinæ
- D. Virginis Claramontis
- D. Virginis de Licbi
- D. Virginis succursi cacamo
- D. Virginis Annunciatæ Lotomilio

Conuentus
- D. Virginis Morialensis
- Palerm D. Virgio.
- S. Philippi D. Virg. coosol.

CONGREGATIO COLORITANA.

Moranus — Viceuellanus — Vrzomarzonensis.

Præter hæc enarrata Monasteria sunt in Insulis Philippinis, facile 50. & in Hispania Lusitanica totidem, vna cum parochijs, nouæ etiam Congregationes indies oriuntur vt iuxta Casletum Flandriæ D. Antonij in monte vulturum, D. Pauli in Gallia, in Hispania, Italia, & Gallia infinita Eremitoria, quæ & Regulæ S. Patris Augustini & ferulæ Reuerendissimi Patris Generalis, nec non Prouincialium subiacent. Plura tamen iniuria temporum fuere destructa, nam, vt refert Bapt. Alounsianus teste Pamphilo, illius ætate fuerunt Monasteria Ordin. Eremit. S. Augustini bis mille virorum, trecenta virginum, initiatorum vero, id est Religiosorum triginta millia. & ex his Conuentibus credo olim extitisse quos refert R. P. Cornelius Lancilottus in sua appendice in Æthiopia & Lybia.

Alleluia	Macanas	Abergelei
Lethiopia.	Abesglei	Sere
Sciona	Damit	Traseoasi
Debrában	Tegre	Aretalo
Cosquao	Zambeo	Saber
Debrilibanos	Vuagh	Mugor
Duooci	Marabeir	

FINIS.

INDEX ORDINVM

Militantium sub Regula S. Augustini.

ORDO *Grandimontensis* institutus an. M. LXX. à Comite Auernense Stephano, ab Alexandro II. confirmatus. 90

ORDO *Melitensium Equitum* institutus eodem sæculo à Ioanne Elemosynario Patriarcha Alexandrino in hospitali S. Ioannis Hierosolymæ: approbatusque à Gelasio IV. sub Regula *S Augustini.* ibid.

ORDO *Equitum Tarraconensium* institutus à Berengario Aulonensi Episcopo fauente Vrbano II. an. *M. XCI.* ibid.

ORDO *Clericorum Regularium S Antonij Tau* gerentium institutus circa annum M.XCV. à Gallone nobili viro. ibid.

ORDO *Præmonstratensium* an. M. CXX. à S. Norberto institutus. 93

ORDO *Fontisebraldi* institutus an. M. CXXI. à Roberto Abrucelis, & à Calisto II. approbatus. ibid.

ORDO *Gilbertinorum* institutus an. M. CXLIV. à Gilberto, confirmatus ab Eugenio II. an. *M. CLX.* 101

ORDO *Cruciferorum* Italiæ an. M. CLXIX. à Cleto Pontifice olim institutus, fauore Alexandri III. Regulam *S. Augustini* assumit. ibid.

ORDO *Equitum Teutonicorum* an. M. CXIX. ortus, circa an. M. CXXXVI. ad Reg. *S. August.* accessit. 102

ORDO *Equitum S. Iacobi de Spata* institutus an. M. CLX. à Petro Ferdinandez ab Alex. III. an. M. CLXXV. sub Reg. *S. August.* confirmatus. ibid.

ORDO *SS. Trinitatis* circa hos annos institutus per Ioannem Mattha sub Anast. IV. & Adriano IV. confirmatus primùm ab Adriano, deinde ab Innoc. III. an. M. CXCVII. 103

ORDO *Pœnitentium Iesu Christi.* 108

ORDO *Prædicatorum* institutus an M. CCIX. à S. Dominico, confirmatus ab Honorio III. an. M. CCXVI. 109

ORDO *S. Mariæ de Mercede* an. M. CCXVIII. à Iacobo I. Aragoniæ Rege, &c. sub Honorio III. institutus. ibid.

ORDO *Vallis Scholarium* an. eodem institutus à Guillelmo, Richardo & Euerardo, ab Honorio III. confirmatus. 110

ORDO *Equitum S. Mariæ* eodem tempore confirmatus à Gregorio IX. ibid.

ORDO *Seruorum S. Mariæ* institutus an. M. CCXXII. à septem ciuibus Florentinis; confirmatus ab Innoc. IV. an. M. CCLXI. ibid.

Idem Ordo reformatus fuit nostra memoria sub Reg. *S. Augustini.* 111

ORDO *Fratrum de Pœnitentia* in honorem S. Demetrij institutus an. M. CC. à viris pijs in Poloniæ & Germaniæ partibus, ab Alexand. IV. confirmatus, & fere emortuus, à Paulo V. rursus approbatus. 125

ORDO *Seruorum S. Mariæ Alborum* an. M. CCLVII. ab Alex. IV. sub Reg. *S. August.* confirmatus. 128

ORDO *Bonorum hominum* institutus à Richardo Comite Cornubensi fratre Germano Regis Henrici III. quem Ordin. Alex. IV. ad Reg. *S. August.* redegit. ibid.

ORDO *Equitum Gaudentium* institutus à Lodaringo Andalio Bononiæ, quem Vrbanus IV. sub Reg. *S. August.* magnis præeminentijs decorauit. 129

ORDO

ORDO *Equitum S. Lazari* circa an. CCCLXVI. ortus, reformatus ab Alexa. IV. & Clemente IV. an. *M. CCLXV.* sub Reg. *S. August.* ibid.
ORDO *S. Pauli Eremitæ* institutus an. *M. CCLXVIII.* à Ioanoe XXII. confirmatus. 130
ORDO *Fratrum Pœnitentium S. Magdalenæ* institutus an. M. CCLXXVII. à Beltramo viro Gallo, & à Nicolao III. confirmatus. 137
ORDO *Mulierum Pœnitentium S. Magdalenæ* ab eodem an. M. CCLXXIX. ibid.
ORDO *Clericorum Hospitaliorum* institutus an. *M. CCC.* à P. Augustino Nouello & à Bonifacio VIII. an. M. CCC. Regulæ *S. August.* subiectus. 143
ORDO *Charitatis S. Mariæ* circa idem tempus à Guidone Ianuillano Bouchera Montij, quem Bonif. VIII. & Clemens VI. Reg. *S. August.* subiecit. ibid.
ORDO *Alexianorum* an. seq exortus, à quibusdam viris misericordiâ motis, quem Henricus Sudermannus Reg *S. August.* adiungi, & à sede Apostol. confirmari curauit. 146
ORDO *Nigrarum Sororum* agonizantibus assistentium. ibid.
ORDO *Iesuatorum S. Hieronymi* an. M. CCCLXV. initium sumpsit à Ioanne Columbino Senensi miraculosè conuerso, & ab Vrbano V. approbatus fuit. 157
ORDO *S. Brigittæ vtriusq. sexus* an. M. CCCLXVI. auctrice Sueciæ Regina exordium sumpsit. 158
ORDO *S. Ambrosij* qui sub Ceccarello & Paulo Platanzia an. M. CCCXXXI. restauratus fuerat à Petro Eugubinorum Episcopo, cœpit an. M. CCCLXXIV. militare sub Reg. *S. Augustini*, cui eum Gregor. XI. subiecit. 160
ORDO *S. Hieronymi* institutus circa an. M. CCCLXVI. à Petro Fernando & Gregorio XI. confirmatus. ibid.
ORDO *Vitæ communis* qui tempore *Apostolorum* inceptus, biennio post à Paschali II. an. M. XC. restitutus fuit. ibid.
ORDO *S. Hieronymi* in Germania per Gerardum Dauentrium Aquisgrani Caoonicum sæcularem reformatus & à Gregorio XI. approbatus. ibid.
ORDO *S. Hieronymi* fundatus an. M. CCCLXXX. in Italia à B. Petro Gambacurta. 161
ORDO *Barnabitarum* an. M. CCCLXXXIV. iussu Innoc. VIII. ad Reg. *S. August.* accedit. Restauratur per D. Iacobum Antonium Morigiam. 179
ORDO *Armenorum* an. M. CCCCLXXXVIII. cœpit militare sub Reg. *S. August.* Subsunt hodie hi Religiosi PP. S. Dominici. 180
ORDO *Equitum S. Iacobi* inceptus à Petro Ferdinando Hispano, quem Adrianus VI. Reg. *S. August.* subiecit. 195
ORDO *Clericorum Boni Iesu* institutus à P. Hieronymo Malusello ann. M. DXXXIII. 196
ORDO *Ministrantium infirmis* à B. Ioanne Lusitano institutus an. M. DLI. 199
ORDO *Clericorum Ministrantium infirmis* an. M. DLXXXIV. Romæ à D. Camillo de Sellis & alijs erectus, à Sixto V. approbatus. ibid.
ORDO *Cleric. minorum* à R. P. Augustino Adornio Genuensi institutus accessit ad Reg. *S. August.* an. M. DLXXXIX. & à Pontificib. Sixto V. & Gregor. XIV. approbatus fuit. 217

INDEX CONGREGATIONVM.

CONGREGATIO S. Victoris Canonicorum Regularium sumpsit exordium anno M.CXIII. 91
CONGREGATIO Canon. S. Spiritus an. M.CXLIV. excitata à Guidone Montispessulano & ab Innoc. III. confirmata. 94
CONGREGATIO Canon. Regul. S. Marci de Mantua an. M.CCXXXI. confirmata fuit à Gregorio IX. 111
CONGREGATIO de Brictinis exorta an. M.CCXXX. 114
CONGREGATIONES Vnitæ variæ cum Ordine. 124
CONGREGATIO Illicetana an. M.CCCLXXXVII. per Tholomæum Venetum Generalem instituta. 162
CONGREGATIO Fesulana S. Hieronymi eod. an. à B. Carolo Comite Montis Granelli & alijs instituta, & postmodum à PP. Innoc. VII. & Gregor. XII. approbata. ibid.
CONGREGATIO Canon. Regul. in Windesheim per Gerardum Magnum & Ioan. Busebrouc instituta. ibid.
CONGREGATIO Frisonaria an. M.CCCXCVI. per Bartholomæum Columnam Romanum instituta. 163
CONGREGATIO Eremit. de Carbonaria an. M.CCCXCIX. à F. Simone Cremonensi & F. Christiano Franco instituta. ibid.
CONGREGATIO Canon. Regul. S. Georgij in Alega an. M.CCCCIII. à Gabriele Condelmirio, Anton. Corario & Ludouico Barbo, &c. instituta, à Gregor. XII. Reg. S. August. adiuncta & à Pio V. an. M.DLXX. reformata. 165
CONGREGATIO Canon. Regul. Scopetinorum ab Hieron. Senen. Eremit. August. initium sumpsit. an. M.CCCCVIII. ibid.
CONGREGATIO Canon. Regul. S. Spiritus instituta Venetijs an. M.CCCC. XVIII. à Reu. P. Gabriele Spoletino Augustin. Eremit. 167
CONGREGATIO Eremit. S. Augustini Perusina instituta. an. M.CCCC. XIX. à R.P. Augustino Romano. 168
CONGREGATIO Eremit. Lombardica circa an. M.CCCCXXX. instituta. 169
CONGREGATIO Eremit. Montis Ortoni an. M.CCCCXXXVII. opera V.P.F. Simonis Camertini instituta. 170
CONGREGATIO Eremit. Genuens. an. M.CCCCLXX. initium sumpsit per V.P. Ioan. Baptistam Pogium. 176
CONGREGATIO Appuliæ an. M.CCCCXCI. per R.P. Felicem instituta. 181
CONGREGATIO Saxonica initium sumpsit à PP. Simone Lindnero & Andræa Proles, exempta ab obedientia Reuerendiss. P. General. 182
CONGREGATIO Calabriæ anno M.DVII. per P. Franciscum de Zampano Calabrum instituta. 186

CONGRE-

CONGREGATIO Dalmatiæ per quosdam Fratres in Illyrico seu Dalmatia de Reu.P.General.licentia instituta an. M.DXI. 189

CONGREGATIO Clericorum Somaschinorum circa ann. M. DXXX. per Hieron. Æmilium erecta à Pio V. sub Reg.S. August confirmata. 207

CONGREGATIO Centorbium an. M. DLXXXVI. à duobus PP. Ordin. S. August. instituta. 216

Augustiniani Discalceati Hispaniæ quorum autor P. Andræas Diaz Hispanus. M. DLXXXIX. 218

PP. Discalceatorum in Italia origo circa an. M.DXCIX. 223

CONGREGATIO Coloritorum an. M.DC. noua, quæ iam à septem annis & amplius à F. Bernardino Rolano in citeriori Calabria originem sumpsit. 225

EREMITÆ S. Antonij an. M. DC.XV. accedunt ad Regulam S AVGVSTINI procurante P. Antonio Thuan sui instituti approbationem. 246

CONGREGATIO S. Pauli Eremitæ in Gallia. 259